Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/tractatusdegrati00laho

UNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA

TRACTATUS

DE GRATIA DIVINA

Brecht, typis L. Braeckmans.

UNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA

QUAM IN COLLEGIO LOVANIENSI S. J. TRADEBANT

L. DE SAN, G. LAHOUSSE ET A. VERMEERSCH E. S.

TRACTATUS

DE

GRATIA DIVINA

AUCTORE

GUSTAVO LAHOUSSE S. J.

IN COLLEGIO MAXIMO LOVANIENSI S. J. THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSORE

BRUGIS

APUD CAROLUM BEYAERT BIBLIOPOLAM

ROMAE & RATISBONAE
APUD P. PUSTET

LUTETIAE PARISIORUM
APUD P. LETHIELLEUX

1902

Ego AUGUSTUS PETIT, Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre LUDOVICO MARTIN, ejusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus **Tractatus de Gratia Divina** a Patre GUSTAVO LAHOUSSE sacerdote S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 8 maii 1902.

AUGUSTUS PETIT, S. J.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

FEB 13 1932

4160

IMPRIMATUR.

Brugis, 22 maii 1902.
† G. J. Episc. Brugen.

TRACTATUS DE GRATIA.

Prooemium.

1. — NOTIO GRATIAE. Nomen gratiae multiplici sensu accipitur : a) Pro *venustate* et *elegantia* tum oris tum sermonis. Sic Prov. XXXI, 30 : « Fallax gratia et vana est pulchritudo ; mulier timens Deum ipsa laudabitur. » Sic etiam : « Verba oris sapientis gratia » (Eccl. X, 12). — b) Pro *favore* et *benevolentia* qua quis alteri est gratus et acceptus. Eo sensu usurpatur a Gabriele Mariam alloquente : « Invenisti gratiam apud Deum » (Luc. I, 30). Eodem sensu occurrit tum Gen. XXXIX, 4 : « Invenitque Joseph gratiam coram Domino suo », tum Ruth. II, 20 : « Cui respondet Noëmi : Benedictus sit a Domino, quoniam eamdem gratiam, quam praebuerunt vivis, servavit et mortuis. » Cum gratia, hoc sensu usurpata, a Deo conceditur hominibus, saepe dicitur enasci ex Dei misericordia, bonitate, beneplacito, bona voluntate. — c) Pro *gratitudine animae, gratiarum actione,* ei praestita qui de nobis est bene meritus. Eo sensu accipitur gratia in locutione « gratias referre, reddere, agere, debere. » Sic Apostolus aiens : « Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago » (I Cor. X, 30). — d) Pro quolibet *dono gratis alteri concesso.* Eo sensu occurrit opud Paulum : « Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia » (Rom. II, 6).

Manifestum est ex venustate et elegantia oriri benevolentiam ; ad benevolentiam consequi dona gratis concessa ; ad hujusmodi dona consequi gratitudinem. Inde patet non sine ratione idem analogice tribui nomen quatuor rebus diversis.

In praesenti tractatu accipitur gratia pro *dono gratis concesso,* seu *dono gratuito,* seu *indebito.* Enucleatius definitur gratia : *Beneficium ex benevolentia collatum citra exigentiam ejus cui confertur* (1)

(1) AUGUSTINUS « Quid est gratia ? Gratis data. Quid est gratis data ? Donata, non reddita. » (Tract. III *in Joh.* n. 9). « Unae vocatur gratia ? quia gratis datur » (Ib. n. 8).

Verum quodlibet tale donum, licet a Scriptura et ab ecclesiasticis scriptoribus vocetur gratia, tamen non est objectum hujus tractatus. Distinguitur enim gratia *increata* et gratia *creata ;* creata dispescitur in *naturalem* et *supernaturalem,* utraque est *interna* aut *externa,* interna dispescitur in gratiam *gratis datum* et gratiam *gratum facientem;* gratia gratis data multipliciter dividitur. Porro per se non agendum occurrit in hoc tractatu nisi de gratia *creata, interna, supernaturali, gratum faciente.*

2. — Antequam instituentur divisiones gratiae quae est objectum hujus tractatus, prius trademus notiones ceterarum gratiarum modo enumeratarum.

1. Gratia est *increata* aut *creata.* a) Gratiae *increatae* nomine intelliguntur tum *ipse Deus,* quatenus voluit relatione devinciri cum creaturis intellectu praeditis, tum aeterna *Dei benevolentia* principiative accepta, qualis v. g. continetur decreto praedestinativo, tum *incarnatio Verbi,* tum *missio Spiritus Sancti* ejusque assistentia, tum *mysterium Eucharistiae.* — b) Gratiae *creatae* nomine intelligitur donum gratuitum *a Deo distinctum.*

2. Gratia est *naturalis* aut *supernaturales.* a) Gratia *naturalis* intelligitur donum naturali quidem ordine conclusum, gratuito tamen concessum ei cui confertur. Talia sunt vita, sanitas, immunitas a certis malis physicis, serenitas aeris, imbres salubres, prosperitas rei familiaris, adjuncta opportuna quibus facultates evolvuntur aut congruae adducuntur cogitationes etc. — Dona ista concludi ordine naturali constat tum quia produci valent viribus naturae permissis sibi, tum quia homo iis insigniretur in quocumque statu naturae versaretur. — Ea dona merito vocari *gratias* elucescit tum ratione tum auctoritate. Elucescit α) *ratione:* Deus enim nemini debet ut ipsi potius quam alii conferat vitam et sanitatem, ut eum potius quam alium immunem faciat a morbo et a malo physico, ut ei potius quam alii conferat opes terrenas. Haec enim varia pendent ab ordine physico quem Deum libere prae ceteris voluit. Quare verificatur notio gratiae superius tradita. Idem constat β) *usu Patrum et Ecclesiae* citata dona vocantium gratias, potissimum ubi exorant Dei clementiam et indulgentiam ut ea hominibus elargiatur. Citasse sufficiat quinque episcopos africanos, Aurelium nempe, Alypium, Augustinum, Evodium, Possidium, ad Innocentium in causam Pelagii haec scribentes : « Etsi quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid ut cadaver, quod non vivit, et arbor, quae non sentit, et pecus, quod non intelligit, sed homines, qui essemus et viveremus et sentire-

mus et intelligeremus et de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere valeamus: unde *merito et ista gratia dici potest,* quia non praecedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est: alia est tamen, qua praedestinati vocamur, justificamur, glorificamur »(1). — Patet gratias illas esse communes statui naturae purae et naturae elevatae. — Patet etiam eas dividi in *internas* et *externas.*

b) Gratia *supernaturalis* dicitur beneficium praesentem ordinem physicum et quemlibet alium ordinem creabilem prorsus excedens. Eodem sensu affirmatur esse donum excedens non modo naturalem capacitatem virium creabilium, adeo nempe ut a solo Deo produci valeat, sed insuper omnem exigentiam creaturarum, ita ut nulla ex his exigat istiusmodi doni productionem a Deo; vel etiam asseritur esse donum quod *neque constitutive, neque consecutive, neque exigitive pertinet ad naturam creatam aut creabilem.*

Dona supernaturalia potiori jure prae donis naturalibus indebitis vocari gratias, dupliciter constat: a) *ratione:* Dona enim naturalia indebita aut sunt talia *negative* dumtaxat, quatenus nempe subjectum horum donorum nullo instruitur jure ad exsistentiam proindeque ad dona exsistentiam praesupponentia, aut sunt talia *positive* quidem sed tantum ratione gradus sui, non vero ratione generis aut speciei, quatenus nempe subjectum exigit ornari aliquo gradu hujusmodi donorum, non tamen eo gradu insigni qui ipsi est reapse collatus. Contra dona supernaturalia sunt *positive* indebita, siquidem subjectum, in ordine exsistentium vigens et iis insignitum, nullam prorsus exigentiam ad ea habet; deinde sunt indebita secundum totam *speciem* suam, siquidem nullus est gradus hujusmodi perfectionum qui sit debitus creaturae. — Idem constat b) *auctoritate* Augustini, concedentis Pelagianis creationem vocari posse gratiam, verum fidem esse gratiam majorem et simpliciter, quam Ecclesiae pastores commendare solent (2); c) auctoritate Africanorum praesulum in epistola ad Innocentium n. 8 haud secus ac Augustinus loquentium (3).

(1) Inter op. Aug. *Ep.* CLXXVII, n. 7. M. XXXIII, 767. — (2) August. « Excepta illa gratia, qua condita est humana natura, haec enim christianis paganisque communis est, haec est major gratia, non quod per Verbum homines creati sumus, sed quod per Verbum carnem factum fideles facti sumus. » Serm. X *de verbis Apostoli.*

« Abjiciatur a Christianorum cordibus ista fallacia. Non omnino istam gratiam commendat Apostolus qua creati sumus ut homines essemus, sed qua justificati sumus cum mali homines essemus. Ista enim est gratia per J. C. D. N. » *Epist.* CXCIV *ad Sixtum,* n. 8. M. XXXIII, 877.

(3) « Hanc apostolica doctrina gratiam non immerito isto nomine appellat, qua salvamur et justificamur ex fide Christi... Illam vero gratiam, qua creati sumus homines,

3. Gratia est *externa* aut *interna :*

a) Gratia *externa* est illa quae hominem nonnisi extrinsecus afficit. Talia sunt revelatio divina, lex Dei, praedicatio evangelii, exempla Christi et sanctorum, miracula, adjuncta opportuna peccatis vitandis et virtutibus exercendis beneficio providentiae supernaturalis in hominum salutem disposita.

b) Gratia *interna* homini intrinsecus inhaeret; talis est gratia habitualis et actualis, virtus et character.

Gratia interna frequenter cum externa conjungitur. Sic dum praedicatio evangelii externe afficit hominem, Deus solet interne supernaturaliter illustrare mentem et allicere voluntatem.

4. Gratia creata, supernaturalis et interna, est *gratis data* aut *gratum faciens :*

a) Gratia *gratis data* per se et primario confertur in bonum et salutem, *non quidem recipientis, verum aliorum;* est nempe ea qua quis in salutem aliorum cooperatur. Gratias gratis datas novem enumerat Apostolus (I Cor. XII, 7, 8) : « Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. » — Attamen enumerationem non esse completam suadetur quia idem Paulus ib. v. 28 aliam instituit donorum enumerationem, dicens : « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum » (Cfr. Eph. IV, 11).

Licet omnis gratia, utpote gratuita, sit gratis data, nomen tamen generis huic speciei reservatum est, quia Christus apostolis has gratias conferens, eos monet istas gratias iisdem gratis concedi, gratisque aliis esse concedendas : « Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite : gratis accepistis, gratis date. » (Matth. X, 8).

---

etiamsi ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen si ita appellatam in ullis legitimis propheticis, evangelicis, apostolicisque litteris legimus ». Et in eadem epistola (n. 2) referentes gesta in Diospolitana Synodo, inquiunt : « Si episcopi eum (Pelagium) catholicum pronuntiarunt, non ob aliud factum esse credendum est, nisi quia se dixit Dei gratiam confiteri, et ita posse hominem suo labore ac voluntate juste vivere, ut ad hoc adjuvari Dei gratia non negaret. His enim auditis verbis, catholici antistites nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris Dei legere, et populis Dei praedicare consueverunt, eam utique, de qua dicit Apostolus : Non irritam facio gratiam Dei etc. » M. XXXIII, 768, 765.

Gratiae gratis datae sunt aliae quidem *ordinariae,* aliae vero *extraordinariae.* α) *Ordinariae* per se loquendo possunt acquiri a volentibus, dum certis conditionibus satisfiat. Tales sunt character sacerdotii, jurisdictio ecclesiastica, doctoratus. — β) *Extraordinariae* non sunt in volentium potestate constitutae, sed earum collatio immediate fit a Deo. Tale est donum miraculorum, prophetiae, linguarum.

b) *Gratia gratum faciens* est donum supernaturale quod per se et primario ordinatur ad salutem *illius cui conceditur.* Vocatur *gratum faciens* quia eum, cui datur, reddit gratum et acceptum Deo, sive formaliter et actu, si sit gratia sanctificans, sive dispositive et remote, si sit gratia actualis. — In praesenti tractatu agitur *de gratia gratum faciente.*

Observa. Utraque gratia differt non modo ratione *finis,* sed adhuc a) ratione *subjecti.* Prior enim dari potest tum justo tum peccatori: re quidem vera insigniti ea fuerunt Saul qui prophetavit (I Reg. x), Balaam ariolus qui vaticinatus est de Israel et de Christo, de Amalecitis, Cinaeis et Romanis (Num. xxiv), Caiphas. Contra gratiae gratum facientes proxime aut remote justificant eum cui tribuuntur. — Differt etiam b) ratione *perfectionis.* Gratia enim gratis data est ignobilior gratia gratum faciente; haec enim prae illa conjungit immediate Deo redditque subjectum, saltem dispositive, filium Dei. Quapropter Christus discipulis dicit: «Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis» (Luc. x, 19, 20). Deinde gratia gratis data se habet ad gratiam gratum facientem ut medium ad finem; jamvero finis medio nobilior exstat.

In tractatu de gratia disputationes fiunt de gratia creata, supernaturali, interna, gratum faciente. Itaque definitur: *donum Dei gratuitum, creatum, supernaturale, internum, gratum faciens.* Ex supradictis et ex litteris episcoporum africanorum ad Innocentium P. supra relatis perspicuum est omne hujusmodi donum a Deo infundi propter sanctificationem et salutem hujus hominis qui est ejus subjectum.

Restatut praecipuas hujus gratiae divisiones in medio ponamus.

3. — DIVISIO. Gratia praefata dividitur multipliciter:

Ratione causae meritoriae, dividitur in gratiam *creatoris,* seu conditoris, seu Dei, et gratiam *Redemptoris,* seu Christi.

1. Gratia *Dei,* quae etiam gratia *sanitatis* dicitur, collata est a Deo

homini innocenti proindeque non positive indigno seu non foedato labe peccati nec obnoxio sequelis P. O.

2. Gratia *Christi,* quae etiam gratia *medicinalis* dicitur, ob merita Christi conceditur in statu naturae lapsae hominibus peccato infectis et obnoxiis concupiscentiae aliisque vulneribus. — Patet in praesenti tractatu fere unice sermonem misceri *de gratia Christi.* — Inquirunt doctores num data fuerit gratia Dei quae non fuerit gratia Christi? — Solutio quaestionis pendet ab hac altera quaestione, an Verbum incarnatum fuisset, si protoparentes non peccassent adeoque posteritati peccatum non communicassent. Sunt qui dicunt Verbum incarnandum fuisse, etiamsi status innocens perseverasset; ii affirmant omnem gratiam Dei, etiam angelis et Adamo innocenti collatam, esse gratiam Christi seu collatam a Deo ob merita Filii; attamen gratia, innocenti data, non fuit medicinalis sed mere elevans. Contra alii, iique plures, asseverant Verbum non fuisse incarnandum, si homo non peccasset; hi consequenter tenent gratiam angelorum et hominis innocentis non fuisse gratiam Christi.

3. Ex praejactis consequitur dari triplex discrimen inter utramque gratiam. a) Ex parte *subjecti :* Prior tribuitur subjecto negative indigno; posterior positive indigno. — b) Ex parte *motivi:* Prior datur ex mera liberalitate, posterior insuper ex misericordia. — c) Ex parte *muneris :* Prior elevat, posterior insuper sanat. Itaque gratia Christi est majus beneficium.

4. — Ratione stabilitatis in exsistendo, gratia est *habitualis* aut *actualis.*

a) *Habitualis* est ea qua homo perficitur a Deo per modum habitus seu qualitatis permanentis. Quadruplex est:

α) Gratia *sanctificans* seu justificans, cui reservatum est nomen generis; est habitus ornativus cujus effectus formalis est reddere hominem justum et sanctum, filium adoptivum Dei, instructum jure ad regnum caelorum. — De ea fiet sermo in parte posteriori hujus tractatus. — β) *Virtus infusa per se,* quae est comprincipium actus supernaturalis. Tales sunt virtutes theologicae quarum ope eliciuntur actus fidei, spei, caritatis. De ea agitur in tractatu de virtutibus. — γ) *Character* cujus effectus formalis est deputare hominem Deo et Christo, tamquam domesticum, aut militem aut ministrum. De eo inquiritur in tractatu de sacramentis in genere. — δ) *Donum Spiritus Sancti,* qui est habitus supernaturalis quo quis proprie disponitur ut a Spiritu Sancto moveatur ad actionem sibi utilem. Sunt septem talia

dona : sapientia, intellectus, scientia, consilium, pietas, fortitudo, timor.

b) Gratia *actualis* est ea qua homo perficitur secundum actionem quae praecedit aut subsequitur sanctificationem et disponit ad gratiam sanctificantem primam aut secundam. — Gratia actualis considerari potest *in Deo,* aut *in homine.*

α) In Deo considerata, est divina operatio qua motus salutares proxime aut remote in anima excitantur. Divina operatio vel stat in concursu supernaturali praestito facultati agenti, vel excitat habitum ad operandum, vel ex potentia animae educit qualitatem supernaturalem quae sit principium actus supernaturalis. — β) In homine considerata, est tum habitus qualitasve quorum ope elicitur actus, tum ipsemet actus supernaturalis, puta illustratio, inspiratio, consensus salutaris.

Inde gratia actualis vocantur : a) *Actus supernaturalis* sive intellectus sive voluntatis, sive indeliberatus sive deliberatus. Hic enim actus merito vocatur Dei donum gratuitum, siquidem supernaturalitas provenit ex benevola Dei operatione. Attamen actus salutaris non solet dici gratia, nisi fungatur munere gratiae excitantis ad ulteriorem operationem salutarem. b) *Auxilium supernaturale* beneficio cujus elicitus est actus supernaturalis, sive istud auxilium reponatur in habitu supernaturali a Deo excitato ad agendum, sive in qualitate a Deo infusa, sive in consursu indebito. c) *Operatio divina* conferens istud auxilium. Patet duo priora esse gratias creatas, tertiam esse increatam.

5. — Ratione potentiae cui inhaeret, dividitur gratia actualis in gratiam *intellectus* et gratiam *voluntatis.* De utraque redibit sermo.

Ratione habitudinis ad liberum arbitrium, dividitur gratia actualis tum in *excitantem* et *adjuvantem,* tum in *sufficientem* et *efficacem.*

Prima divisio. 1. Gratia *excitans* est *illustratio* mentis et *inspiratio* voluntatis (dicuntur gratia *passiva*), productae auxilio supernaturali Dei (dicitur gratia *activa*). His Deus intellectum quasi sopitum illuminat et movet voluntatem ut salutariter operetur. — Dicitur *vocatio.*

2. Gratia *adjuvans* simul cum voluntate elicit actum salutarem, proindeque animam salubriter excitatam adjuvat ad prosecutionem boni operis. Reponitur a neo-thomistis quidem in praedeterminatione physica, a molinianis vero in habitu supernaturali aut, ubi deest, in concursu speciali Dei vel in motibus gratiae praevenientis physice cooperantibus voluntati ad elicitionem actus salutaris.

Gratia *excitans* (operans) dicitur *fieri in nobis sine nobis,* quia primam in nobis motionem bonam produxit sine electione voluntatis. Gratia vero *adjuvans* (cooperans) dicitur *fieri nobiscum,* quia ad boni exsecutionem nobiscum volentibus cooperatur (1).

Observa. Gratia dividitur etiam in praevenientem, comitantem et subsequentem. Verum his terminis non tribuitur ab omnibus idem significatus :

a) Juxta alios praeveniens non differt ab excitante ; sic vocatur quia praecedit liberam voluntatis electionem. Comitans non differt ab adjuvante. Subsequens non differt ab adjuvante seu concomitante et sic vocatur quia sequitur primam Dei motionem (2).

b) Juxta alios distinguitur triplex haec gratia : α) *Praeveniens* est illustratio mentis et motus indeliberatus voluntatis praecedens consensum, proindeque est gratia excitans; β) *concomitans* est eadem ac adjuvans; γ) *subsequens* est gratia adjuvans exsecutionem boni propositi aut nova gratia a Deo concessa ob bonum usum gratiae praecedentis et excitans ad ulteriores actus bonos. Tres gratias designare videtur Tridentinum, dicens Christum in ipsos justificatos jugiter virtutem influere « quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur et subsequitur. » Sess. VI, c. xvi.

c) Juxta alios gratia praeveniens est gratia quae nullum meritum supponit sed omne meritum praevenit. Eo sensu non raro intelligitur

(1) August. Deus « praeparat voluntatem et cooperando perficit quod operando incipit Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens... Ut ergo velimus, sine nobis operatur ; cum autem volumus, et sic volumes, ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. » *De gr. et lib. arb.* c. xvii. M.XLIV, 901.

S. Th. « Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur : et secundum hoc dicitur gratia operans In illo autem effectu, in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animae ; et secundum hoc dicitur gratia cooperans. » Ia IIae, q. cxi, a. 2.

(2) S. Th l. c. a. 3 : « Sicut gratia dividitur in operantem, et cooperantem secundum diversos effectus, ita etiam in praevenientem et subsequentem, qualitercumque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiae in nobis ; quorum primus est ut anima sanetur ; secundus, ut bonum velit ; tertius est ut bonum, quod vult, efficaciter operetur ; quartus est ut in bono perseveret ; quintus, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia, secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur praeveniens respectu secundi effectus ; et prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus. Et sicut unus effectus est posterior uno effectu et prior alio, ita gratia potest dici praeveniens et subsequens secundum eumdem effectum respectu diversorum et hoc est, quod Augustinus dicit : « Praevenit ut sanemur, quia et subsequetur ut etiam sanati vegetemur ; praevenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur ; praevenit ut pie vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere. » Cfr. Aug. *De nat. et gr.* c. xxxii.

ab Augustino (1). Eodem sensu sumitur a Tridentino dum docet justificationis exordium *a praeveniente* gratia sumendum esse h. e. ab ejus vocatione qua, nullis eorum exsistentibus meritis, vocantur (Sess. VI. c. v).

Secunda divisio. Eadem gratia actualis iterum ratione habitudinis ad liberum arbitrium est *sufficiens* aut *efficax*.

a) Gratia efficax est ea quae actu obtinet effectum ob quem confertur, seu cui voluntas libere consentit. — Gratia est efficax ab *intrinseco*, si ab ipsa sua entitate habet ut effectui conjungatur ; est efficax ab *extrinseco*, si ista conjunctio est repetenda ab ipsa voluntate.

b) Gratia *sufficiens* est ea quae sufficit ad producendum actum salutarem. — Si effectu frustratur, vocatur *pure sufficiens, inefficax*.

Observa. 1. Secundum molinistas gratia sufficiens complectitur motus gratiae praevenientis et gratiam adjuvantem in actu primo, h.e. principia supernaturalia actus salutaris parata ad cooperandum voluntati ; secundum eosdem gratia efficax complecitur gratiam sufficientem et gratiam adjuvantem in actu secundo, quae scilicet gratiae sufficienti superaddit actualem cooperationem principiorum causantium supernaturalitatem in actu salutari ; denique secundum eosdem gratia est efficax ab extrinseco, h. e. penes voluntatem est sive cum gratia adjuvante consentire motibus gratiae excitantis ita ut gratia sufficiens fiat effiax, sive per solas vires naturae denegare consensum ita ut gratia sufficiens reddatur inefficax. — Secundum neo-thomistas gratia sufficiens non distinguitur a gratia excitante, neque gratia efficax à gratia adjuvante.

2. Praeterea distinguitur gratia *simpliciter* et gratia *pro gratia*. — Prior a Deo datur ob merita Christi sine ullo merito praecedenti hominis. Posterior datur ob meritum supernaturale praecedens : talis est vita aeterna quae est simul merces meritorum et gratia, quatenus merita simpliciter et ultimo ex gratia profluunt ; tale est pariter augmentum gratiae justificantis in justo (2).

3. Distinguuntur adhuc a) gratia *vocationis*, qua quis ad fidem adducitur ; b) gratia *conversionis*, qua quis efficaciter movetur ad paenitentiam de peccatis agendam ; c) gratia *justificationis*, qua quis veniam de

(1) August. « Haec et alia testimonia divina ostendunt Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, et praevenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam praeparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. » *Epist.* ccxvii *ad Vital*, n. 28. M. XXXII, 988.

(2) Cf. Aug. *de gr. et lib. arbit.* c. viii.

peccatis et gratiam sanctificantem obtinet; d) gratia *perseverantiae finalis,* qua quis in amicitia Dei permanet usque ad finem vitae; e) gratia *praedestinationis,* qua quis aeterno decreto ad beatitudinem destinatur.

6. — **PARTITIO.** Tractatus de gratia Christi in tres partes dispescetur.

PARS PRIMA aget *de gratia actuali.*

PARS SECUNDA *de gratia habituali.*

PARS TERTIA *de merito,* ubi inquiretur quodnam praemium mereantur actus ex gratia eliciti.

MOMENTUM. Materia gratiae intimo nexu conjungitur cum dogmatibus de destinatione humana ad visionem divinam, de peccato originali, de hominum redemptione, praedestinatione ac reprobatione, de sacramentorum vi et efficacia.

Homo enim a conditore suo fuit sublimatus in finem supernaturalem, ideoque ornatus donis sanctificantibus quibus in finem disponebatur et quae actibus supernaturalibus augmentum erant acceptura. Adamus autem per grande peccatum ea a se et ab universa familia repudiavit. Porro justitia non erat reddenda homini nisi prius satisfactio supernaturalis, condigna et ex rigore justitiae pro peccatis praestita fuisset. Quare necesse fuit Verbum hominem fieri. Verbum itaque sacrificio crucis generi humano meruit restitutionem gratiae actualis et habitualis, demum gloriae divinae. Insuper cum vires humanae, licet non exstinctae, attamen fuissent debilitatae, premente concupiscentia, bonisque sensibilibus vehementer naturam allicientibus, huic infirmitati occurrit Christus per gratiam suam. Ut gratiam sanctificantem abundantius in cordibus infunderet, instituit septem sacramenta, quae, sanguine Salvatoris rubentia, ex opere operato gratiam producerent. Usu gratiae actualis a Deo oblatae salvatur homo, ex praescito hoc usu ab aeterno praedestinatur et in tempore justificatur; contra, rejecta gratia, damnatur, ex praescito abusu ab aeterno reprobatur.

Merito itaque, cum Pelagiani impietate sua doctrinam orthodoxam de gratia subvertere tentarent, aiebant Patres Milevitani ad Innocentium P. scribentes « omnino totum, quod Christiani sumus, destrui » (1); Augustinus, « totius fidei christianae fundamenta everti » (2); Hieronymus « universi dogmatis christiani disciplinam subverti » (3).

---

(1) Cf. AUGUST. M XXXIII, 763. — (2) Id. *Epist.* CLXXVIII *ad Hilar.* M. Ib. 772. — (3) HIER. *Epist. ad Aug.*

PARS PRIMA.

DE GRATIA ACTUALI.

7. — Quæ de gratia actuali disputanda sunt, dividenter in septem capita.

CAPUT I^{um} aget de *necessitate* gratiae actualis ad actum *salutarem*.

CAPUT II^{um} inquiret de *natura* actus salutaris et ejus causae.

CAPUT III^{um} tractabit de *proprietate* gratiae, nempe de *gratuitate*.

CAPUT IV^{um} investigabit quid natura sine auxilio gratiae agere valeat seu dicet de *necessitate* gratiae ad actus ordinis *naturalis*.

CAPUT V^{um} de exsistentia et natura gratiae *sufficientis* disputabit.

CAPUT VI^{um} aget de gratia *efficaci*.

CAPUT VII^{um} de subjecto gratiae seu de *distributione* ejus inquiret.

CAPUT I.

De necessitate gratiae ad actus salutares.

Istud caput duabus sectionibus absolvetur :

Sectio prior examinabit utrum *aliqua gratia* interna et supernaturalis exigatur ad salutem.

Sectio posterior investigabit *quaenam gratia* sit necessaria.

SECTIO PRIOR.

DE NECESSITATE GRATIAE AD SALUTEM.

Successive inquiremus : a) utrum homo, solis naturae viribus utens, elicere valeat actum salutarem, an necessarium sit auxilium Dei indebitum adeoque supernaturale ; b) utrum gratia etiam sit necessaria ad initium fidei ; c) utrum, justitia semel accepta, homo cum gratiis communibus possit in ea perseverare usque ad finem, an perseverantia finalis in statu supernaturali sit peculiare Dei donum. — Quare sectio prior in tres articulos subdividetur.

ARTICULUS I.

Homo naturae viribus nullum actum salutarem elicere valet.

D. Th. IIa Iae, q. cix, art. 5 et 6. — Suar. *De gratia*, l. II, cc. i, ii. — Liv. De Meyer, *Hist. congr. de aux.* l. V, c. iii. — Molina, *Concord.* d. vi, viii, ix.

§ 1. Status quaestionis.

8. — **Proponitur quaestio.** Homo a Deo fuit evectus ad finem supernaturalem, ad ipsum nempe quondam intuitive videndum; ut autem hunc finem attingat, exigitur ut non discedat e vita nisi instructus gratia sanctificante qua disponatur ad Dei visionem et constituatur justus, Dei amicus et filius adoptivus, instructus jure ad regnum caelorum; ipsam vero gratiam sanctificantem, si est adultus, non acquirit nisi certos actus morales (puta fidei, spei, dilectionis, paenitentiae) elicuerit, per quos nempe ad gratiam sacramentis infundendam se disposuerit, proindeque per quos aliquatenus ad regnum caelorum se praeparaverit. Hi vero actus vocantur salutares. Patet eos esse liberos, siquidem soli actui libero inest ratio meriti.

Inquiritur autem utrum homo, *solis naturae viribus utens cum concursu debito Dei, sit capax eliciendi hujusmodi actus,* an indigeat, non modo moraliter, sed *physice* auxilio gratiae Christi, eoque non modo externo sed et *interno;* sive aliter utrum ad actum salutarem auxilium speciale Dei, distinctum ab omni auxilio generali, sit physice necessarium, adeoque compleat vires physicas facultatis naturalis, tribuatque homini *posse simpliciter* operari salutariter; an tantum auxilium speciale sit *moraliter* necessarium adeoque tantum *adjuvet* facultatem naturalem et homini tribuat *posse facilius* operari salutariter; sive adhuc utrum detur *entitativa improportio* inter facultatem naturalem et actum salutarem, adeo ut facultati addendae sint vires physicae altioris ordinis.

Si quaesito respondetur hominem esse physice impotentem eliciendi solis viribus naturae actum salutarem, concludendum erit finem ultimum hominis, in visione intuitiva Dei situm, esse supernaturalem, quod ceteroquin comprobatur ex professo in tractatu de Deo creante; concludendum etiam erit supernaturalia esse tum principia habitualia a Deo homini infusa quibus homo habitualiter disponitur ad finem attingendum, tum principia actualia quorum ope elicit actus salutares quibus se disponit ad gratiam sanctificantem aut ejus augmentum

meretur, tum ipsos hos actus salutares. — Sequela est manifesta ex his quae in tractatu de Deo creante et elevante demonstrantur : ex eo nempe quod homo per peccatum originale non fuit laesus in pure naturalibus, adeoque quod instructus manet omnibus requisitis ad finem naturalem assequendum.

9. — Adversarii. Necessitatem gratiae divinae denegaverunt Gentiles, Judaei non pauci, nonnulli Gnostici seculi II[i], Pelagiani.

1. Gentiles philosophi qui de virtutibus et vitiis scripserunt, ignorant necessitatem gratiae ad virtutem colendam. Errant dupliciter, tum quia non distinguunt duos ordines actuum honestorum, naturalium scilicet et salutarium ; tum quia nullam agnoscunt necessitatem gratiae ad actus moraliter bonos. Sic Academici (1), Cicero (2), Seneca (3), Plotinus philosophus neo-platonicus, teste Porphyrio (4) ; demum, teste Augustinuo (5), omnes philosophi. — Attamen nonnulli censent excipiendos esse Platonem (6), Plutarchum (7), Maximum Tyrium (8), Ciceronem aientem « nemo vir magnus sine afflatu aliquo divino fuit» (9), Senecam ubi scribit « bonus vir sine Deo nemo est » (10), Marcum Aurelium Antoninum qui dicere non dubitavit « esse quamdam in Deo virtutem, quae in nobis agit, quae in omnes nostras actiones operatur, quaeque omnes a nobis removet actiones, quae in crimen nos detrudere possent. »

2. Judaei non pauci ad christianismum conversi erraverunt duplici-

(1) Teste Tullio (l. IV, *Acad. quaest.* c. XXXVIII), academici contendebant omnia in nostra postestate esse. Hinc Cotta (l. III *De nat. deor.* c. LXXXVII) ait : « De virtute recte gloriamur : quod non contingeret, si id donum a Deo, non a nobis haberemus. Num quis quod bonus vir esset gratias Diis egit unquam » ?

(2) CICERO testatur esse persuasionem atque confessionem omnium ceteras res omnes illis acceptas referendas esse praeter virtutem : hanc habere quemque a se, non a Deo. *De nat. deor.* l. III, c. LXIII. — In *quaest. Tuscul.* (l. III, c. II) inquit « esse ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret, » et addit de Philosophia : « Tradamus nos ei curandos, sanabimur, si volumus. »

(3) SENECA : « Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum : ille naturae beneficio non suo sapiens est. »

(4) PORPHYR. « Adeo superbiebat Plotinus, ut diceret : Non ego is sum, qui Deos quaerere debeam, sed Dii meipsum quaerere debent. » *Vita Plotini.*

(5) AUGUST. « Omnes philosophi hujus mundi hoc vehementer egerunt, ut putarentur vel putarent, sibi beatam vitam virtute propria voluntatis efficere. » *Epist.* CVI.

(6) PLATO : « Divina sorte adesse virtutem, cuicumque adest, apparet. » *In Menone.*

(7) PLUTARCH. « Deorum gentem per se propitiam, et nullius mali auctorem esse arbitramur. » *In Pericle.*

(8) MAX. TYR. Docet « bonum obtingere nullum, ad quod non stimulenter (homines) a Deo. » *Serm.* XXII.

(9) CICERO, *De nat. deor.* l. II, c. XVI.

(10) SENECA. *Epist.* XLI.

ter circa gratiam : a) Alii negabant gratiam Christi sufficere ad salutem sine observatione legis mosaicae. Contra eos scripsit Paulus epistolam ad Galatas. b) Alii, de meritis legis mosaicae superbientes, affirmabant gratiam evangelii tamquam mercedem deberi observationi naturali istius legis. Adversus hos scripsit Pualus epistolam ad Romanos. — Uterque error refutatur inter disputationes de gratia habituali.

3. Inter Gnosticos nonnulli, v. g. Carpocrates, Basilides, transfusionem peccati originalis negantes, necessitatem gratiae medicinalis pariter denegaverunt.

4. Pelagiani. Pelagius, ortus in Britannia majori, dicitur fuisse monachus, attamen non erat sacerdos, siquidem laicus vocatur tum ab Orosio (1), tum a Zosimo P. (2); ab Augustino dicitur fuisse vir ingenio fortissimo, celerrimo, acutissimo (3); ab Orosio mensarum minister, balneis epulisque nutritus, latos humeros gestans robustamque cervicem, praeferens etiam in fronte pinguedinem (4). Anno 405 Romae degens coepit errores gravissimos contra necessitatem et possibilitatem gratiae divinae edocere. Non semper idem proposuit; impugnatus enim a catholicis eorumque argumentis pressus, coactum se vidit doctrinam emollire et retinere nomen gratiae ut aliqualem explicationem multorum locorum Scripturae tentare posset. Inde necesse est distinguere varia stadia :

In primo stadio sequentia propugnabat : a) Homo nascitur ornatus eisdem donis quibus ornati sunt protoparentes. Inde Adam factus est a Deo mortalis, passibilis, obnoxius concupiscentiae. Inde etiam homo nascitur in statu innocentiae, sine ullo peccato originali. Isti errores refutantur in tractatu *de Deo creante et elevante.* — b) Adam et posteri, creati ut Deum olim videant, debent observare Dei legem, colere virtutem, vitare peccatum et superare tentationes. Haec vero ab homine effici valent solis naturae viribus. Inde falsum dicebat id quod propugnabat Augustinus, approbante universa Ecclesia, scilicet α) physice necessarium esse auxilium gratiae divinae ad omnem actum salutarem; β) moraliter necessariam esse Dei gratiam ad diu observandam legem divinam, vitato omni peccato lethali, et ad vincendas tentationes graviter hominem ad peccandum sollicitantes.

In secundo stadio, ad avertenda anathemata Ecclesiae et explicanda Scripturarum loca quae ei objiciebantur, visus est admittere necessi-

(1) Orosius, *Apol.* c. III. — (2) Zosimus, *Epist.* II *ad Afric.* — (3) August. *De nat. et gr.* — (4) Orosius, *Apol.* c. XXVI.

tatem gratiae ad obtinendam aeternam salutem, verum per gratiam intelligebat ipsam *naturam* ejusque liberum arbitrium gratuito, sine praecedentibus meritis, homini concessa. Distinguebat nempe possibilitatem in natura consistentem, voluntatem (h. e. volitionem) et actionem; possibilitatem aiebat a Deo dari, velle et agere naturae viribus esse adscribenda (1).

In tertio stadio, aliam Christi gratiam agnoscebat, *externam* nempe et sitam in *lege,* in *revelatione* atque in *doctrina* et *exemplis* Christi. Quia mores corrupti erant, ait, ideo data est lex, et Verbum est homo factum. In his reponebat gratiam gratuitam et proprie dictam de qua Scriptura loquitur (2).

In quarto stadio, argumentis catholicorum pressus, admisit aliquam gratiam *interiorem intellectus* qua illustratur intellectus et intelligentia mandatorum aperitur, proindeque voluntas mediate ad bonum movetur (3). Attamen, rejecta necessitate istius gratiae, solam *utilitatem* admittebat ad facilius peragenda opera pietatis (4); deinde affirmabat gratiam istam intellectus *deberi naturae meritis,* secus Deum fore acceptorem personarum (5); insuper constanter rejiciebat *gratiam immediatam voluntatis,* aiens perimi libertatem arbitrii, si in aliquo ordine necessarium foret Dei adjutorium ad honeste operandum (6).

(1) Cf. Aug. *De gr. Chr.* cc. iii, iv, v, M. XLIV, 361 sqq.

(2) Cf Conc. Carthag. anno 412 celebratum : « Asserunt (Pelagiani) in eo gratiam Dei deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quae, per propriam voluntatem, legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam sive in litteris datam. »

(3) August. « Adjuvat nos Deus, ait Pelagius, per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi et ineffabili dono caelestis gratiae illuminat. » Op. cit. c. vii. M. XLIV, 364.

(4) Id. « Pelagius a fratribus increpatus quod nihil tribueret adjutorio gratiae ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio praeponeret, sed infideli calliditate supponeret. dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quae facere per liberum jubentur arbitrium. facilius possint implere per gratiam. » *De haer.* lxxxviii.

(5) Id. « Cum fuerint convicti non defensores, sed inflatores et praecipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinae legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quae per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur : cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt ut quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim, etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur ; tamen secundum merita bonae voluntatis datur : quia bona voluntas, inquiunt, praecedit orantis. quam praecessit voluntas credentis, ut secundum haec merita gratia sequatur exaudientis Dei. » *De gr. et lib. arb.* c. xiv, 27. M. XLIV, 897.

(6) Aug. « An credat aliquod adjutorium bene agendi, adjunctum naturae atque doctrinae per inspirationem flagrantissimae et luminosissimae caritatis, non apparet omnino. » *De gr. Chr.* c. xxxv. M. XLIV, 378.

PELAGIANISMUM PRAEFORMARUNT :

1. Seculo III, Origenes qui creditur attenuasse necessitatem gratiae et exaltasse vires arbitrii. S. Hieronymus vocat Pelagianismum « Origenis ramusculum » et Origenem « pelagiani erroris principem » (1). Alii tamen Origenem ab hoc errore excusant; alii tandem eum semi-pelagianismo praeivisse ferunt.

2. Seculo IV, Theodorus Mopsuestiae episcopus, qui negabat divinitatem Christi peccatumque originale, asserebatque Christum non profuisse nisi exemplo et magisterio.

3. Rufinus presbyter. Constat tum ex Mario Mercatore (2), tum quia Coelestius apud Augustinum asserit se doctrinam ex Rufino hausisse. — Quisnam sit iste Rufinus, disputatur inter criticos (3).

PELAGIO ADHAESERUNT : 1. *Tempore Pelagii :* a) Coelestius qui sacerdotio initiatus est Ephesi, postquam frustra petierat Carthagine illo ornari ; b) Julianus, episcopus Ecclanensis. — 2. *Aetatibus sequentibus :* a) Sociniani qui, duce Fausto Socino, senensi viro seculi XIVi, divinitatem J. C., dogma P. O. et gratiam denegarunt. b) Armeniani, sectarii in Hollandia, qui, secessione facta a Calvinistis, nomen traxerunt ab Armenio, professore theologiae Lugduni Batavorum. Post obitum Armenii dogmatibus Socinianorum prorsus adhaeserunt. c) Lutherani multi qui a doctrina Lutheri recedentes ad Pelagianismum deflexerunt. Car. Frid. Bardt, referens opinionem recentissimo-

(1) HIERON. *Epist. ad Ctesiphontem.*

(2) MARIUS MERCATOR, *Comment. ad Pintam.*

(3) OBSERVA 1. Errat Thomassinus cum affirmat praecipuam controversiam Augustinum inter et Pelagianos non fuisse de gratia *actuali* sed de habituali. Licet juxta nonnullos Pelagius remissionem peccatorum constitueret in sola non imputatione, negata diffusione caritatis in cordibus hominum, tamen Augustinum non respexisse nisi errorem Pelagii de gratia actuali constat quia asserit nullum remanere dissertandi locum, si semel Pelagius concesserit hominem sine praeveniente et adjuvante gratia nec velle bonum salutis, nec operari posse (*De gr. Chr.* c. XLVIII). Deinde ipse s. Augustinus dicit Julianum gratiam confiteri habitualem eamque necessariam esse parvulis et adultis, ut liberum haberent in regnum Christi introitum.

OBSERVA 2. Errat Jansenius qui in l. V *de haer. Pelag.* c. XI contendit admisisse Pelagianos in ultimo suo stadio etiam gratiam voluntatis et operationis, sed talem, quae consistat cum indifferentia liberi arbitrii, eosque in hoc stadio ideo tamquam haereticos habitos fuisse, quia illam gratiam negabant, quam (ita Jansenius) s. Augustinus juxta Catholicae Ecclesiae fidem propugnavit, nempe gratiam quae cogeret voluntatem ineluctabili necessitate ad agendum. Contrarium enim liquido constat ex verbis Augustini ita Julianum alloquentis : « Non itaque sicut, te atque alios fallens, loqueris, si quis liberum in hominibus arbitrium dixerit, Coelestianus et Pelagianus vocatur ; istud quippe catholica fides dicit : sed si quis ad colendum recte Deum sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, ipse Coelestianus et Pelagianus vocatur.»

De Pelagianis et Semipel. vide, sis, SUAR. *De Gratia, Proleg.* Vm, CC. V, VI ; LIV. DE MEYER tum in l. *de Pelag. et Massil. erroribus,* tum in *Hist. congr. de aux.* l. V, c. III.

rum inter Protestantes reformatorum, ait : « omnem gratiam Dei, scilicet omnia Dei beneficia, esse naturalia dicunt, illuminationemque veram ex solo usu rationis provenire, quem Spiritum Dei et Christi esse contendunt » (1). d) Rationalistae omnes, qui non modo necessitatem, sed immo possibilitatem gratiae denegarunt, asseverantes nempe id tantum esse verum quod ratione sibi relicta intelligi potest, idque tantum esse bonum quod voluntas nativa vi assequi valet.

10. — Defensores gratiae. 1. *Definiverunt necessitatem gratiae* internae ad singula opera salutaria, inter viginti quatuor concilia quae in causa Pelagianorum celebrata sunt : a) Diospolitanum (seu Lyddae in Palaestina a° 415), in quo rejecta quidem fuit doctrina Pelagii, ipse vero Pelagius, cum fidem orthodoxam simularet, in communionem est receptus (2); b) Carthaginiense (a° 416); c) Milevitanum (cfr. Denz. n. 64 sq.) cui interfuit Augustinus; d) Romanum (a° 417); e) plenarium Carthaginiense (a° 418) quod confirmavit canones Milevitanos; f) Ephesinum (a° 431) quod damnationem Pelagianorum confirmavit, causa eorum non revocata ad examen, licet Pelagiani examen postulaverint.

2. Inter Romanos Pontifices pelagianismum damnarunt : a) Innocentius I (401-417) tum in epistola ad episcopos Concilii Carthaginiensis (3); tum in epistola ad Patres Milevitanos, ubi approbat canones Milevitanos (4); tum in epistola ad Aurelium, Alypium, Augustinum, Evodium, Possidium (5); b) Zosimus P. (417) qui probavit canones Concilii plenarii Carthaginiensis in Tractatoria in totum orbem missa (6); c) Caelestinus P. I (a° 432) in epistola ad episcopos Galliae, c. IX (7).

Praeterea errores Pelagii damnarunt concilia habita in causam Semipelagianorum et Lutheranorum, potissimum Arausicanum II et Tridentinum (sess. VI, can. 1, 2) (8).

---

(1) KANT in *Relig intra termin. ration.* scribit : « De gratiae divinae operationibus nihil aliud scimus, nisi quod absolute dari possint, et forte ad supplendam in nostris exercendae virtutis conatibus imperfectionem etiam reapse dentur, ceterum autem notio supernaturalis auxilii divini transcendentalis idea est de cujus realitate nulla sensuum experientia certi reddimur, et quae cum practica ratione componi non potest. »

(2) Cfr. HÉFELÉ, *Hist. des Conc.* t. II, l. VIII, § 118, p. 282 sq.

(3) M. XXXIII, 779; ib. LVI, 458; ib. XL, 582; COUSTANT, p. 887; MANSI III, 1071.

(4) M. XXXIII, 783; ib. L, 467; ib. XX, 588; XLV, 1714; COUSTANT, p. 895; MANSI, III, 1075.

(5) M. XXXIII, 736; LVI, 482; XX, 590; XLV, 1714: COUSTANT, p. 900; MANSI III, 1078.

(6) M. XX, 693; COUSTANT, p. 997. Cfr. M. XLVIII, 90 et 78; LI, 271.

(7) DENZ. n. 93. M. LI, 201. Cfr. M. L, 528 et XLV, 1755; COUSTANT, 1185; MANSI, IV, 454.

(8) Cfr. SUAR. *de gr.* Proleg. VI *De scriptis probatam de gratia doctrinam continentibus.*

3. Inter Doctores et Patres aliosque viros ecclesiasticos orthodoxam fidem propugnaverunt : a) duo episcopi Galliae, Eros et Lazarus qui in Palaestinam sunt profecti ut adversus Pelagium disputarent ; b) Germanus (Aetiss.), Lupus (Trecensis) et Severus (Trevirensis), qui Britanniam petierunt ut exstirparent pelagianismum ; c) potissimum Hieronymus (1), Orosius, Sixtus et Marius Mercator ; d) denique Augustinus, qui zelo suo, ingenio, fructu et successu meruit nomen *doctoris gratiae,* et, quo duce, ait Prosper (2), catholica acies contra inimicos gratiae pugnavit et triumphavit (3).

§ 2. Refellitur Pelagianismus.

THESIS Ia. — Homo physice et intrinsecus est incapax eliciendi solis naturae viribus ullum actum qui ad salutem conducat. Quamobrem ad omne opus salutare absolute requiritur gratia interna supernaturalis.

Thesis est de fide definita ex Concilio Milevitano a° 418, Arausicano II a° 520 can. 7, et Tridentino sess. VIa, can. 3.

11. — Explicantur termini. — 1. Est *impotens :* a) *Physice* : Impotentia physica contradistinguitur ab impotentia morali, consistitque in eo quod habetur non modo difficultas, sed omni modo impossibilitas.

b) *Intrinsecus* opponitur ad *extrinsecus.* Impossibilitas nempe non oritur ex defectu alicujus extrinseci absolute requisiti ad agendum,

(1) *Opera* Hieronymi *contra Pelagium.* Anno 411 : a) *ep.* XXXII al. LXVII *ad Marcellin ;* b) *ep. ad Ctesiphontem.* Anno 415 : *dial inter Atticuum et Critobulum.* — Anno 419 : *epistolae ad Alipium et s. Aug.* Insuper hunc errorem impugnat in praefationibus ad libros quatuor in Jeremiam.

(2) Prosper, *Contra Collatorem,* initio.

(3) *Opera* Augustini *contra Pelagianos et Semipelagianos.* Anno 412 : a) Tres libri *de pecc. mer. et remiss.* M. XLIV, 109 ; b) liber *de sp. et litt.* M. XLIV, 199. — Anno 415 : l. *de natura et gr.* M. XLIV 247. — Anno 417 : a) *sermo 2us de verbis Apostoli ;* b) l. *de gestis Pelagii :* M. XLIV, 319. — Anno 418 : a) *Duae epistolae ad Sixtum presb.* qui postea fuit R. P. M. XXXIII, 867 ; b) l. de *gratia Christi et de pecc. orig.* M. XLIV, 359. Circa idem tempus, ll. *de nupt. et concup.* M. XLIV, 415. — Anno 420 : *quatuor libri ad Bonifacium adv. 2 ep. Pel.* M. XLIV, 549. - Anno 421 : a) *Enchiridion ad Laurentium.* M. XLIV, 231 ; b) *Sex libri adv. Julianum :* M. XLIV, 641. — Anno 424 : *libri de gratia et libero arbitrio :* M. XLIV, 881. — Anno 425 : *l. de correpl. et gratia.* M. XLIV, 915. — Anno 428 : a) *opus imperfectum contra Julianum :* M. XLV, 1049. quo tempore opera sua retractabat ; b) *l. de haeresibus* : M. XLII, 47. — Anno 429 : *l. de praedestinatione sanctorum :* M. XLIV, 959 et *l. de dono perseverantiae :* M. XLV, 993. Hi duo libri scripti sunt adversus Semipelagianos.

Insuper citari merentur a) *epist. PP. Conc. Carth. Innocentio P. de actis adv. Pel et Cael.* (inter ep. Aug. clxxv : M. XXXIII, 758). — b) *Epist. Aurelii Aug. et trium aliorum Innocentio P. de Pelag.* (ep. clxxvi Aug. M XXXIII, 764). — c) *Epist. PP. Milevil. Innocentio de Pel.* (clxxvi inter ep. Aug. M. XXXIII, 762). — d) *Epist.* clxxvii *Aug. ad Hil.* (M. XXXIII, 772). — e) *Epist.* clxxix *Aug. Johanni ep. Hier.* M. XXXIII, 774.

sed ex defectu intrinseci, nempe ex defectu proportionis entitativae inter facultatem naturalem sibi relictam et actum salutarum.

2. *Actus qui ad salutem conducat,* quo nempe homo aut meretur aut positive se disponit ad gratiam sanctificantem aut ad gloriam.

3. *De gratia :* a) *Gratia* in genere est donum indebitum, adeoque gratuito a Deo consessum.

b) *Interna :* Donum a Deo infusum in anima. — Contradistinguitur a gratia *externa,* puta ab Incarnatione, Ecclesia, praedicatione Evangelii.

c) *Supernaturalis :* Donum indebitum hominem perficiens ultra suum ordinem, adeoque non pertinens ad ordinem bonorum quae exiguntur ab homine. — Contradistinguitur a gratia *naturali,* quae est donum *in individuo* quidem indebitum homini, sed contentum intra ordinem donorum naturalium, adeoque non perficiens hominem ultra suum ordinem, seu non elevans eum ad altiorem statum. — Non modo olim Pelagiani, sed adhuc nostra aetate ii theologi protestantes qui vocantur liberales negant supernaturalem elevationem hominis, negant peccatum originale, negant satisfactionem Christi qui nihil aliud praestitit secundum ipsos nisi perfectum exemplum purae religionis (1).

d) *Actualis:* Auxilium Dei indebitum beneficio cujus homo elicit actum salutarem et quod huic actui confert supernaturalitatem. — Contradistinguitur a gratia *habituali* quae homini permanenter inhaeret tamquam ornamentum animae.

Observa. Secunda pars sequitur tamquam corollarium ad tres veritates, quarum prima enunciatur parte prima; secunda vero in tractatu de Deo creante est comprobata, sc. hominem per P. O. non fuisse laesum in pure naturalibus, adeoque eum praeditum esse omnibus requisitis ad attingendum finem naturae proportionatum; tertia demum in tractatu de novissimis, sc. in praesenti ordine hominem a Deo fuisse ordinatum ad finem supernaturalem ad quem se disponere debet adultus actibus salutaribus.

12. — Probatio I^a^. Ex Scripturis. I^m^ Arg. Omnes actus salutares reducuntur ad unum ex his tribus: agere, velle, cogitare. Atqui secundum Scripturam homo est physice et intrinsecus incapax salutariter agendi, volendi, cogitandi. Ergo.

A. *Homo est ex se physice et intrinsecus incapax salutariter agendi.*

(1) Cfr. Dorner, *Gesch. d. protest. Theol.* 874; A. Ritschl, *Rechtfertigung und Versöhnung* III, 310 sq.

Probatur ex Joh. xv, 1-5 : « Ego sum vitis vera : et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes; et arescet, et colligent eum et in ignem mittent et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis et fiet vobis. » — Principaliter arguitur ex verbis *sine me nihil potestis facere,* quorum sensus est determinandus.

Verba Christi sunt intelligenda uno ex sequentibus modis: a) « Nisi sitis uniti mecum in eadem doctrina, nullum fructum feretis per apostolatum vestrum.» Tunc citata pericopa dicetur respicere solos apostolos et eorum apostolatum. — b) « Sine concursu meo divino nullam actionem efficere valetis. » Tunc affirmatur necessitas concursus Dei ad omnem actionem causarum secundarum. — c) « Nisi maneatis in me, veluti palmites in vite, beneficio gratiae sanctificantis, nullum valetis edere opus meritorium regni caelestis. » Tunc non affirmatur nisi necessitas justitiae supernaturalis. — d) « Nisi maneatis in me mansione perfecta beneficio gratiae sanctificantis et gratiae actualis, nullum edetis opus meritorium regni caelorum, et nisi peccatores maneant in me mansione inchoata et imperfecta beneficio gratiae actualis a me ipsis communicatae, nullum edere valent opus salutare quo se disponant ad justificationem. » — Atqui, rejectis duabus interpretationibus prioribus tamquam falsis, rejecta etiam interpretatione tertia veluti incompleta, retinenda est ultima interpretatio. Ergo.

Prob. 1ª pars min. Non agitur *de actu apostolis proprio.*

In tantum ageretur de actu apostolis proprio, in quantum materia de qua Christus loquitur esset *propria apostolis,* non autem communis omnibus : Christus enim in apostolis informabat Ecclesiam; alia, ad eos dicta, diriguntur ad eos solos, alia ad eos quidem immediate, mediate autem ad successores aut ad omnes fideles. Ex consueta ratione agendi Christi, ad omnes fideles diriguntur verba quae proponunt praeceptum aut bonum omnibus commune. — Atqui materia de qua Christus loquitur est communis omnibus. Ergo.

Prob. min. In capite praecedenti (vv. 21-23) Christus hortatus erat

apostolos et iis praeceperat ut ipsum diligerent ; promittit se adventurum esse in cordibus diligentium se et mansurum apud illos. — Post pericopam, e qua trahitur argumentum, idem per modum conclusionis proponitur (XV, 9-14). — In pericopa, vi nexus cum praecedentibus et sequentibus, vi sensus obvii, idem repetitur et adjungitur motivum urgens : « Sine me nihil potestis facere », h. e. nisi in me manseritis et virtutem agendi a me receperitis, nullum fructum valetis colligere. » — Unde sic : Christus agit de necessitate caritatis et mansionis in ipso (aut de sola perfecta mansione et caritate, aut etiam de imperfecta et inchoata). Atqui haec materia est communis omnibus. Ergo.

Prob. 2ª pars min. Non agitur de *actu naturali*. Agi in hac pericopa de actu *salutari* manifeste patet ex contexta oratione. Christus enim se distinguit a Patre suo aiens : « Ego sum vitis... Pater meus agricola est » ; loquitur ad apostolos tamquam salvator, sanctificator, justificator, influens vitam supernam ; jamvero Christus, qua redemptor et sanctificator non influit in membra nisi in ordine salutari. — Idem colligitur ex Augustino et variis conciliis modo afferendis.

Prob. 3ª et 4ª pars min. Influxus Christi, sine quo nihil possumus facere, non tantum est influxus gratiae sanctificantis, *sed adhuc influxus gratiae actualis tam pro peccatoribus quam pro justis.*

a) Exprimitur his verbis *necessitas gratiae sanctificantis ad hoc ut opera sint meritoria regni caelorum.* Vi enim contextus verba *sine me* etc. faciunt hunc sensum : *nisi maneatis in me veluti palmites in vite* et influxum meum recipiatis, nihil potestis facere quo fructum feratis. Porro mansio denotat statum ; istum autem statum, ubi saltem est perfectus seu consummatus per modum mansionis perfectae, esse statum gratiae sanctificantis constat tum ex v. 3 « jam vos mundi estis », tum ex v. 9 « sicut dilexit me Pater et ego dilexi vos, manete in dilectione mea ; si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea », tum ex interpretatione Tridentini (sess. VI, c. XVI).

b) Eisdem verbis exprimitur *necessitas gratiae actualis ad hoc ut opera justorum sint meritoria regni caelorum.* Id enim colligitur ex ipsis verbis Christi et ex interpretatione Tridentini. α) *Ex verbis Christi.* Uti enim palmites ex vite hauriunt succum vi cujus operantur et ferunt fructus, sic qui manent in Christo accipiunt ab eo virtutem qua agunt opera meritoria regni caelorum ; sed gratia santificans non est habitus operativus sed ornativus ; qui itaque in Christo manent, accipiunt ab eo, praeter gratiam sanctificantem, aliam virtutem quae influit in eorum operibus supernaturalitatem. — β) *Ex Tridentino.* In sessione enim

VI_a, cap. XVI, asserit justos satisfacere posse legi divinae et promereri vitam aeternam suo tempore consequendam, ratio autem petitur ex eo quod Christus Jesus, tamquam caput in membra et vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possunt. Profecto virtus, quae in jam justificatos jugiter influitur, est distincta a gratia sanctificante, virtus quae antecedit et comitatur opus bonum, est gratia actualis qua opera elevantur ad statum supernaturalem.

c) Demum eisdem verbis exprimitur *necessitas gratiae actualis ad hoc ut peccatores se disponant ad receptionem justitiae.* Beneficio hujus influxus inchoative manent in vite et se disponunt ad mansionem consummatam. Non tantum enim verba Christi, utpote omnimode generalia, permittunt et suadent hanc interpretationem, verum adhuc universa traditio, ad cujus normam interpretanda est Scriptura quoties agitur de rebus fidei et morum, intelligit hunc influxum non modo de gratia sanctificante sed adhuc de gratia actuali necessaria ad actus salutares non tantum justorum sed etiam peccatorum. Ubi enim loquuntur Patres de necessitate hujus gratiae ad actus salutares peccatorum, solent provocare ad Joh. XV, 5. Id speciatim elucescit tum ex Milevitani canone 5° (Denz. n. 69), generaliter aiente gratiam actualem, quae gratiae dicitur justificationis quia ad justitiam ducit, esse physice necessariam ut salutariter observetur lex divina et illud comprobante ex Joh. XV, 5; tum ex Arausicani canone 7° (Denz. n. 150) invocante eadem verba ad ostendendum gratiam exigi ad credendum salutariter; tum ex Augustino (1).

B. *Homo ex se est physice incapax salutariter volendi.*

Probatur ex epistola Pauli ad Philipp. II, 12, 13 : « Itaque carisimi mei... non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Deus est enim qui operatur in vobis velle et perficere* (τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, velle et operari, seu velle actum et eum perficere) *pro bona voluntate.* »

(1) AUG. « Ne quisque putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso colligere, non ait quia sine me *parum* potestis facere, sed sine me *nihil* potestis facere. Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola ut plus afferat; tamen nisi in vite manserit et vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non praeberet, nisi etiam Deus esset. » *Tract.* LXXXI *in Joh.* n. 5.

Paulus hortatur Philippenses ut pergant, ipso absente, obedire Deo et salutem operari. Quo alacrius id praestent, in memoriam revocat eos adjutorem habere Deum, quippe qui operatur in animo voluntatem bonam et exsecutionem. — Probatur affirmari necessitatem gratiae ad salutariter agendum et volendum :

a) Juxta Paulum quoties homo vult actum salutarem eumque facit, toties Deus in eo operatur, non quidem ea ratione qua concursum suum praestat cuicumque agenti, sed ratione prorsus speciali. Atqui hoc falsificatur, nisi gratia Dei supernaturalis sit absolute necessaria ad salutariter agendum aut volendum, adeoque nisi homo sit physice et intrinsecus incapax edendi solis naturae viribus volitionem salutarem. Ergo.

b) Concilium Arausicanum II^{m} in canone 4° (Denz. 147) probat ex his verbis Deum non exspectare voluntatem nostram, sed per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nobis efficere ut velimus.

c) Interpretes Scripturae citata verba de gratiae necessitate intelligunt. Inter eos Beelen, qui commentario in hoc loco : « Itaque, ait, erravit Pelagius dum docuit et *velle* opus salutare et *operari* illud, utrumque esse ex nobis, nec ad haec opus esse gratia Dei. Cum ergo ex doctrina Apostoli etiam *velle* nostrum in re salutis acceptum referri debeat *speciali* illi Dei operationi, minime confundendae cum *generali* illo, ut vocant, *concursu,* imprimis valet praesens locus ad probandam eam gratiam, quam theologi vocare solent gratiam *praevenientem* sive *excitantem,* qua nempe utraque animi potentia, et intellectus et voluntas, divinitus afficitur. »

C. *Homo ex se est physice impotens salutariter cogitandi.*

Probatur ex II Cor. III, 5 : « Non quod sufficientes simus (οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν) cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis ; sed sufficientia (ἡ ἱκανότης) nostra ex Deo est. » Postquam Paulus exposuerat fructus apostolatus sui inter Corinthios, et faman undique erumpentem, omnem operis gloriam in Deum refundit ; rationem dat quia ne cogitare quidem propriis viribus valet, sed sufficientiam divinitus accepit. — Ex hoc loco dupliciter colligitur intentum :

1. Vel Paulus asserit se absolute indigere auxilio Spiritus Sancti ut habeat cogitationem salutarem ; vel asserit se eo indigere ut inveniat modum aptum proponendi revelata et excitandi cogitationes, salutares. Atqui *si primum* admittitur, dicendum est ceteros haud minus indigere gratia ; *si secundum* tenetur, quae interpretatio vix non est certa, idem implicite asseritur. Ergo. — *Prob. altera pars.* Dicen-

dum est Paulum ex se esse incapacem excitandi cogitationes salutares, vel ideo quia ii, quibus praedicatur evangelium, indigent auxilio Spiritus Sancti ut praedicatio fiat efficax, juxta verba Pauli in I Cor. III, 7 non eum esse qui plantat aut rigat, sed Deum esse qui incrementum dat; vel ideo quia ipse Paulus indiget auxilio Spiritus Sancti. Jamvero si gratia est necessaria Paulo ad inveniendum quod salutariter proponat reliquis, nonne a fortiori est necessaria ceteris ut inveniant modum salutarem cogitandi?

2. Affirmari, explicite aut implicite, naturalem incapacitatem salutariter cogitandi constat interpretatione traditionali: a) Concilium Arausicanum can. 7 haec verba Pauli cum verbis Johannis « sine me nihil potestis facere », affert ad probandum neminem, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, per naturae vigorem bonum aliquod ad salutem pertinens, cogitare ut expedit aut eligere posse. — b) Augustinus verba Pauli de cogitatione salutari interpretatur (1) et ex citatis verbis concludit nullum opus salutare, etiam initium fidei, ex naturae viribus peti (2).

II^m Arg. Necessitas gratiae ad omne opus ad salutem conducens adhuc colligitur ex multis Scripturarum effatis quae in decursu hujus tractatus discutientur et quae heic commemorasse sufficiat, ne in immensum excrescat probatio hujus thesis. Partiri possunt in duas classes:

1. Alia Scripturae sacrae testimonia adscribunt dono gratiae: a) *salutem:* sic in epistola ad Eph. legitur: « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus » (II, 8 sq.). — b) *Fidem:* sic in Eph. l. c. et Phil. « Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. » (I, 29). — c) *Invocationem salutarem nominis Jesu:* sic in I Cor. legitur: « Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto » (XII, 3), et in ep. ad Rom.: « Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis » (VIII, 26). — d) *Opus bonum:* sic ad Phil.: « Qui coepit in vobus opus bonum, perficiet usque ad diem Christi Jesu » (I, 6). — e) *Caritatem:* sic ad Rom.: « Caritas Dei

(1) AUG. L. *ad Bonif. cont. duas epist. Pel.* l. II, c. VIII, nn. 18, 19. M. XLVI, 584. — (2) ID. *De praed. ss.* c. II, n. 5. Cfr. th. II, Arg. III ex Script., sub litt. C, n. 18.

diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (v, 5). — Atqui praefata adscribi nequeunt universaliter dono gratiae divinae, nisi gratia Dei actualis sit absolute necessaria ad omne opus salutare. Ergo.

2. Alia Scripturae testimonia astruunt totalem naturae humanae impotentiam ad efficiendum ullum opus salutare. Sic homines gratia destituti dicuntur a) *mortui* in peccatis (Eph. II, 1) ; — b) *caeci* (Eph. v, 8; Luc. IV, 19); — c) *tenebrae* (Matth. VI, 23 ; — d) *arbor mala* non valens gignere fructum bonum (Matth. VII, 18) ; — c) *exsistentes in carne quae non potest se subjicere legi* (Rom. VIII, 7) ; — f) *animales* (I Cor. II, 14). Atqui haec iterum falsificantur, nisi dicatur gratiam esse physice necessariam ad omnem actum salutarem. Ergo.

Praeterea comprobatur eadem thesis testimoniis specialibus quae modo afferentur ad ostendendum adversus Semipelagianos initium fidei esse attribuendum auxilio gratiae divinae.

13. — II^a Probatio. Ex Traditione. I^um Arg. Ex Conciliis. A. Ex Conciliis celebratis in causam Pelagii : 1. Concilium Diospolitanum damnavit articulum septimum Pelagii, his verbis conceptum : « Gratia Dei atque adjutorium non ad singulos actus datur, sed de libero est arbitrio, vel in lege atque doctrina : » quam heterodoxam propositionem Pelagius ejurare est jussus (1).

2. Concilium Milevitanum damnavit singula capita doctrinae Pelagii circa P. O. quod is deesse volebat, circa conditionem parvulorum sine baptismo morientium, circa capacitatem observandi totam legem divinam sine auxilio gratiae, demum circa capacitatem salutariter operandi sine auxilio gratiae. Ad ultimum errorem spectant canones tertius, quartus et quintus, ubi damnatur hic error secundum omnia stadia quae percurrit : Canon 3us declarat gratiam J. C. non tantum valere ad remissionem peccatorum antea commissorum, sed ad adjutorium ne committantur. Canon 4us declarat gratiam J. C. non tantum consistere in revelatione qua aperitur intelligentia mandatorum, sed adhuc praestare ut diligamus et valeamus facere quod faciendum cognoverimus. Canon 5us statuit gratiam conferre nobis ipsum posse implere mandata divina, nec tantum facilius posse. Cf. Denz. n. 67 sq.

B. Ex Concilio Arausicano a° 529 contra Semipelagianos celebrato et

(1) Cfr. Aug. *De gestis Pelagii*, c. XXIV.

a Bonifacio II confirmato, sufficiat citasse canonem 7 : « Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicae, praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... haeretico fallitur spiritu » (Denz. n. 150).

C. Concilium Tridentinum celebratum in causam Protestantium, sess. VI, can. 1. ait : « Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo ; anathema sit. » — Unde sic : Ex Tridentino homo ex se nequit justificari neque vitam aeternam potest mereri. Atqui qui potest per solas vires naturae salutariter operari, potest per easdem justificari et mereri vitam aeternam. Ergo. Ib. canone 3 : « Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut paenitare posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur ; anathema sit. »

D. Concilium Vaticanum definit necessitatem gratiae ut habeatur fides salutaris, etiam informis, ex quo argui potest a pari gratiam esse necessariam ad quemlibet actum salutarem, siquidem par est ratio. « Nemo evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operatur, donum Dei est » (Sess. III, c. III). « Si quis dixerit... ad solam fidem vivam quae per caritatem operatur gratiam Dei esse necessariam, A. S. » (ib. can. 5).

II^m Arg. Petitur EX ROMANIS PONTIFICIBUS. Adversus Pelagium et Caelestium declarant voluntatem sine adjutorio Dei nihil posse (in ordine ad salutem) : a) Innocentius P. I (1), b) Zosimus P. (2). Idem declarat post Zosimum c) Caelestinus I in epistola ad episcopos Galliae de semipelagianismo, ubi inquirit, exponit et iterum confirmat ea quae praedecessores sui de pelagianismo judicarint et de gratia censuerint

(1) INNOC. I : « Cum in omnibus divinis paginis voluntati liberae nonnisi adjutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nihil posse caelestibus praesidiis destitutam, quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter defendentes, sibimet, immo plurimis Pelagius Caelestiusque persuadent ! » In *ep. ad PP. Milevitanos.*

(2) ZOSIMUS : « In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus adjutor et protector orandus est : superbum est enim ut quidquam sibi humana natura praesumat. » *Epist. Tractat.*

esse tenenda (1). d) Idem demum quoque declarant Leo M. (2) et Gregorius M. (3).

III^m Arg. Ex Ecclesiae fideliumque orationibus, quo argumento utitur Concilium Carthaginense in epistola ad Innocentium n. 4 : « Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respicimus, quae ab apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente, postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut Judaeis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis paenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis caelestis misericordiae aula reseretur. Haec autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus. »

IV^m Arg. Petitur ex SS. Patribus. Patres uno ore professos esse necessitatem gratiae ad omne opus salutare, testatur Vincentius Lirinensis his verbis : « Quis umquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi praesumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret » (4). Cum thesis, quam demonstrandam aggressi sumus, sit fundamentum integrae hujus tractationis, haud inutile erat nonnulla testimonia in medio adducere, ut pateat veritas illius quod modo asserebat Vincentius.

1. Patres, qui ante Pelagium scripserunt, perspicue declarant necessarium esse auxilium Spiritus Sancti ut fructificemus, salutariter operemur ; hominem perpetuo egere auxilio divino ; omnia bona esse

(1) Caelestinus I : « Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonae voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. » Cap. IX. Denz. n. 93.

(2) Leo M. « Bonorum operum et spiritualium studiorum Deum auctorem esse, non dubium est, qui quorum incitat mentes, adjuvat actiones. » In *ep.* LXI *ad Mart. et Faust. presb.*

(3) Greg. M. « Ad dona assurgere perfecte non possumus, nisi Sanctus Spiritus et praeveniendo elevet, et subsequendo confortet. » L. I in *Ezech.* et l. VII. — Idem ait : « Illius nobis virtus quaerenda est et gratia postulanda sine quo nusquam absque culpa, cum quo nusquam sine justitia. » *Epist.* l. VII, ep. IV.

(4) Vinc. Lirin. *Commonit.* C. XXIV.

attribuenda Deo, ob ipsius auxilium. Sic a) Irenaeus (1), b) Origenes (2), c) Cyprianus (3), d) Athanasius in illa verba : « Adjuva me et salvus ero » (4), e) Hilarius qui necessitatem gratiae in humanae infirmitatis magnitudine fundat et concludit dicens « nullus est nobis relictus locus gloriandi, recordantibus omnia ex Deo esse, » f) Basilius (5), g) Nazianzenus (6), h) Ephrem (7), i) Chrysosto-

(1) Irenaeus : « Dominus pollicitus est mittere Paracletum qui nos aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Christo poteramus sine aqua, quae de caelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat ; sic et nos lignum aridum exsistentes primum, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia. » *Adv. haeresos* l. III, c. xvii, n. 2. — « Quapropter necessarius est nobis ros Dei, ut non comburamur, neque infructuosi efficiamur. » (n. 3). — « Non a nobis, sed a Deo est bonum salutis nostrae. » Ib. n. 20.

(2) Origenes : « Nullus umquam bonum aliquod sine gratia operatus est. » L. VI. *Cont. Cels.* Ib. l. VII : « Sinus illius adjutorio Deum quaerere et invenire non valemus. »—*Hom.* xii *in Josue :* « De victoria nemo se jactavit, nemo suae virtuti quia superavit, adscripsit ; sed scientes, quia Jesus est, qui victoriam tribuit, ipsi in lingua sua non mutiunt. Quod bene intelligens Apostolus dicebat : « Non autem ego, sed gratia Dei, quae in me est. »

(3) Cyprianus : « Dicimus : « Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra, » non, ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult... oramus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quae ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope ejus et protectione ; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est... » L. III. *Testim.* c. iv, 47. — « In nullo gloriandum est, quando nostrum nihil sit. » Idem in l. III. — « Nemo potest accipere quidquam nisi fuerit ei datum de caelo » In *explicat. orat. dom.*

(4) Athanasius : « Etiamsi adjutor et susceptor meus es tu, at indesinenti auxilio opus est. Quanto enim tempore hic sumus, nondum perfectum est illud : salvus ero. » In illa verba : *Adjuva me et salvus ero.* In Ps. cxviii, cxvii.

(5) Basil. In illa verba : « Domine ! in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem, » disserens de animae decore et virtute, inquit : « Ad utramque divina gratia indigemus, tum ut anima pulchritudine ornetur, tum ut virtute officia sua implendi instruatur. » *Hom. in ps.* xxix. — *Hom. de humilit.* n. 4, haec habet : « Quid igitur, dic, quaeso, te ipse quasi de suis ipsius bonis effers, cum deberes pro acceptis donis gratiam largitori habere ? quid enim habes, quod non accepisti ? non tu Deum cognovisti per tuam justitiam ; sed Deus cognovit te propter suam bonitatem. »

(6) Nazianz. In verba : « Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei ; » ita praeclare disserit : « Quoniam nonnulli sunt, qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam Creatori et sapientiae eorum auctori ac bonorum omnium suppeditatori acceptum fuerant, his verbis eos docet Paulus, quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat ; immo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa et electio eorum, quae recta et cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Quod enim salvamur, id et a nobis, et a Deo esse oportet. » *Or.* xxxvii, n. 3.

(7) S. Ephrem ita Deum alloquitur. « Donum tuum perdidi, et ideo perfectam prudentiam non habeo. Perdidi consuetudinem tuam, et idcirco, quo vadam, ignoro. Nihil ergo habeo, et si quid habeo, tu mihi illud dedisti... Solummodo gratiam deposco, confitens, quod per te servabor, si quidem servabor. » (*Serm. de pret. margar.*). — Gratiae necessitatem his verbis praedicat : « Illa tibi naviganti nisi adfuerit, vani labores tui erunt. Hac nisi adversus inimicos tuos inunctus fueris, multis frustra susceptis laboribus turpiter victus lugebis Illam nisi sociam habueris, dolos serpentis ignorabis. » (*Serm. de gratia.*)

mus (1), j) Ambrosius (2). — Eamdem veritatem propugnant 2° Patres qui cum Pelagio digladiati sunt: a) Hieronymus (3), b) Augustinus (4).

14. — Probatio tertia. Ex ratione theologica. Ita proponitur a doctore Angelico: « Actus perducentes ad finem oportet esse fini proportionatos : nullus autem actus excedit proportionem principii activi. et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res potest perficere effectum per suam operationem, qui excedat virtutem activam... Vita autem aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae, et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae, sed ad hoc requiritur altior virtus, quae est virtus gratiae » (5). Licet s. Thomas non loquatur nisi de actibus meritoriis regni caelorum, eadem ratio valet de omni actu salutari.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

15. — Obj. 1°. Opus meritorium amicitiae divinae et regni caelorum est salutare. Atqui gratia interna non est necessaria ad hoc opus. Ergo.

---

(1) CHRYSOST. in *hom.* XXV *in Genes.* : « Neque enim possibile est, bonum aliquod nos recte agere non adjutos superna gratia. » — *Hom. in Ps.* CLXII, n. 5 : « Superna ope et caelesti doctrina opus est, ut incedamus via, quae ducit ad virtutem : non nobis in otio degentibus, sed quae sunt nostra conferentibus » — *Hom.* XIV *in epist. ad Rom.* exponens verba : « Spiritus adjuvat infirmitatem nostram » subdit : « Ut discas, non in laboribus tantum et periculis tibi gratiam adesse, sed etiam in iis, quae faciliora videntur, tecum cooperari, subjungit (Apostolus) : « nam quid ut oportet oremus, nescimus. »

(2) AMBROS. in l. I. *de Cain et Abel*, x, 15 : « Quidquid sanctum cogitaverimus, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia. » — In *epist.* LXXIV : « Plene et veraciter confitenda est gratia Dei, de cujus hoc primum munere est, ut auxilium ipsius sentiatur. Propter quod dicit Apostolus : « Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. » Unde si quis est, qui aliqua se habere existimat bona quorum non Deus sit largitor, sed ipse sibi auctor exsistat, manifestum est, hunc non spiritum Dei habere, sed mundi. »

(3) HIERON. in *ep.* CXXXIII al. XLIII, n. 3 *ad Ctesiph.* n. 6 : « Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum; dicit enim Apostolus : « Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere. » Et Salvator in Evangelio : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor. » Semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit. » — L. II *in Thren.* c. III : « Dominus illuminatio mea, et salus mea! Contra ignorantiae tenebras illuminatio, contra infirmitatem vero salus est Dominus, quando ostendit quid debeat ad agendum appeti, et vires praebet, ut quod ostenderat, possit impleri. »

(4) AUGUST. in l. *de gr. Chr.* : « Gratiam Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam fieri posse non dubitet. » — L. *de gr. et lib. arb.* « Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus » Cf. *De gr. Chr.* n. 27 M.XLIV, 374; L. *de gr. et lib. arb.* c. XVII, n. 33. M. XLIV, 901.

(5) S. TH. Ia IIae, q. CIX, a. 5.

Prob. min. Multi sunt loci Scripturarum ubi amicitia Dei, regnum caelorum repromittuntur bonis hominum operibus et ubi nulla fit mentio gratiae quae foret necessaria ad reddenda ista opera meritoria. Sic apud Matthaeum cap. xv° supremus judex aeternam mercedem confert ob varia opera misericordiae. Ergo gratia non est necessaria ad opus meritorium regni caelorum.

Resp. Deprehenditur in Scripturis duplex series testimoniorum : alia nempe asseverant hominem nihil posse in ordine salutari, aut opera salutaria adscribunt dono gratiae, nulla facta mentione liberae hominum cooperationis ; alia vero nonnisi operationem hominum commemorant, nulla facta mentione gratiae. Conciliantur inter se varia haec loca dicendo ad omne opus salutare exigi cooperationem duarum causarum, voluntatis humanae et Dei gratiae, adeoque utramque locorum seriem agere de una causa cum praecisione alterius causae, non verum cum ejusdem exclusione. Porro ratio propter quam in aliis quidem locis de sola gratia fit sermo est ut commendetur excellentia et necessitas gratiae ; ratio vero, propter quam in aliis locis de sola efficientia hominis agitur, est quia omnibus praesto est gratia divina adeo ut jactura salutis tribuenda sit soli defectui cooperationis humanae et quia scopus Scripturae in iisdem locis solet esse ut exhortetur homines ad prosequendum active negotium salutis. —Inde *Conc. maj.* et *neg. min.* Ad probationem *distinguiter antecedens.*

Obj. 2°. Ex Rom. II, 14 : « Gentes quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt. » Unde sic : Qui justificatur observatione legis, ille ponit actum salutarum ; atqui juxta Paulum gentes potuerunt justificari per observationem naturalem legis. Ergo potuerunt ponere actum salutarem naturalem.

Resp. a) *Neg. min.* et *negatur suppositum :* supponitur *naturaliter* appellare *legem faciunt ;* appellat vero *legem cognitam,* nempe sculptam in cordibus, uti asseritur v. 15. — b) *Dist. min.* Gentes potuerunt justificari observatione *naturali* h. e. *sine subsidio extrinseco naturae, Conc. ;* sine subsidio *intrinseco,* nempe sine *gratia medicinali* facilitante observationem legis et sic ducente ad gratiam elevantem fidei, *Neg.*

Assertum Pauli *gentes naturaliter observant legem,* vario modo intellectum est : interpretes enim in diversas abeunt sententias ubi interpretantur *gentes* et *naturaliter.*

1. Estius et Baius nomine gentium intelligi volunt *christianos inter gentes commorantes.* Ulterius vult Estius ut fideles decantur observare legem *naturaliter* quatenus excluditur subsidium legis mosaicae extrin-

secum naturae humanae, incitantis ad observationem legis paenis aut praemiis temporalibus, non vero quatenus excluderetur auxilium gratiae supernaturalis intrinsecus infusum naturae humanae. Contra vult Baius ut ideo fideles dicantur observare naturaliter Dei legem, quia gratia, sine qua impossibilis est hujus legis observatio, est homini innocenti naturalis seu debita. — Porro gentes non supponere pro fidelibus christianis perspicuum est tum ex solemni usu vocis *gentes* quae supponere solet pro gentilibus ad quos revelatio mosaica et christiana non pervenit; tum ex immediate praecedentibus et sequentibus: « Cum enim gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis »: haec enim verba de christianis non verificari constat quia praeter partem moralem legis mosaicae habent legem a Christo latam; tum ex scopo Pauli: intendit enim Apostolus probare fidem christianam et justitiam gratuito conferri cuicumque confertur sive judaeis sive gentibus, gratuito autem eam conferri gentibus ostendit verbis modo citatis, quia scilicet, cum potuerint observare Dei legem, eam transgressae sunt et sic positive indignae sunt factae fide christiana, ubi manifeste fit sermo de gentilibus.

2. Quare interpretes communiter nomine gentium intelligunt gentiles qui ante adventum Christi aut sub adventu Christi floruerunt et nullam notitiam habuerunt revelationis mosaicae. Horum interpretum alii aliter intelligunt verba sequentia:

a) Alii volunt ut vox *naturaliter* idem audiat ac *natura duce ac magistra,* sive ut appellet vocem *cognitam* quae heic subauditur. Itaque assertum paulinum eorum judicio facit hunc sensum: Gentes observarunt aut potuerunt observare legem *naturaliter cognitam*. Vox igitur *naturaliter* excludit gratiam externam revelationis mosaicae. — Haec interpretatio verior videtur, utpote solide fundata in verbis sequentibus: *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*.

Si quaeritur α) quomodo propositio paulina, stante praefata interpretatione, concilietur cum iis quae in tractatu de vera religione demonstrantur circa moralem impotentiam deveniendi sine subsidio revelationis ad notitiam legis naturalis, respondetur hominibus non deesse potentiam physicam cognoscendi legem naturalem sine revelatione, praeterea nullum esse praeceptum hujus legis quod alicubi non fuerit cognitum, hoc autem sufficere ad veritatem hujus asserti paulini.

Si quaeritur adhuc β) quomodo, stante eadem interpretatione, gentes potuerint *observare legem divinam,* utrum necessaria fuerit gratia, necne; respondetur Paulum in hoc loco non aperire mentem, adeoque ex alibi dictis ab eodem dijudicandum esse utrum ducat gentes indiguisse gratia ad legem Dei observandam, an vires naturales fuerint sufficientes. Porro ex doctrina alibi a s. Paulo tradita (vid. Rom. c. VII) perspicuum est ad observationem legis naturalis moraliter necessarium esse auxilium Dei speciale, quoties urget tentatio gravis; perspicuum etiam est hujusmodi auxilium a Deo non denegari neque fidelibus, sive justis sive peccatoribus, neque negative infidelibus, praecipue cum hi infideles observando praecepta faciliora solis naturae viribus se disposuerint, saltem negative, ad recipiendum auxilium Dei speciale quo facilior evadit observatio praeceptorum difficiliorum et victoria de gravi tentatione.

Si quaeritur demum γ) quomodo observatio legis divinae, beneficio auxilii specialis quo actus non elevantur supra ordinem naturalem, potuerit *gentes perducere ad justitiam* et ad salutem (factores legis justificabuntur II, 13), utrum immediate, an mediante fide elicita beneficio gratiae supernaturalis, ad quam observatio legis divinae disponeret negative; respondetur iterum s. Paulum in hac pericopa non aperire mentem suam, adeoque ex alibi dictis esse repetendum quid teneat. Porro ex iis quae ab eodem Pualo scribuntur ad Hebraeos manifestum est neminem justificari nisi habeat fidem strictam.

Quamobrem verba «factores legis justificabuntur. Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt », sic sunt interpretanda : *gentes quae non habent legem mosaicam, possunt cum auxilio Dei speciali observare legem quam cognoscunt, natura duce et magistra; observando autem Dei legem se disponunt negative ad receptionem gratiae externae revelationis et gratiae internae ad fidem salutarem excitantis et per fidem devenire valent ad justitiam et salutem.* Evidens est explicite quidem haec non affirmari a Paulo citatis verbis; verum non minus evidens est eadem verba, si seorsim ab omni alio loco considerantur, permittere hanc interpretationem, eamque exigere, si conferuntur cum aliis locis. — Huic interpretationi adhaeremus, utpote optime concilianti inter se varia loca paulina. — Placet tamen subjicere reliquas interpretationes ejusdem loci.

b) Alii volunt ut *naturaliter* appellet *faciunt* secundum sensum obvium Vulgatae. Secundum hos interpretes Paulus his verbis excludit subsidia externa homini per legem mosaicam Judaeis administrata, scilicet

poenas et praemia temporalia, quae judaeos stimulabant ad observationem legis. Utrum eadem voce excludatur auxilium internum gratiae divinae, non conveniunt inter se :

α) Alii volunt ut agatur de observatione legis *per vires naturae sibi permissas*. — Ut haec interpretatio et haec altera interpretatio modo tradita, qua *naturaliter* dicitur appellare *legem cognitam*, concilientur cum iis quae postea in hoc tractatu comprobabuntur circa impotentiam moralem diu servandi legem divinam quoad substantiam sine auxilio gratiae, et cum iis quae in tractatu de vera religione ostenduntur circa impotentiam moralem cognoscendi Dei legem sine subsidio revelationis, cum restrictione aliqua accipienda est propositio paulina uno ex praefatis modis intellecta, dicendo nempe secundum Paulum eatenus totam legem fuisse naturaliter cognitam aut naturaliter observatam, quatenus nullum sit hujus legis praeceptum quod non fuerit alicubi naturaliter notum, aut non fuerit interdum naturaliter observatum, absente tentatione gravi. Sic Augustinus (1).

Si patronis hujus sententiae objicitur non posse agi de observatione naturali legis divinae, siquidem Paulus loquitur de ea observatione quae perducit ad justificationem, salutarem autem non esse hanc observationem, nisi fiat auxiliante Dei gratia ; reponunt sic distinguendo majorem : agit Paulus de observatione Dei legis quae *remote* ad justificationem ducit, *Conc.;* quae *proxime* ad eam conducit, *Neg. Cdt. min.* Deus enim vult ut homo prius per observationem naturalem praeceptorum faciliorum legis suae se negative disponat ad receptionem auxiliorum quorum ope valeat superare tentationem gravem et observare praecepta magis ardua ; si hisce auxiliis bene utitur homo, ulterius eum perducet Deus ad notitiam veritatis revelatae et concedet gratiam supernaturalem fidei.

β) Alii volunt ut agatur de observatione legis divinae *cum auxilio gratiae medicinalis,* quae quidem non elevat actus ad ordinem salutarem, at tribuit potentiam moralem vincendi tentationes graves. — Si quaeritur a patronis hujus sententiae quare observatio legis beneficio gratiae medicinalis vocetur *naturalis ;* respondent hac appellatione excludi auxilium extrinsecum naturae, nempe legem mosaicam cum poenis et praemiis temporalibus multum ad legis observationem incitantibus, sed nequaquam excludi auxilium internum invisibiliter a Deo immissum homini. Illud auxilium a Deo tribui gentibus non affirmat

(1) AUGUST. *De spiritu et littera*, c. XXVII.

quidem Paulus explicite ; at illud ab eo admitti facile colligitur ex toto hoc loco, siquidem aliter observari non potuit lex naturalis a gentibus, neque aliter potuerunt se disponere negative ad receptionem gratiae fidei et justificationis.

γ) Alii volunt ut agatur de observatione legis divinae *cum auxilio gratiae supernaturalis ;* observatio ex auxilio gratiae vocatur naturalis *sensu historico,* quia scilicet gratia interna collata est protoparentibus ante lapsum et destinata erat eorum propagini. Huic interpretationi adhaerere possunt hi qui censent ad justificationem non absolute exigi fidem *strictam,* qua nempe veritati revelatae assentitur mens ob auctoritatem Dei exterius et supernaturaliter revelantis, sed, deficiente notitia veritatum revelatarum, sufficere fidem *latam,* qua nempe mens certis veritatibus adhaeret, cum gratia interna, ob revelationem naturalem per creaturas mundi. Hi tenere possunt Paulum loqui de observatione salutari legis divinae, auxiliante gratia elevante et supernaturali. — Hanc interpretationem ducimus esse rejiciendam. Defendimus enim ad justificationem exigi fidem stricte et proprie dictam.

Obj. 3°. Secundum thesim modo propugnatam non elicitur actus salutaris sine auxilio gratiae supernaturalis ; praeterea admittitur primum actum vere salutarem esse fidem, siquidem fides dicitur esse initium et radix justificationis. Atqui haec conciliari nequeunt cum voluntate Dei salvifica universali quae est seria et actuosa. Ergo.

Prob. min. Ut seria et actuosa sit haec voluntas, exigitur ut in omnium potestate constituta sint media sufficientia ad salutem comparandam. Atqui hujusmodi media non sunt constituta in omnium potestate, ubi propugnantur duo praefata. Ratio est quod vera vestigia revelationis primitivae non remanserunt apud omnes gentes et cum Evangelium non ubique innotescat, deest multis gentibus sufficiens cognitio revelationis requisita ad fidem. Ergo.

Resp. Deus dat omnibus media *remote* sufficientia ad salutem. Distribuit sc. infidelibus gratias medicinales ad observandam Dei legem ; si legem servat, infidelis se disponit *negative,* seu removet id quod prohibet gratiam supernaturalem et jam recipit media proxime sufficientia, nempe cognitionem requisitam revelationis et gratiam internam illustrationis inspirationisque ; beneficio hujus gratiae internae elicitur actus fidei quo videlicet datur prima dispositio positiva ad justitiam. Ita conciliantur ista tria : a) Deus vult omnes homines salvos fieri et omnibus dat media requisita ad salutem. b) Fides est necessaria ad salutem. c) Multi carent gratia excitante ad fidem ; hac enim gratia

carent, quia renuerunt uti gratiis medicinalibus oblatis a Deo ad observandam legem naturalem, adeoque se non disposuerunt negative ad receptionem gratiae ad fidem excitantis. — Addere juvat de necessitate medii non exigi nisi fidem in Deum remuneratorem.

Quare *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem minoris respondetur *distinguendo majorem :* Ut seria sit Dei voluntas salvifica universalis, quae non est absoluta sed conditionata, exigitur ut cuique homini praesto sint media *remote sufficientia* ad salutem, *Conc. ;* ut praesto sint media *proxime sufficientia, Subd.* ut praesto sint omni ei qui *usus est mediis remote sufficientibus* adeoque legem naturalem servavit, *Conc. ;* ut tribuantur a Deo etiam iis *qui noluerunt uti gratiis medicinalibus, Neg.* — *Cdt. min.* et *Neg. cons.* et *conseq.*

ARTICULUS II.

De necessitate gratiae ad initium salutis.

§ 1. Status quaestionis.

Circa quaestionem propositam dantur duae sententiae : semipelagianorum nempe et catholicorum.

16. — Semipelagiani orti sunt Massiliae in Gallia circa annum 427^{m}, unde nomen Massiliensium traxerunt. Praecipui defensores hujus haereseos fuerunt a) Cassianus (vulgo Collator) abbas monasterii s. Victoris, Massiliae ([1]) ; b) Gennadius, presbyter Massiliensis ; c) Faustus, Rhegiensis episcopus ; d) Hilarius, Arelatensis episcopus ; e) Vincentius quidam, qui a nonnullis existimatur Lirinensis. — Cum omnibus catholicis contra Pelagianos vindicabant transfusionem peccati originalis, cujus tamen, uti observat s. Prosper, vulnera et effectus attenuabant, defendebant necessitatem gratiae tum ad obtinendam remissionem peccati, tum ad incipiendum et perficiendum opus vere bonum et salutare. At praeterea admiserunt gravissimos errores jam exponendos.

Fundamentalia. 1. Semipelagianismus essentialitir constat duabus propositionibus. *Prima :* Gratia non est necessaria ad initium fidei, sed illud initium repetitur a solis viribus naturae. Est autem necessaria ad augmentum fidei et ad perseverantiam. — *Secunda :* Initium fidei

([1]) Cassianus : *Collationes XIII.* c. IX sq. M. XLIX. 914 sq.

meretur gratiam necessariam ad augmentum fidei et ad perseverantiam. Quocirca gratia non praecedit bonam voluntatem, sed eam exspectat et datur ad exactam mensuram meritorum naturalium (1).

Explic. a) *Initium fidei* complectitur varios actus liberos et deliberatos elicitos citra ullam praeparationem voluntatis a Deo, seu excitationem gratiae praevenientis, et citra ullum auxilium gratiae adjuvantis. Hi actus sunt sequentes : α) *actus fidei :* utrum fides fuerit inchoata, an perfecta vix dici potest ; β) *simplex voluntas,* seu complacentia in sanitate acquirenda ; γ) *desiderium sanitatis* et salutis ; δ) *conatus,* licet sterilis et iners, surgendi e coeno peccati et virtutem exercendi ; ε) *oratio,* qua animus exclamat, petit, quaerit, pulsat. — Haec initia fidei, ex solis naturae viribus elicita, non computabantur inter opera bona et salutaria, haud secus atque aegroto voluntas adhibendi medicum non censetur esse pars curationis.

b) *Augmentum fidei* continetur observatione legis divinae, exercitio virtutum, actibus misericordiae. Ad haec opera efficienda necessarium est auxilium gratiae, fiunt nempe viribus naturae adjutis et elevatis gratia ; eadem opera disponunt ad justitiam aut justitiae jam acquisitae augmentum merentur, adeoque sunt salutaria.

c) *Nexus inter initium fidei et augmentum.* Homo per actus initium fidei constituentes ita meretur gratiam, cujus ope fiunt opera augmenti fidei, ut haec gratia semper tribuatur secundum exactam mensuram meritorum naturalium. — Ratio ob quam ducebant semipelagiani sic esse pronuntiandum de nexu inter augmentum fidei et initium, erat quia autumabant secus explicari non posse cur omnes homines non credant, non salvi fiant, licet velit Deus omnes homines fieri salvos et ad agnitionem veritatis revelatae venire.

2. Ex his manifestum est *quomodo semipelagianismus differat a pelagianismo et a doctrina orthodoxa :* In adulto nempe exigitur series aliqua actuum a fide inchoata ducentium ad justificationem, vel post lapsum a statu injustitiae ad statum justitiae, eam merentium aut saltem ad eam disponentium. Juxta pelagianos hi actus fiunt viribus naturae sine auxilio gratiae. Semipelagiani hanc seriem dividunt in duas partes ; primam, quam vocant initium fidei, adscribunt naturae ; alteram, quam vocant augmentum fidei, adscribunt auxilio gratiae quod homo meruit per initium salutis. Quare apte vocantur *semipelagiani.* — Ortho-

(1) Cf. Hilar. *Epist. ad s. Aug.* inter *ep. s. Aug.* ep. ccxxvi, n. 2. M. XXXIII, 1008. Prosper, in praeced. epist. n. 4. M. ib. 1004.

doxi concedunt semipelagianis actus fidei, orationis etc. posse quidem fieri per vires naturae vel solas, immo pelagianis concedunt dari potentiam physicam servandi sine gratia Dei legem et exercendi virtutes; verum negant ullum actum esse salutarem, seu mereri gratiam sive actualem sive habitualem aut ad eam positive disponere, nisi fiat ex auxilio gratiae; quare concludunt adversus semipelagianos voluntatem non esse quae praevenit gratiam, neque Deum esse qui exspectat merita aut dispositiones positivas voluntatis, sed contra Deum esse qui praevenit voluntatem infundendo gratiam, naturam esse quae exspectat Deum (1).

Errores consectarii. *Primus :* Deus numquam elargitur gratiam sive peccatoribus sive infidelibus, ad observandam legem suam, etiam cum lex observari nequit sine gratia, nisi homo prius hanc gratiam meruerit bono usu liberi arbitrii, seu iis actibus quibus continetur fidei et salutis initium.

Secundus : Perseverantia finalis non est *speciale* Dei donum : est quidem Dei *donum* quatenus ad perseverandum exigitur gratia, verum non exigitur gratia diversa ab ea cujus ope observatur lex Dei. Homo enim actu naturali meretur gratiam qua indiget ad observandam Dei legem in finem vitae usque ; pro nutu libertatis suae utitur hac gratia ita ut perseveret, aut ea non utitur ita ut non perseveret, quin ad perseverandum opus sit dono Dei speciali, distincto a gratiis ad obser-

(1) Billuart aliisque nonnullis probabile visum est semipelagianos admisisse necessitatem alicujus gratiae interioris ad initium fidei, eorumque errorem circa illud esse versatum quod tenuerunt gratiam illam non esse ab intrinseco efficacem, sed habere efficaciam ab extrinseco, nempe a consensu voluntatis. Quare semipelagianismi accusant omnes eos qui adhaeserunt doctrinae a Molina propugnatae.

Hanc sententiam Thomistarum esse falsissimam abunde constat testimoniis eorum qui veritatem orthodoxam contra Massilienses defenderunt. Etenim a) Augustinus de semipelagianis expresse dicit : « fidem et incipere habere, et in ea usque ad finem permanere, tamquam id non a Domino accipiamus, nostrum esse contendunt » (l. *de dono persev.* c. VII, n. 14. M. XLV, 1001). b) Prosper testatur, juxta semipelagianorum doctrinam, « vitam aeternam ab his apprehendi qui Deo sponte crediderint et auxilium gratiae merito credulitatis acceperint. » (*Epist. ad August.* n. 3). c) Concilium Arausicanum II damnat semipelagianismum qualis supra est expositus, nullibi vero sermonem acit de gratia ab intrinseco efficaci : canone 5 et 7 definit initium fidei non esse in nobis naturaliter et per vigorem naturae; igitur semipelagiani, quos canones illi perstringunt, putabant primordia ex vigore et nativa facultate arbitrii prodire. Denique idem colligitur ex seq. Jansenii propositione ab Innocentio X damnata : « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare. » (Denz. n. 969).

Sunt qui dicunt semipelagianos admisisse necessitatem gratiae interioris *intellectus* ad initium fidei et tantum rejecisse gratiam voluntatis. Alii tamen dicunt eos non admisisse nisi gratiam externam praedicationis fidei.

vationem legis divinae necessariis quas quisque actu naturali promeruit (1).

Tertius : Deus *aeque vult* omnium hominum salutem, seu non habet voluntatem misericordiae specialem erga electos. Ratio est quia Deus dat eas solas gratias quas sibi homo meruit bono usu liberi arbitrii. — Hic error exprimitur adhuc dicendo Christum sanguinem suum fudisse pro omnibus hominibus aequali modo.

Quartus : Praedestinatio ad gloriam fit secundum merita naturalia. Initio enim fidei meretur homo gratiam necessariam ad augmentum fidei seu ad observationem legis divinae ; hac observatione meretur homo gloriam ; Deus ab aeterno praedestinat ad gloriam secundum praescientiam actuum naturaliter honestorum qui fuerint meritorii gratiae necessariae ad augmentum fidei. Contra, secundum doctrinam catholicam praedestinatio ad gloriam, haud secus ac praedestinatio ad gratiam, est gratuita, si sermo sit de actibus naturalibus ; si vero sermo sit de actibus ex gratia elicitis, secundum alios est adhuc gratuita, juxta alios vero fit a Deo propter aeternam horum meritorum praescientiam conditionatam. — Cum orthodoxi argumentum sumerent adversus semipelagianos ex infantulis immatura morta praeceptis, quorum aliis praedestinatur baptismus et gloria caelestis, aliis vero non praedestinatur, citra merita aut demerita ; reponebant semipelagiani eorum discretionem fieri ex conditionate praescitis aliorum quidem meritis, aliorum vero demeritis (2).

17. — ORTHODOXA SENTENTIA duo complectitur :

1. Initium fidei non est a solo libero arbitrio, sed etiam a gratia, seu primi actus salutares (fides, oratio etc.) efficiuntur viribus naturae et viribus gratiae. — Inde homo actu naturali nullam meretur gratiam, neque se ad eam positive disponit. Itaque Deus non exspectat merita naturae nec positivam dispositionem, priusquam infundit primam gratiam. — Attamen homo per bonum usum primae gratiae meretur gratiam secundam, et Deus solet exspectare hunc bonum usum ad infundendam gratiam abundantiorem.

2. Omnibus quidem hominibus elargitur Deus gratiam sufficientem ut acquiratur justitia et perveniatur ad salutem ; verum tribuit aliis hominibus aliam gratiam, majorem minoremve, pro mero beneplacito suo, adeo ut erga omnes non gerat aequalem voluntatem salvificam, neque pro omnibus aequali modo Christus sanguinem effuderit.

(1) Cf. HILAR. l. c. n. 4. — (2) Cf. PROSP. l. c. n. 5 ; HILAR. l. c. n. 3.

Doctrinam orthodoxam contra oblocutores strenue propugnaverunt a) s. Augustinus ; b) s. Prosper Aquitanus ; c) s. Fulgentius Ruspensis qui, praeter libros tres de veritate praedestinationis et gratiae Dei, contra Faustum Rhegiensem scripsit septem libros qui interierunt [1] ; d) Hilarius, vir quidem laicus, in fide tamen egregie eruditus et doctrinae Augustini addictissimus ; e) Johannes Maxentius cum monachis Scythis ; f) s. Caelestinus P. qui obtrectatoribus s. Augustini silentium indixit ; denique g) s. Caesarius, episcopus Arelatensis.

Demum doctrina orthodoxa, quoad primam partem, definita est a Concilio Arausicano II, a° 529°, quod approbatum est a Bonifacio II et cui subscripsit universus orbis catholicus. Cfr. Denz. nn. 144 sqq. Semipelagiani se subjecerunt, proindeque numquam fuerunt haeretici.

§ 2. Rejicitur Semipelagianismus.

THESIS IIª. — Falsum est id quod asseverant Semipelagiani, initium nempe fidei salutaris constare actibus naturalibus, Deumque exspectare meritum voluntatis naturalis antequam elargiatur gratiam.

18. — Iª Probatio. Ex Scripturis. Juxta ea Scripturae effata, quae in superiori thesi fuerunt allata, homo per solas naturae vires nihil cogitare nec velle nec agere potest quod reapse ad salutem conducat ; id porro falsificatur, posito initium salutis ab actibus naturalibus esse petendum, gratiamque conferri secundum merita horum accuum. — Praeterea Scriptura disertis verbis initium fidei adscribit auxilio gratiae.

Iᵐ Arg. *Petitur ex Joh.* VI, *26 seqq.* Instituit Christus discipulis et Capharnaitis sermonem quo continetur promissio Eucharistiae instituendae. Hic sermo dividitur in duas partes : secunda pars juxta omnes interpretes catholicos agit de pane seu cibo animarum quem dabit ipse Christus, et qui non est alius ac propria caro et sanguis suus. Prima pars juxta alios interpretes agit de pane quem Deus Pater dat hominibus et qui consistit unice in fide in Christum, quae nempe fides extinguit sitim et tribuit vitam aeternam ; juxta alios interpretes prima pars principaliter quidem, licet obscuro modo, omissa explicatione quae in posteriori parte traditur, loquitur de pane quem Filius Dei affert mundo, nempe de Eucharistia, secundario autem et ut praeparentur auditores ad excipiendam cum docilitate doctrinam stupendam iis communicandam, ostendit necessitatem et utilitatem fidei in Christum Jesum.

[1] Cf. M. XLV, 1776 sq.

— Porro de hac fide sequentia a Christo affirmantur : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille » (29). « Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet » (37). h. e., ait Augustinus (1), credet in me. « Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum » (44). « Sunt quidam in vobis qui non credunt... propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum a Patre meo » (65, 66).

Itaque fides in Christum, quae profecto est de initio salutis, est opus et donum Dei, et ita quidem ut nemo veniat ad Filium, h. e., ita Christo explicante, credat in eum, nisi hoc donum a Patre acceperit et ab eo tractus fuerit. Ergo falsum est initium salutis esse repetendum a viribus naturae, Deum exspectare voluntatem. Hanc interpretationem vindicat Augustinus (2).

II^m Arg. *Petitur ex Paulo : A. Ex epistola ad Romanos* multipliciter arguitur.

1. *Ex integra epistola.* Scopus enim Pauli est ut ostendat fidem christianam et justitiam neque Judaeis deberi, neque Gentilibus, sed gratuito dari cuicumque datur. Atqui juxta semipelagianos fides salutaris est actus naturalis quem quisque ex se habet et quem Deus exspectat, proindeque a) fides non est donum Dei sed unice a viribus naturae pendet ; b) justitia est remote praemium operum naturalium. Ergo.

2. *Ex cap.* VIII *26 :* « Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus » (cfr. Tolet. in h. l.). Ergo gratia exigitur ad orationem salutarem.

3. *Ex capite* IX *tripliciter arguitur :*

a) *Ex querelis Judaeorum* qui christiani erant facti. Querelas movent quod pars Judaeorum sit exclusa a fide christiana et a justitia. Atqui, stante semipelagianismo, non est cur querelas moveant adversus Deum ; nam homo audiens revelata credit aut non credit pro solo nutu voluntatis, Deus vero nihil agit ; itaque querelae sunt movendae adversus ipsos Judaeos qui noluerunt uti viribus naturae ad credendum. Ergo.

b) *Ex responso Pauli :* Fides et justitia, secundum Paulum, non fuit

(1) AUGUST. *De Praedestinatione Sanctorum,* c. VIII, n. 13.

(2) Id. « Ergo trahi a Patre ad Christum, et audire ac discere a Patre, ut veniat ad Christum nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat, qui dicebat : Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. » *De Praed. SS.* c. VIII, n. 15. M. XLIV, 972.

promissa omnibus; gratuito vocantur omnes qui vocantur. Argumentum petit ex Isaac et ex Jacob qui gratuito fuerunt vocati ad haereditatem benedictionum paternarum prae Ismaele et Esau et sunt typi eorum qui vocantur ad benedictionem spiritualem in fide et justitia repositam. Ergo censet Paulus fidem esse donum Dei, immo non sufficere gratiam quamcumque (gratia enim proxime aut remote sufficiens omnibus datur), sed exige gratiam efficacem ex praescientia.

c) *Ex conclusione totius loci.* Sibi objicit Paulus : At si Deus non omnibus fidem evangelicam impertitur, nonne injustitiae accusandus est ? Respondet Apostolus dona fidei et justitiae esse gratuita, seu a misericordia Dei tribui non vero a justitia, ideoque pro libertate gratuitae bonitatis Dei concedi, non vero secundum merita hominis volentis et currentis (14-18). Quod responsum evolvit vv. seq. ubi comparatio fit inter Deum, alios eligentem ad fidem et gratiam, alios vero non vocantem, et figulum ex eadem massa fabricantem vasa ignominiae et vasa honoris.

4. *Ex cap.* XI, *33 seq.* Postquam Apostolus ostenderat alios Judaeos gratuito fuisse electos ad fidem, alios in caecitate relictos, postquam dixerat Judaeos ante finem mundi esse convertendos, concludit exclamando : « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei ! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia : Ipsi gloria in secula. Amen. »

B. *Ex Paulo I Cor.* IV, *7.* Reprehendit Corinthios quod de acceptis donis gloriarentur, « Quis enim, ait, te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? » « Quo praecipue testimonio, inquit s. Augustinus, etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nobis impetrari Dei dona quibus temperanter et juste et pie vivamus in hoc seculo » (1).

C. *Ex Paulo II Cor.* III, *5 :* « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » Haec verba intelliguntur ab Augustino de fide ejusque initio (2).

(1) AUGUST. *De Praed. ss.* c. III, n. 7. M. XLIV, 964.

(2) Id. « Attendant hic, et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat prius esse cogitare, quam credere ? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum.... Quod ergo pertinet ad religionem et pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non

D. *Ex Paulo ad Ephes.* II, *8 :* « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est. » Phil. I, 29 : « Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. » Quae loca cum I Cor, VII, 25 : « Misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis » adducit Augustinus ut ostendat initium fidei oriri ex Dei gratia (1).

Aliud argumentum peti solet ex I Cor. I, 2, 3. « Nemo potest dicere *Dominus Jesus,* nisi in Spiritu Sancto, » h. e. Nemo potest cum debita cordis reverentia Jesum Dominum suum credere et profiteri, nisi per gratiam Spiritus Sancti.

19. — IIa Probatio. Ex Traditione : Im Arg. Ex Conciliis. I. Concilium *Arausicanum* (Denz. nn. 144-171) damnat doctrinam semipelagianorum secundum varios ipsorum modos loquendi, et varia capita doctrinae. Damnat initium fidei esse attribuendam solis naturae viribus (can. 6). Damnat sequelas illius asserti fundamentalis (can. 3 et 4). Damnat nexum quem semipelagiani ponebant inter initium fidei et ejusdem augmentum (can. 5). Compendiose damnat totum systema (can. 7 et concl.). — a) Aiebant semipelagiani gratiam Dei dari post invocationem ; asserit synodus eam non ad invocationem dari, sed contra facere ut invocetur (can. 3). — b) Aiebant Deum, ut purgetur quis a peccato, exspectare voluntatem ; affirmat synodus contra Deum facere, per infusionem et operationem Spiritus Sancti, ut velimus purgari a peccato (can. 4.) — c) Aiebant hominem sine Dei gratia credere, velle, desiderare, conari, laborare, vigilare, studere, petere, quaerere, pulsare ; affirmat concilium haec varia fieri in nobis *sicut oportet,* h. e. salutariter, beneficio infusionis et inspirationis Spiritus Sancti (can. 6). — d) Affirmabant hominem naturali vigore incipere negotium salutis ; asserit Araus. naturae vigorem nihil efficere valere in ordine salutis (can. 7). — e) Denique post canones totam doctrinam expositam compendiose exhibens, « Per peccatum, ait synodus, primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut

sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est. » *De Praed. ss.* c. II, n. 5. M. XLIV, 962. sq.

(1) Id. Apostolus « utrumque ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum, Nec ait « ut plenius et perfectius credatis in eum, » sed « ut credatis in eum. » Nec seipsum misericordiam consecutum dixit, ut fidelior, sed ut fidelis esset (I Cor. VII, 25) : quia sciebat non se initium fidei suae priorem dedisse Deo, et retributum sibi ab illo augmentum, sed ab eo se factum fidelem, a quo et Apostolus factus est. » *De Praed. ss.* c. II, n. 4. M. XLIV, 962.

nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum et misericordia divina praevenerit. » Denz. nn. 168, 171.

2. *Caelestinus,* cujus auctoritas in hac materia aequiparatur auctoritati Arausicani, sic concludit epistolam, quam ad episcopos Galliae scribebat de erroribus semipelagianorum, qua nempe doctrinam praedecessorum suorum exponit et iterum confirmat : « His ergo Ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita, adjuvante Domino, confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, et omnium studiorum omniumque virtutum, *quibus ab initio fidei ad Deum tenditur,* Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere » (Denz. n. 96.)

3. *Tridentinum* in sessione, VI, c. v, « declarat... justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse. » In sequenti capite exponit processum justificationis comprehendi actibus fidei, timoris, spei, dilectionis initialis, paenitentiae. Jamvero singuli actus, inter quos initium fidei, attribuuntur gratiae excitanti et adjuvanti. Demum canon 3us sic sonat : « Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere... posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. » (Denz. nn. 678, 679, 680 et 695.)

4. Denique ex Vaticano arguitur uti supra in th. I^{a} .

II^{m} Arg. Ex Patribus. Patres qui ante exortum semipelagianismum scripserunt (nam ceterorum testimonia afferre superfluum foret), aiunt a Deo praeparari voluntatem hominum ; dari fidem in Deum ; sine gratia *non assentiri posse, ut oportet,* praedicationi ; sine ea *orari* non posse *ut expedit.* Ita, praeter eos de quibus in thesi superiori :

Ambrosius : « Non voluntate tantum humana visum est, sed sicut placuit ei qui in me loquitur Christus : qui, ut id, quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur... a Deo enim praeparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorificetur a sancto, Dei gratia est » (1).

Nazianzenus : Disserens de recta in SS. Trinitatem fide ejusque confessione, ait : « qui primum dedit, dabit et secundum », id est, qui dedit credere, dabit et confiteri : quibus verbis ipsam fidem a Deo datam profitetur (2).

(1) Ambr. *In expositione Evang. s. Lucae, ad haec verba : « Visum est mihi. »* — (2) Greg. Naz. *Or.* xli, n. 8 (al. *Or.* xliv, n. 11) *in Pent.*

Cyrillus Hier.: « Ipsius gratiae Jesu Christi est concedere et nobis, ut sine defectu dicamus, et vobis, ut intelligentes audiatis » (1). Alibi : « Sine gratia praedicatis veritatibus assentiri non possumus » (2).

Chrysostomus, cui potissimum confidunt adversarii, luculenter necessitatem gratiae ad omne opus salutare, non excluso initio fidei, praedicat in variis locis : a) In *expositione ps.* cxv, n. 2 ubi ait *opus esse auxilio Spiritus ad fidem salutarem;* addit quidem hominem debere seipsum facere dignum hoc auxilio Dei, verum haec verba optime intelligi possunt de dispositione negativa qua aufert impedimentum (3). — b) *In Joh. hom.* xlv^a (al. xliv) iterum ex professo ostendit fidem habere opus suprema gratia qua anima ad Deum trahatur secundum verba Christi apud Joh. vi : « Fides in me non parva res est, sed superna gratia opus habet. Et hoc ubique statuit (Christus) ostendens generosam animam, a Deo attractam, opus habere fide. Sed dicet fortasse quispiam : si omne quod dat Pater venit ad te, si illi item quos ille trahit, et si nemo potest ad te venire, nisi ipsi datum fuerit desuper ; ii quibus non id dat Pater, omni sunt crimine liberi. Haec verba sunt et obtentus. Nam nostra quoque opus est voluntate : doceri quippe et credere ex voluntate est. Hic vero nihil aliud declarat his verbis *quod dat mihi Pater,* quam : non vulgaris res est in me credere, neque id ex humano ratiocinio pendet, sed opus est superna revelatione et pia anima quae revelationem recipiat » (4). — c) *In epist. ad Rom. hom.* xiv, n. 7 ostendit gratiam adesse non in laboribus tantum et periculis, sed etiam cooperari in iis quae faciliora videntur, ubique eam conferre opem ideoque ab Apostolo subjungi « *nam quid ut oportet oremus nescimus* ». « Ut discas, non in laboribus tantum et periculis tibi gratiam adesse, sed etiam eam in iis, quae faciliora videntur, tecum cooperari, et ubique suam conferre opem, subjungit : nam quid ut oportet, oremus, nescimus... etenim ad eam rem Dei ope egemus ; usque adeo homo infirmus est, et ex se nihil » (5). — d) *In epist. I^a ad Cor. hom.* i excludit manifeste omne meritum ex naturae operibus ad gratiam fidei et salutis, quod comprobat exemplo Pauli qui vocatus est cum Ecclesiam persequeretur (6). Idem proponit in *hom.* iv *in ep. ad. Eph.* in haec verba : « Gratia salvati estis per fidem ». « Ne fides quidem, inquit, est ex nobis. Nam si non venisset, si non vocasset, quomodo potuissemus credere ?... Quare nec fides est nostrum, sed Dei est donum ; non ex

(1) Cyr. Hier. *Cat.* xvi, n. 2. — (2) *Cat.* xiii, n. 8. — (3) M. P. G. LV, 321 sq. — (4) M. LIX, 254. — (5) LX, 532 sq. — (6) M. LXI, 12 sq.

operibus : non enim suffecisset, inquit, fides ad salutem... Hoc ipsum est Dei donum, ne quis glorietur, ut nos gratos efficiat circa gratiam » (1). — e) *In epist. I ad Cor. hom.* XII, n. 1, 2 ostendit ex Apostolo omnia recte facta ex Dei gratia provenire, fidem, remissionem peccatorum, citra ullum meritum naturale. « Nihil ex te habes, sed a Deo accepisti... Ergo cum acceperis, habes non hoc vel illud, sed omnia quae habes. Non enim haec tua recte facta sunt ; sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, vocatione venit » (2). — f) *In epist. IIª ad Tim.* c. 1. *hom.* II, n. 1 et 2 ad verba Apostoli « secundem virtutem Dei, qui salvavit nos et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia, » gratiae divinae iterum adscribit potentiam in laboribus sustinendis, vocationem, remissionem peccatorum, salutem (3). Clarius itaque non potuit Chrysostomus affirmare necessitatem gratiae ad initium fidei et opus omne salutare, et excludere meritum naturale.

AUGUSTINUS, relatis testimoniis veterum Patrum, haec subjungit : « Isti tales tantique doctores dicentes non esse aliquid de quo, tamquam de nostro quod Deus nobis non dederit, gloriemur, nec ipsum cor nostrum et cogitationes nostras in potestate nostra esse, et totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitentes, ut permansuri convertamur ad eum, ut id quod bonum est, nobis quoque videatur bonum et velimus illud.... haec utique gratiae Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non a nobis esse testantur » (4).

20. — IIIª probatio. Ex rationibus theologicis. 1. Ex thesi prima nullus actus salutaris ab homine fieri potest sine auxilio gratiae. Atqui actus, quibus continetur initium salutis, recensendi sunt inter actus salutares. — *Prob. min.* a) Illi actus sunt salutares qui proxime merentur gratiam actualem et remote justititiam et salutem. Atqui secundum semipelagianos hujusmodi sunt actus quibus continetur initium salutis. Ergo. — b) Fides est initium, fundamentum et radix justificationis. Ergo fides est salutaris.

2. Ex thesi XXª (n. 136 sq.), gratia est prorsus gratuita. Atqui destruitur ista gratuitas, si gratia ponitur esse praemium meritorum naturalium.

3. Ecclesia efflagitat a Deo donum fidei pro infidelibus, de fide con-

(1) M. LXII, 33. — (2) M. ib. 98 sq. — (3) M. LXII, 608. — (4) AUGUST. *De dono persev.* c. XIX, n. 5. M. XLV, 1026.

cessa gratias agit. Ergo fides non est actus naturalis sine Dei auxilio elicita. — Hoc argumento adversus semipelagianos usus est s. Augustinus [1].

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

21. — Ad objectiones ex Scripturis haec advertantur :
Opus salutare et initium salutis attribuuntur modo homini, modo Deo. Sic in ps. LXXX, 11 legitur : « Dilata os tuum et implebo illud ; » et in ps. L, 17 : « Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. » Apud Ezechielem XVIII, 31 dicit Deus : « Facite vobis cor novum et spiritum novum ; » contra legitur XXXVI, 26 : « Dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri. » Apud Zachariam I, 3 : « Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos ; » contra in ps. LXXIX, 8 homo dicit Deo : « Deus virtutum, converte nos, » et apud Jeremiam XXXI, 18, 19 : « Converte me et convertar ;.... postquam enim convertisti me, egi paenitentiam. » — Porro horum locorum explicatio est in promptu attendenti ad sequentia :

1. Opus salutare, sive agatur de initio salutis, sive de operibus subsequentibus, tribuendum est gratiae simul et libero arbitrio ; secus enim aut non est supernaturale aut non est liberum nec proinde meritorium. Inde nil impedit quin quodlibet opus salutare modo tribuatur libero arbitrio, modo gratiae, pro scopo loquentis, prouti nempe vult vel commendare gratiam, vel exhortari aut corripere fideles. Unum exigitur, sc. ut neutrum excludatur ex consortio illius cujus fit expresse mentio ; utrumque enim tunc implicite includi et subaudiri ex aliis locis Scripturae et ex natura actus salutaris manifestum est. — Quamobrem merito Tridentinum dicit : « In sacris Litteris cum dicitur : « Convertimini ad me et convertar ad vos, » libertatis nostrae admonemur ; et cum respondemus : « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, » Dei nos gratia praeveniri confitemur. » (Sess. VI, c. V).

2. Hae propositiones « *initium salutis attribuendum est homini ; primae partes sunt hominis ; homini est incipiendum, Deus exspectat voluntatem,* » sunt verae duplici sensu : a) Homo potest et saepe debet se disponere negative ad receptionem primae gratiae ; se negative disponenti per vires naturae Deus non denegat gratiam ; b) a consensu ad primam gratiam (quae v. g. excitat ad orandum), pendet concessio gratiae secundae (proxime sufficientis ad vincendas tentationes graves, vel gratiae habitualis). Hoc sensu duplici occurrunt in Scripturis. — Sed

[1] AUG. *De dono persev.* c. XXIII, n. 1.

sunt falsae hoc alio sensu : « Homo per actum naturalem debet mereri aut se disponere positive ad primam gratiam. » Hoc sensu non occurrunt in Scripturis. Contra enim ex locis Scripturae, inter argumenta recitatis, est manifestum in Scriptura aequivalenter dici : « initium salutis attribuendum non est homini ; primae partes sunt Dei ; Deus non exspectat voluntatem » quatenus prima gratia non praesupponit meritum naturae nec ullam dispositionem positivam. Harmonice itaque explicanda sunt varia effata scripturistica.

Obj. 1°. Initium salutis adscribitur homini non paucis Scripturae eloquiis. Atqui quod homini adscribitur, id repetendum est a viribus humanis. Ergo.

Major constat a) ex Prov. XVI, 1 : « Hominis est praeparare animam, et Domini gubernare linguam ; » et v. 9 : « Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus ; » b) ex Zachar. I, 3 : « Convertimini ad me, et convertar ad vos » ; c) ex Jacobo IV, 8 : « Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis » ; d) ex Rom. VII, 18 : « Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. »

Resp. *Dist. maj.* Initium salutis adscribitur homini eo sensu quod non raro exigit Deus non tantum ab infideli sed etiam a peccatore fideli ut prius se *disponat negative* quam ei tribuitur gratia, vel adhuc eo sensu quod homo *libere consentire debet gratiae primae* ut Deus ei det alias gratias ad salutem ducentes, *Conc.;* eo sensu quod primus actus *salutaris,* positivam nempe dispositionem inducens ad gratiam sanctificantem et salutem, elicitur ab homine *sine auxilio gratiae, Neg.*

Inst. Atqui primus actus salutaris elicitur sine auxilio gratiae. Etenim Scriptura attribuit homini primas partes in negotio salutis. Atqui contrarium obtinet, si homo est praeveniendus gratia. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Scriptura dat homini partes primas, eo sensu quod saepe Deus non infundit gratiam nisi homo prius se *negative disposuerit,* vel eo sensu quod gratiae *subsequentes* non dantur nisi post consensum primae gratiae, *Conc. ;* eo sensu quod hominis est se viribus naturae *disponere positive* ad primam gratiam, aut eam *mereri, Neg.* — *Ad Rom.* VII, *18* quod attinet, observandum est duas interpretationes proponi posse : vel a) Paulus affirmat hominem per vires naturae posse velle observationem legis — quae volitio, utpote naturalis, non erit salutaris, — verum exigi auxilium ut sit efficax per longum tempus : vel b) Paulus loquitur de volitione salutari et exigit gratiam ad exsecutionem propositi, in quo casu fit eadem distinctio ac supra. Vid. Beelen in h. l.

Obj. 2°. In locis supra allatis dicitur Deus exspectare voluntatem. Atqui contrarium obtinet, posito initium salutis non esse adscribendum homini agenti viribus naturae. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus ad dandas ulteriores gratias, puta gratiam proxime sufficientem ad vincendas graves tentationes, saepe exspectat consensum voluntatis gratiae praecedenti puta gratiae *remote* sufficienti excitanti ad orandum, *Conc.;* ad dandam gratiam exspectat actum elicitum solis viribus naturae, *Subd.* quasi hic actus foret vere *salutaris* seu *mereretur* gratiam aut eam *positive disponeret, Neg.;* saepe exspectat actum naturalem prouti est *dispositio negativa, Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui Deus saepe exspectat actum naturalem prouti ad gratiam disponit positive aut eam meretur saltem impetrative. Etenim Deus jubet ut homo humili prece efflagitet a Deo gratiam. Atqui hoc supponit Deum exspectare orationem naturalem ad dandam gratiam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus jubet orare cum auxilio gratiae ad obtinendam gratiam ulteriorem, puta gratiam proxime sufficientem ad observandam legem suam, *Conc.;* jubet orare sine auxilio gratiae, *Neg.* — *Ctd. min.*

Inst. Atqui Deus jubet homines orare sine auxilio gratiae. Nam gratia promittitur a Deo tamquam praemium orationis: sic apud Lucam XI, 9 : « Petite et dabitur vobis etc. » Ergo gratia non datur ad orandum.

Resp. *Dist. ant.* Gratia *ulterior,* puta ad observandam Dei legem, promittitur tamquam praemium orationis, *Conc.;* gratia *prima* promittitur uti praemium orationis factae sine auxilio gratiae, *Neg.* — Ex praecepto orationis id unum colligitur, quod dantur gratiae quae orationibus libere factis conceduntur ; verum nullatenus colligitur orationem, cui Deus repromisit dona gratiae, non fieri cum auxilio gratiae excitantis et adjuvantis, ita nempe ut adimpletio salutaris praecepti de oratione facienda simul sit ex libero arbitrio et ex gratia. Id quidem non affirmatur verbis Lucae, verum neque contrarium affirmatur. Quare ex aliis locis Scripturae aut ex traditione accipiendum est quid pro vero debeat admitti. Jamvero orationem salutarem fieri, auxiliante gratia, eruitur non modo ex argumentis propositis, sed adhuc ex aliis testimoniis ubi peculiariter de oratione instituitur sermo. Exemplo sint verba Pauli : « Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus » (Rom. VIII, 26). Et alibi : « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra

clamantem : Abba, Pater » (Gal. IV, 6). Et adhuc : « Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus : Abba, Pater » (Rom. VIII, 15).

22. — Ad objectiones ex Patribus petitas praenota :

1. Ante exortam haeresim et solemnem dogmatis definitionem, evenit ut nonnulli ex scriptoribus ecclesiasticis minus accurate sint identidem locuti ob nondum definitas formulas quibus dogma dilucide significetur. Attamen iidem loquebantur secure, siquidem recte intelligebatur mens eorum, et prorsus orthodoxe, quod constat ex alibi dictis ab iisdem et ex eorum consensu cum Patribus coaevis. — Quod evenit circa alia dogmata, id etiam evenit circa necessitatem gratiae ad omne opus salutare (1).

In objectionem traducuntur modi loquendi ambigui. Sic ambigua sunt ea quibus asserunt Patres nonnulli *Deum exspectare voluntatem, homini esse incipiendum negotium salutis, credere esse constitutum in potestate hominis*. Porro Patres non tribuisse praefatis verbis eum sensum quem vindicant semipelagiani, sed vel asserruisse Deum saepe exspectare donec homo se disponat negative antequam gratiam elargiatur, vel asseruisse Deum exspectare donec homo consentiat gratiae primo ab ipso oblatae ut det ulteriores gratias aut infundat justitiam et salvet, in hominis potestate esse consentire gratiae excitanti ad fidem salutarem, — perspicue constat tum ex iis quae iidem Patres alibi disertis verbis affirmant in locis inter argumenta allatis, tum ex consensu cum coaevis, tum ex scopo quem sibi attingendum proponunt. Scopus enim in plerisque locis, in quibus semipelagiani contendunt sententiam suam affirmari, est vel adhortari fideles, quibus notum erat sibi praesto esse Dei gratiam, ut huic gratiae consensum voluntatis jungerent, vel refutare Marcionitas aliosque haereticos qui docebant omnia caeco fato regi, adeoque inutilem esse proprium laborem in negotio salutis. Contra eos propugnant Patres libertatem voluntatis et asserunt in hominis potestate esse credere, orare, etc., quibus verbis profecto non excludunt gratiam praevenientem, sed supponunt eam omnibus a Deo concedi.

Haec explicatio confirmatur quia similes locutiones, ubi nulla fit diserta mentio gratiae, deprehenduntur apud ss. Patres qui scripserunt post exortum et damnatum pelagianismum. Sic Augustinus

(1) AUGUST. « Vobis nondum exsistentibus, ait Augustinus Pelagianos alloquens, securius loquebantur, et in Ecclesia Dei loquentes, non aliter intelligebantur, quia Ecclesia et fideles crediderant. » *Contra Julianum*, l. I, c. VI.

scribit : « Para locum in corde tuo, ubi sedeat Deus » (1). Alibi idem s. Doctor dicit : « In voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur, vel careamus tanto et tam vero bono » (2), vitam nimirum agendi honestam et sanctam. Demum adhuc ait : « Certe enim ipsum velle in nostra potestate est, quoniam adjacet nobis; sed quod perficere bonum non est in nostra potestate, ad meritum pertinet originalis peccati » (3).

2. Petavius, in re patristica multum versatus, aliam addit observationem : « Non raro, ait, veteres, dum de gratia loquuntur, plenam et perfectam intelligunt, non inchoatam ac rudem, quae prima nominetur, cujus plerumque mentionem non habent... ut Theodoretus, Photius, Oecumenius, Theophylactus, atque ipse quoque Chrysostomus... Non enim primum voluntatis motum et rationis in gratia numerant; veluti fidem et desideria, quibus ad pleniorem quaerendam Dei notitiam et amorem excitamur, quae sunt excellentiora gratiae munera, proindeque gratiae nomen ac titulum praecipue merentur » (4). Itaque gratia, usu a Patribus recepto, saepe dicitur unice de auxilio ad agendum, non vero de auxilio ad orandum aut ad credendum, immo interdum astringitur ad gratiam sanctificantem.

3. Immerito provocant semipelagiani ad paucitatem locorum ubi Patres priorum seculorum agunt de auxilio Dei ad initium fidei, siquidem ante exortam haeresim, cum fideles omnes cognoscebant sibi non deesse gratiam, non necesse erat longo sermone ejus necessitatem defendere, at potius stimulandi erant fideles ut ipsi adhiberent conatus ad rite credendum, orandum etc. (5).

Obj. 3°. S. Justinus dicit eos omnes esse christianos qui cum ratione vixerunt (6). Alexandrinus docet veteres philosophos a philosophia fuisse justificatos, atque Philosophiam sternere viam ei qui a Christo perficitur (7). Ergo gratia non est necessaria ad hoc ut quis christianus fiat.

---

(1) Aug. *In Ps.* xcii. — (2) Id. *De lib. arb.* c. xii. — (3) Id. *Ad Simplic.* l. III, q. 1. — (4) Petav. *De Deo* l. IX, c. iv, n. 8.

(5) August. « Quid opus est, ait Augustinus, ut eorum scrutemur opuscula qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transentur attingerent, immorarentur vero in eis quae adversus inimicos Ecclesiae disputabant et in exhortationibus ad quasque virtutes. » *De praed. Sanct.* c. xiv, n. 27. M. P. L. XLIV, 980.

(6) Justinus : « Qui cum ratione vixerunt, christiani sunt quamvis athei, et nullius numinis cultores habiti sunt ; quales inter Graecos fuere Socrates, Heraclitus atque iis similes. » *Apol.* I, n. 46.

(7) Clemens Alex. *Strom.* I, n. 20 et ib. n. 5 ubi scribit : « Praeparat ergo Philosophia (graeca) ei viam muniens qui a Christo perficitur. »

Resp. 1. S. Justinus christianos non vocat Socratem aliosque, quasi sine fide et sine gratia effecissent opera salutaria, sed quia existimat ea, quae veteres philosophi sapienter docuerunt vel recte egerunt, dimanasse a recta ratione quae est participatio quaedam Verbi seu rationis divinae, adeoque hoc sensu ad christianam religionem quadamtenus pertinere (1).

2. Clemens Alex. tribuit Philosophiae dispositionem *negativam* ad fidem justificationem, sed nullatenus *positivam*. Philosophia nempe judicio Clementis nequaquam conferebat ullam dignitatem ad fidem, sed auferebat impedimenta. Philosophiae beneficio nunnullis praejudiciis et erroribus declinatis se exuebant homines et veluti uno gradu, ut idem Clemens loquitur (l. I. *Strom.)* ad fidem accedere videbantur.

Obj. 4°. S. Hilarius Pictaviensis opponens initium fidei ad perseverantiam in fide asserit hanc Deo, illud nobis esse attribuendum (2). Eodem modo loquitur Optatus Milevitanus (3). Ergo initium fidei solis naturae viribus adscribit. Non juvat enim affirmare illud attribui ab Hilario viribus quia natura est causa partialis, cum idem de perseverantia dicendum sit, quae nempe non fit sine operatione voluntatis. Quare mente Hilarii perseverantia adscribitur Deo, quia ad perseverandum adjuvat voluntatem, initium salutis non adscribitur Deo, quia nullas in eo partes habet.

Resp. 1. Hilarius invehitur adversus eos qui abutentes doctrina jam tum communiter recepta, hominem nempe neque bonum incipere, neque in eo perseverare nisi beneficio gratiae, excusabant infidelitatem suam ex defectu gratiae divinae. Cum affirmat initium fidei esse a nobis, non ideo excludit necessitatem gratiae praevenientis, uti patet ex aliis locis ubi dicit non modo salutem a divina bonitate pendere, sed insuper ipsam orationem (4). Neque obstant ea quae de perseverantia dicuntur, cum *speciale* Dei donum sit, adeoque datur motivum speciale eam referendi in Dei bonitatem.

2. Ad Optatum quod spectat, de textu citato s. Optati, Natalis Alex.

---

(1) Just. Mart. Cf. *Apol.* II, n. 10, 15.

(2) S. Hilar. Pictav. « Est quidem in fide manendi a Deo munus, sed incipiendi a nobis origo est. Et voluntas nostra hoc proprium ex se habere debet, ut velit : Deus incipienti incrementum dabit » *In Ps.* cxxviii, lit. 14, n. 20.

(3) Optatus Milevit. « Est enim christiani hominis, quod bonum est, velle, et in eo, quod bene voluerit, currere ; sed homini non est datum perficere, quia nostrum est currere, Dei autem perficere. » *Hist. Donat.* l. II.

(4) Hilar. Pictav. « Misericordiam itaque primum deprecatus est, dehinc salutare. Salus enim nostra ex misericordia Dei est, et bonitatis suae hoc mumus in nobis est, et inde capit oratio, unde et salus inchoat deprecantis. » *In Ps.* cxviii, lit. 6, n. 2.

scribit : « His verbis praeformatus videtur semipelagianorum error, vixque in bonum sensum flecti possunt. » Alii tamen putant ab Optato affirmari voluntatis humanae, gratia juvante, esse quod velit bonum, et in eo quod bene voluerit currat, Dei autem esse dare perseverantiam sine ullo merito hominis, quatenus est donum omnino speciale.

Obj. 5°. Chrysostomus affirmat Abraham non per fidem a parentibus exceptam, sed per scientiam naturae insitam et a seipso in excelsum pervenisse virtutis fastigium ; eumque multas gratias a Deo accepisse, quia ipse primum fecerat quod suum erat. Unde concludit Deum exspectare perpetuo voluntatem humanam ut conferat dona sua (1). — Eamdem conclusionem proponens alibi addit ideo a Paulo dici non currentis esse sed miserentis, quia totum adscribitur ei cujus est pars major, nostrum autem esse velle, Dei vero perficere (2).

Resp. A. Chrysostomum nullatenus praeformasse pelagianismum est manifestum non modo argumentis intrinsecis in thesi allatis, sed insuper argumentis extrinsecis.

1. Caelestinus, scribens de pelagianismo ad Maximianum episcopum CP. qui Nestorio successerat, ut ipsi congratularetur et excitaret ut pelagianismo resisteret, eum hortatur ut Chrysostomi, qui ex praedecessoribus ipsius erat, vestigiis insistat. Ergo Caelestinus judicabat Chrysostomum esse alienissimum a pelagianismo (3).

2. Gelasius (4) in decreto de libris quos recipit aut rejicit Ecclesia, capite III° annumerat opera Chrysostomi operibus Cypriani, Athanasii, Cyrilli, Augustini ; rejicit vero, ut apocrypha, ob pelagianismum quo erant infecta, opera Fausti Rhegiensis episcopi et opera Cassiani Collatoris (5).

3. Circa an. 417^{m} haeresis caelestiana seu pelagiana damnata est duobus conciliis in Ecclesia Orientali ; porro nulla mentio fit a Mario

---

(1) Chrysost. « Istud ipsum, quod Patriarcha, qui ante gratiae tempus et ante legem fuit, a seipso, et scientia, quae naturae insita est, in tantum pervenit vertutis fastigium. sufficit, ut omnes nostras excusationes refutet. At forte dicent aliqui : « Vir ille multam a Deo gratiam consecutus est, et omnium Dominus singularem ejus curam habuit. » Quod et ego fatear. Verum nisi primus et ipse, quod suum erat, fecisset, non tanta a Domino obtinuisset... Vidistis, quomodo ab initio quae a seipso erant, attulerit, et propterea divina quotidie ubertim susceperit... Cum viderit (Deus) sanam mentem nostram, et nos conari et inniti ad virtutis certamina, statim nutu et subsidio suo nos adjuvat. » *Hom. XLII in Gen.* n. 1.

(2) Id. « Nostrum quidem est praeeligere et velle, Dei autem est perficere.... Quando nos elegerimus, tum multum nobis affert auxilium. » *Hom. XII in Hebr.* n. 3.

(3) Cfr. Coust. p. 1206; Mansi V, 271 ; Migne, L, 547. — (4) Notare juvat de authentia decreti Gelasii vehementer dubitari. — (5) Cfr. Thiel. *De decretali Gelasii Papae ;* id. *Ep. RR. PP.* p. 454 sqq.

Mercatore de ulla opinionum discrepantia inter Patres exorta. Ergo hac aetate Ecclesia orientalis erat in possessione tranquilla doctrinae orthodoxae. Jamvero talis non fuisset status rerum, si Chrysostomus semipelagianismum praeformasset.

B. *Explicantur loca objecta.* 1. Ad hom. XLII^m in Gen. n. 1 : a) Chrysostomus nomine gratiae non intelligit auxilia generatim hominibus collata ad credendum aut ad orandum, sed gratias omnino speciales Abrahae collatas, immo videtur loqui de gratiis externis (cura speciali). b) Abraham meruit a Deo accipire haec dona extraordinaria quia *primus et ipse quod suum erat fecerat.* Si agitur de operibus sine ulla gratia factis, nihil obstat quin dicantur fuisse dispositiones negativae. Verum non excluditur omne auxilium gratiae, quod sane non defuit Abrahae ut salutariter crederet ea quae Deus ipsi revelavit, ut morem gereret praeceptis ipsi a Deo latis ; non fit quidem diserta mentio illius modi auxiliorum quia pro scopo habuit s. Doctor ostendere partes ipsius Abrahae in bonis operibus, verum ideo non excluditur gratia. c) Cum ait Chrysostomus Abrahamum ex seipso et scientia quae naturae insita est ad virtutis fastigium pervenisse, excludit quidem curam parentum et magisterium humanum, non vero revelationem divinam qua cohonestatus est Abraham antequam evenerunt ea de quibus instituitur sermo in hac homilia.

2. Ad hom. XII in Hebr. 3, manifestum est Chrysostomum non loqui modo semipelagianorum. Non enim dividit seriem actuum ad salutem conducentium in duas partes, quarum una quidem attribuitur viribus naturae, altera vero gratiae naturam juvanti ; sed singula opera attribuit concursui virium gratiae et virium libertatis. Hoc enim constat tum quia verba, e quibus movetur objectio : « Oportet enim nos primum bona eligere et cum elegerimus tunc offert quae sua sunt, » afferuntur ad probandum id assertum immediate praecedens : « In Dei quidem potestate sunt omnia, sed non ita ut nostrum liberum laedatur arbitrium... En ergo in nostra potestate et in ejus potestate ; » tum ex consequentibus : cum enim proponit sibi Chrysostomus objectionem ex Apostolo dicente : « Non volentis, neque currentis sed miserentis est Dei, » respondet : « Hic (Paulus) autem duo magna et praeclara efficit. Unum quidem ne efferamur de bonis operibus ; secundum ut recte factorum causam Deo tribuamus. Etiamsi curras, etiamsi studium ponas, inquit, ne tuum esse existimes quod recte gestum est. Nam nisi supernam opem adipiscaris, frustra erunt omnia. »

23. — Ex ratione. Obj. 6°. Homo sine ullo gratiae interioris auxilio

revelata cognoscere et credere potest; constat quia ad notitiam facti revelationis et motivorum credibilitatis pervenire per solas vires potest. Atqui talis fides est initium salutis. Ergo.

Reps. *Dist. maj.* Valet revelata cognoscere et credere actu fidei *objective quidem supernaturali, subjective autem naturali, Conc.;* actu *subjective supernatuali,* adeoque fide *salutari, Neg. Cdt. min.* Fides subjective supernaturalis est initium salutis, *Conc.,* subjective *naturalis Subdist. in ordine temporis* est saepe initium salutis quatenus praecedit influxum internum gratiae, *Trans.; in ordine causalitatis* est initium h. e. habet coram Deo valorem dignitatemve ob quae Deus concedit gratias interiores aut justitiam, *Neg.*

Obj. 7°. Si initium fidei, comprehendens desiderium, petitionem, pium credulitatis affectum, non provenit ab homine; jam tota ratio cur Deus aliis quidem concedat, aliis vero deneget fidem, petenda erit ex libera ipsius volentate. Atqui hoc nequit admitti. Etenim a) sic destruitur voluntas Dei salvifica ad omnes homines extensa; b) apud Deum daretur personarum acceptio contra id quod Petrus dixisse legitur: « In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus. » (Act. x, 34); c) excusabiles forent ii qui, fide a Deo non accepta, in infidelitate remanent.

Resp. 1. Nullum ex memoratis inconvenientibus incurritur, dummodo attendatur Deum, antecedenter ad praevisas hominum actiones, velle serio, licet conditionate, omnium salutem, adeoque eum singulis praeparare gratias saltem remote sufficientes ad comparandam fidem, justitiam et salutem. Hoc enim posito, ratio ob quam alii donum fidei consequuntur, alii non, unice petitur ex eo quod alii consentiunt gratiae ad fidem vocanti, alii ab ea dissentiunt. Immerito itaque supponere videtur objectio fidem esse donum aut solius Dei, nullatenus interveniente voluntate, aut solius voluntatis humanae. Deus dat quidem aliis gratias conditionate praescitas efficaces, aliis vero gratias praescitas inefficaces. At non dat gratias inefficaces quia sunt inefficaces, sed, non obstante praescientia inefficaciae, eas tamen elargitur vi voluntatis salvificae, ut jactura salutis sit refundenda unice in homine renuente uti subsidiis divinis.

2. Licet Deus non omnibus aequales gratias concedat, sed aliis quidem plures et robustiores, aliis vero pauciores et debiliores; attamen eum ideo non fieri acceptorem personarum, ex eo est manifestum quod ille tantum dicitur injustus personarum acceptor qui indigno aut minus digno dat donum prae digniori, nullatenus vero is qui, cum

omnes sunt indigni receptione gratiae, uni prae alio concedit gratias uberiores, praesertim si ceteri non carent gratia sufficienti. Tantum dici potest Deum alios aliis plus diligere.

Itaque distinguitur major : Si donum fidei non provenit ex homine, h. e. *ex consensu quem homo libere praestat gratiae,* tota ratio electionis est petenda ex Dei voluntate, *Conc. ;* si non petitur *unice* ex homine, debet peti tota ex Deo, *Neg.* : Datur enim medium inter haec duo. *Cdt. min.* et neg. conseq. et cons.

ARTICULUS III.

De necessitate gratiae ad perseverandum in justitia.

§ I. Status quaestionis.

24. — **Perseverantia** duplex distinguitur : *temporalis* et *finalis.* — Qui aliquo tempore se servat in statu justitiae, postea ab eo excidit neque iterum resurgit, ille habet perseverantiam *temporalem.* — Qui in justitia primo accepta, aut post peccatum recuperata, perseverat usque ad mortem, ille habet perseverantiam *finalem* seu absolutam et simplicem. Dupliciter id contingere potest ; adeoque duplex est perseverantia finalis. a) Altera, quae dicitur *passiva,* ex parte hominis justificati nullam actionem seu comparationem gratiae requirit. Eam habet puer qui moritur post gratiam baptismo receptam et ante adeptum usum rationis. b) Altera, quae *activa* dicitur, requirit hominis cooperationem gratiis ; definitur continuatio in statu gratiae finalis juncta cum actibus virtutum. Eam habet justus qui post acquisitam gratiam aliquo tempore vivit mandata Dei observans, tentationes vincens, virtutem exercens, salutari paenitentia delens peccata et demum moritur in statu gratiae. Vocatur *activa,* non quatenus excluderet passivam gratiae receptionem, sed quia huic receptioni superaddit adulto, prae puero, activam liberae voluntatis cooperationem.

25. — Circa donum perseverantiae agitantur duae quaestiones :

PRIMA QUAESTIO : *An perseverantia finalis activa sit speciale Dei donum?*

Dicitur *finalis activa :* Itaque non fit sermo de perseverantia *temporali,* neque de perseverantia *finali passiva :* perseverantiam finalem infantulorum qui ante adeptum usum rationis e vita migrant, baptismo suscepto, esse speciale Dei donum admittunt omnes, etiam semipela-

giani, et elucescit ex Sap. IV, 11 sq. « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.... placita enim erat Deo anima illius : propter quod properavit educere illum de medio iniquitatum. » Restringitur itaque quaestio ad solos justos adultos qui post acceptam justitiam aliquamdiu vivunt, in justitia finaliter perseverant, proindeque legem Dei servant, tentationes vincunt, virtutem exercent. — Dicitur praeterea in quaestione proposita donum *speciale ;* non enim agitur de donis *communibus,* quae scilicet a Deo conceduntur tum finaliter perseverantibus, tum finaliter non perseverantibus. Ex disputatis in capite primo constat gratiam esse physice necessariam ad omnem actum salutarem, deinde ex disputandis capite quarto constabit moraliter esse impossibile ut homo solis naturae viribus vincat tentationes graves et diu servet legem naturalem quoad substantiam, adeoque moraliter necessariam esse gratiam ; quare justus ut finaliter perseveret, indiget quidem Dei gratia, siquidem ei observanda diu est lex divina et vincendae sunt tentationes graves ; verum ex disputandis capite septimo manifestum erit gratiam sufficientem nulli a Deo denegari neque justo, neque peccatori, neque infideli. Quamobrem disquisitio heic fit de alio Dei dono finaliter perseverantibus proprio, seu omnibus et solis finaliter perseverantibus divinitus concesso. Itaque sensus quaestionis propositae est *an in praesenti oeconomia justi indigeant ad finaliter perseverandum dono Dei speciali* h. e. diverso ab auxiliis communibus quae omnibus conceduntur ad observandam Dei legem et vincendas tentationes.

Quaestio heic agitata sic etiam proponi potest : an detur in Deo *voluntas misericordiae specialis.* Quemadmodum, vi voluntatis salvificae universalis, decernit Deus dare omnibus hominibus gratias sufficientes ad salutem, quae gratiae sunt communes perseveraturis finaliter et non perseveraturis ; sic, vi voluntatis misericordiae specialis, decernit dare omnibus et solis perseveraturis donum speciale diversum a gratiis quae sunt communes omnibus hominibus ; illud autem donum nequit esse aliud praeter donum ipsius perseverantiae, siquidem ceterae gratiae, tum internae tum externae, non sunt propriae perseveraturis,

Eadem quaestio adhuc sic proponitur : an Deus, antecedenter ad opera bona absolute in tempore facta adeoque antecedenter ad aeternam praescientiam absolutam eorumdem operum, praedestinet absolute ad gloriam omnes et solos electos. Deus enim vi voluntatis misericordiae specialis praedestinat perseverantiam electorum, adeoque gloriam, haec vero praedestinatio antecedit non tantum in ordine temporis sed

etiam in ordine naturae bonum usum ultimae gratiae, siquidem perseverantia supponitur donum Dei. Advertere juvat hanc quaestionem esse diversam ab ea qua quaeritur utrum praedestinatio ad gloriam antecedat *omnem* praescientiam, etiam conditionalem, an praecedat tantum praescientiam *absolutam*.

26. — Sententiae. I^a^ est *semipelagianorum*. Admittebant quidem exigi Dei gratiam ad augmentum fidei, seu ad observationem legis divinae; verum negabant necessariam esse aliam gratiam ad perseverandum, aiebantque unumquemque pro nutu arbitrii sui consentire Dei gratiis et perseverare, aut ab iisdem gratiis dissentire et non perseverare.

II^a^ est *catholicorum* propugnantium hominem ad perseverandum indigere speciali Dei gratia, adeoque perseverantiam merito vocari *donum Dei*. Haec sententia est *de fide definita* ex Tridentini sessione VI^a^, c. XIII et can. 22.

27. — SECUNDA QUAESTIO. *In quonam consistat donum perseverantiae.* Donum perseverantiae stat in conjunctione mortis cum statu gratiae a Deo electis data et praeparata. Cum eveniat vi aeterni Dei decreti, inquirunt theologi de indole hujus decreti.

1. Alii sic explicant decretum divinum : Deus, independenter ab omni praescientia meritorum, alios gratuito elegit ad gloriam et ad certum gloriae gradum; alios vero non elegit proindeque negative reprobavit adeoque vult aliorum conjunctionem mortis cum statu gratiae, aliorum vero praefatam conjunctionem velle omittit; consequenter ad hoc decretum, Deus praedefinivit formaliter actus bonos quibus electi gradum gloriae mereri debeant; his omnibus a se electis praedestinavit ab aeterno gratias efficaces quibus opera praedefinita infallibiliter fiant; hae autem gratiae ponuntur a Bannesianis esse efficaces ab intrinseco, a congruistis autem ab extrinseco beneficio scientiae mediae qua earum efficacia praesciebatur a Deo ante omne decretum eas elargiendi. — Porro donum perseverantiae stat in conjunctione mortis cum statu gratiae vi gratuitae Dei electionis ad gloriam, in praedefinitione operum ad gloriam perducentium et in praedestinatione gratiarum efficacium quibus haec opera fiunt.

2. Alii, ducibus Molina et Lessio, sic respondent : a) Deus antecedenter ad actiones hominum absolute praescitas, antecedenter etiam ad has actiones conditionate praescitas et ad decretum absolutum de uno ordine gratiarum, vult conditionate quidem sed serio et actuose ut omnes homines salvi fiant, adeoque finaliter perseverent; quare etiam

vult ut omnes ornentur mediis sufficientibus ad salutem. Sub hoc signo rationis *omnes homines possunt finaliter perseverare.* — b) Per usum scientiae mediae cernit Deus Petrum positum in uno quidem ordine gratiarum internarum et externarum, naturalium et supernaturalium, virtutem exercere, legem Dei servare aut e lapsu resurgere, finaliter perseverare et consequenter ad haec gloria aeterna esse praemiandum; in altero autem ordine positum, vitio indulgere, legem divinam contemnere, non resurgere e lapsu nec finaliter perseverare, et consequenter ad haec in aeternum esse puniendum. *Praelucente hac scientia media,* decernit absolute primum ordinem. — c) Quare hi omnes et soli perseverabunt, seu morientur in statu gratiae, quibus praedestinatae fuerint gratiae modo enumeratae conditionate praescitae efficaces et conjungendae cum perseverantia finali. Cum vero istud decretum Dei praecedat tempore actiones hominum absolute futuras et praecedat natura scientiam Dei visionis in has actiones fundatam, dici potest *neminem posse salvari* nisi ei praedestinatae fuerint hae gratiae conditionate praevisae efficaces et conjungendae cum perseverantia finali. Jamvero nemini debetur ut Deus decernat conferre gratias praescitas efficaces potiusquam praescitas pure sufficientes. Itaque gratuito praedestinantur gratiae conditionate conjungendae cum perseverantia finali. — d) Quamobrem perseverantia finalis, seu conjunctio mortis cum statu gratiae post bonum usum gratiarum usque in finem vitae, est magnum et speciale donum. Id donum consistit causaliter quidem in gratia increata seu decreto Dei; formaliter vero in adductione adjunctorum opportunorum, remotione impedimentorum, collatione gratiarum quae in praefatis adjunctis fuerunt conditionate praescitae efficaces et conjungendae cum finali perseverantia, omissis gratiis quae in aliis adjunctis erant conditionate praescitae conjungendae cum statu peccati in fine vitae. Itaque donum perseverantiae consistit etiam in attemperatione liberae activitatis, gratiarum supernaturalium et naturalium, demum agentium physicorum adducentium mortem tempore opportuno.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS III^a. — Justus nequit in praesenti ordine sine speciali Dei auxilio perseverare ad finem vitae usque in statu justitiae. Quare merito perseverantia finalis vocatur a Tridentino magnum donum. (Sess. VI, can. 16.)

28. — I^a Probatio I. Ex Scripturis. 1. Omnia nostra bona dicuntur

esse dona Dei; sic speciatim Jacobus : « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum » (1, 17). Atqui perseverantia finalis formaliter sumpta, seu conjunctio mortis cum statu gratiae, est maximum bonum. Ergo est donum Dei. Cfr. Augustin. qui de eo loco sic loquitur : « Negare non possumus etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus ; nec esse nisi ab illo de quo scriptum est : Omne datum optimum etc. » (1).

2. Deus non modo dicitur incipere negotium salutis, neque modo dicitur illud augere, sed adhuc custodire et consummare. Sic Paulus ad Phil. « Confidens hoc ipsum quod qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu, » (1, 6) ; et v. 29 : « Vobis donatum est pro Christo non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo. » In quem locum Augustinus : « Horum quippe unum, ait, pertinet ad intium, alterum ad finem ; utrumque tamen Dei donum est, quia utrumque dictum est esse donatum » (2). — Neque aliter loquitur s. Petrus ad christianos : « Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem » (I ep. 1, 5).

3. Quod petitur a Deo est Dei donum. Atqui in Scripturis perseverantia finalis a Deo dicitur expostulanda. Ergo. — *Prob. min.* a) Christus videtur a Patre petiisse Apostolis perseverantiam hac oratione a Johanne relatam, XVII, 11, 12 : « Pater sancte, serva eos in nomine meo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi : et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis (3)... » b) Christiani docentur a Deo petere perseverantiam oratione dominica (Matth. VI, 9 sq.). Ostendit Augustinus omnes petitiones hujus orationis, una excepta qua nempe petitur remissio peccatorum, eo tendere ut obtineatur donum perseverantiae (4). Porro ex eo quod petitur perseverantia, concludit Augustinus eam a solo Deo donari : « Cur autem, inquit, perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo ? An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur non ipsum dare, sed, ipso non dante, esse in hominis potestate, sicut irrisoria est etiam illa gratiarum actio, si ex hoc gratiae aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit (5). »

29. — II^a Probatio. Ex Traditione. I^m Arg. *Petitur ex Conciliis.*

1. Arausicanum II in canone 10° asserit quod « adjutorium Dei etiam

(1) AUG. *De correpl.* et gr. c. VI M. XLIV, 921. (2) AUGUST. *De dono perseverantiae*, n. 2. M. XLV, 995. — (3) Cf. ib. n. 3, 5, M. 996 sq. — (4) Cf. l. c. n. 3-9. — (5) Cf. l. c. n. 3.

renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. »

2. Tridentinum a) in sessione VI, canone 22° definivit : « Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. » b) Ib. capite XIII ejusdem sessionis loquitur « de perseverantiae munere, de quo scriptum est : Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit : quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere. » c) Ib. in canone 16 : « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit. »

IIª Arg. *Petitur ex controversia Patrum cum semipelagianis.* 1. Dicebant semipelagiani Deum aequaliter velle omnium hominum salutem ; contra, juxta Patres, Deus, praeter voluntatem salvificam generalem, vi cujus cuique dat gratias sufficientes ad credendum, ad observandam Dei legem, ad salutem consequendam, gerit erga electos omnes et solos voluntatem misericordiae specialis. Atqui ista voluntas non potest consistere nisi in concessione doni specialis cui debetur conjunctio mortis cum statu gratiae, seu perseverantia ; cetera enim sunt communia perseveraturis et non perseveraturis. Ergo.

2. Augustinus imprimis orthodoxam sententiam defendit adversus semipelagianos. — Contra pelagianos defenderat ad omne opus salutare exigi gratiam internam quae efficiat actum salutarem ; defenderat praeterea hanc gratiam, cujus ope fit opus bonum, esse infallibiliter efficacem et sine ea nihil boni fieri in ordine salutari ; demum perseverantiam finalem esse speciale Dei beneficium. — Monachi Adrumetini adversus hanc doctrinam moverant difficultates, quas Augustinus refert initio libri de correptione et gratia. Reponit sanctus doctor tria esse componenda : omnia vere bona, speciatim perseverantiam, esse tribuenda gratiae, orandum esse pro omnibus ut gratiam et perseverantiam accipiant, eos esse corripiendos qui peccant (op. cit. nn. 1-10). — Occasione accepta, fuse loquitur de dono perseverantiae ostenditque quanta serie gratiarum donati sint hi qui in hoc statu naturae lapsae a massa damnationis sunt discreti (n. 10 et seq.). Omnibus et solis finaliter perseveraturis, seu sanctis in regnum praedestinatis, antecedenter ad opera bona absolute praevisa (non tamen antecedenter ad eadem opera conditionate praevisa) decernitur aeternaliter a Deo adjutorium quo fit ut perseverantes sint et nonnisi perseverantes, quo

superbia humana extinguitur, confertur non posse peccare, non posse mori, non posse deserere, quo voluntas agitur indeclinabiliter et insuperabiliter et nulla tentatione vincitur (op. cit. nn. 26-39). — Eamdem doctrinam de dono perseverantiae iterum et instantius proponit s. Augustinus duobus integris libris, de dono perseverantiae et de praedestinatione sanctorum, ad Hilarium et s. Prosperum scriptis. — Porro tribus hisce libris non tantum propugnatur exsistentia doni specialis perseverantiae, sed adhuc reponitur ejus natura in decreto Dei innixo scientiae mediae, uti postea demonstrabitur.

3. Perseverantiam esse speciale Dei donum luculenter etiam testantur, praeter Patres ante exortum pelagianismum, s. Hieronymus (1) et S. Prosper (2).

30. — III^a Probatio. Ex ratione theologica. *Prima* petitur a s. Thoma tum ex naturali inconstantia et mutabilitate hominis de bono in malum, quam gratia habitualis non tollit, tum ex corruptione naturae, quae numquam ita sanatur per gratiam, ut non remaneat semper aliqua ignorantia in intellectu et rebellio carnis adversus spiritum (3).

Secunda : Juxta disputata in tractatu de Deo uno, Deus praedestinat ad gloriam consequenter ad usum scientiae mediae. Itaque postquam per scientiam mediam vidit Deus Petrum in uno quidem ordine adjunctorum et auxiliorum consentientem gratiis, resurgentem e peccato, perseverantem in statu justitiae usque ad mortem, in alio autem ordine non resurgentem e peccato sed perseverantem in statu peccati usque ad mortem, Deus, inquam, elegit primum ordinem. Ergo perseverantia est speciale Dei donum gratuitum.

Prob. conseq. a) Est *donum :* Deus enim Petro dat perseverantiam, siquidem eligit ordinem in quo est perseveraturus. — b) Id donum est *gratuitum* et *speciale,* seu diversum ab omni alio dono. Profecto praedestinatio ad gloriam est gratuita in systemate neothomistarum et congruistarum, utpote antecedens omnem prorsus meritorum praevi-

(1) Hieron. « Hoc scito, baptismum praeterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quae labore et industria et semper et etiam super omnia Dei clementia custoditur. » L. III *adv. Pelag.* n. 1.

(2) S. Prosper : « Cum dubium non sit, donum Dei esse perseverantiam in bono usque in finem, quam istos (reprobos) ex eo ipso, quod non perseveraverunt, non habuisse manifestum est, non est calumniandum Deo, quare istis non dederit, quod aliis dedit ; sed confitendum est, et misericorditer eum dedisse quod dedit, et juste non dedisse, quod non dedit, ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso oriri videatur et standi, cum illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere. » *Resp. ad cap.* VII *Gallorum.*

(3) S. Th. *Summa contra Gentiles*, l. III, c. CLV ; I^a II^ae, q. CIX, a. 9 et 10.

sionem adeoque in iisdem non fundata. Contra eadam praedestinatio in systemate Molinae et Lessii non est simpliciter gratuita, siquidem consequitur praevisionem conditionatam meritorum ex gratia acquisitorum in quibus fundatur. At nihilominus perseverantia ejusdemque praedestinatio est gratuita et gratia specialis in hoc systemate, quod probrandum superest.

De unoquoque ex iis qui in praesenti ordine sunt electi, affirmari potest cum summa probabilitate eos in alio quodam ordine futuros fuisse reprobos consequenter ad conditionate praescita demerita. Id enim suadetur ratione theologica modo allata. Et requidem vera, si sancti constituti fuissent in asperrimis adjunctis, si violenter fuissent tentati, et solis gratiis remote sufficientibus praeventi, nonne summe probabile est eos passuros fuisse jacturam salutis ? Ergo gratia gratuita et specialis continetur in electione ordinis in quo electi conditionate praesciti erant perseveraturi, omisso ordine in quo conditionate praesciebantur damnandi consequenter ad demerita.

Observa. Alio processu ostendi potest unumquemque ex iis qui in praesenti ordine ad gloriam sunt praedestinati, in alio ordine futuros fuisse reprobos ob demerita. Haec enim propositio consequitur veluti corollarium ex eo quod revelatione constat perseverantiam finalem esse speciale Dei donum et ex explicatione scholastica hujusce doni. Si enim Deus dat electis donum speciale vi cujus nonnisi perseverantes sint, et si istud donum reponitur in electione determinati ordinis donorum naturalium et supernaturalium, ergo de unoquoque electo verificatur quod in aliquo ex aliis ordinibus non fuisset electus : si enim datur unus ex electis qui in singulis ordinibus consensisset gratiis sufficientibus et statum gratiae perpetuo servasset, quomodo electio hujus ordinis prae alio valeret ei dare donum perseverantiae ?

31. — SCHOLION. Praeter gratiam habitualem et gratias actuales connaturales statui elevationis, non indigebat Adam in statu innocenti speciali auxilio ad potestatem perseverandi. Egebat tamen gratia ad perseverantiam actualem.

Probatur : 1. *Ratione theologica.* a) Non indigebat Adam speciali Dei dono *ad potentiam perseverandi.* Natura in statu integritatis, immunis a concupiscentia, non indigebat auxilio gratiae ad observandam legem naturalem et ad vitandas tentationes etiam graves ; indigebat quidem auxilio principii supernaturalis ut actus forent supernaturales, at praesto erant habitus infusi qui excitandi erant a Deo propte dignitatem status. — b) Indigebat Adam Dei gratia ad *perseverantiam actua-*

lem. α) Si enim indigebat Dei auxilio ad omne bonum salutare, ergo eo indiguit ad perseverantiam actualem in quo continetur maximum bonum. Praeterea β) perseverantia activa non erat possibilis sine observatione salutari Dei legis, ad hanc autem necessaria fuit Dei gratia, ergo necessaria fuit ad perseverantiam actualem.

2. *Auctoritate :* a) Arausicanum de dono necessario ad perseverantiam actualem haec habet : « Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterat reparare, quod perdidit ? » (1). — b) Augustinus utrumque luculenter propugnat : α) In l. *de dono perseverantiae* asserit perseverare non esse quidem in viribus liberi arbitrii quales nunc sunt, verum « *fuisse in homine antequam caderet* » (2). β) In *l. de corr. et gr.* multis id propugnat. Adrumetini monachi, ad quos dirigitur liber de corr. et gratia, dicebant Adamum *non habuisse* donum perseverantiae, adeoque *non accepisse ;* Augustinus affirmat mentem eorum, nedum improbet : « Acceperat posse si vellet, sed *non habuit velle* quod posset ; nam si habuisset, perseverasset (3). » « Primo homini... datum est adjutorium perseverantiae, *non quo fierit ut perseveraret,* sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset (4). » Eodem modo loquuntur : Fulgentius (5) et Anselmus (6). E quo liquet horum Patrum judicio necessarium esse donum perseverantiae ad actualem perseverantiam. — c) Utraque pars probatur adhuc auctoritate multorum scholasticorum, inter quos Vasquez, Suarez, Ripalda qui citat Magistrum, Bonaventuram, Albertum Magnum aliosque ; demum gloriatur patrocinio s. Thomae (7).

Satisfit difficultatibus.

32. — Ex Scriptura et ex Patribus. Obj. 1°. Gratia sanctificans,

(1) Arausic. Can. 19, Denz. n. 162. Cfr. Aug. Ep. clxxxvi, c. xi, n. 37. M. XXXIII, 830. — (2) Aug. *De dono persev.* c. vii, n. 13. M. XLV, 1001. — (3) Id. l. *de corr. et gr.* n. 32. M. XLIV, 935. — (4) Id. Op. cit. n. 34. Cfr. *Civ. Dei,* l. XII, c. ix. M. XLI, 357. — (5) Fulgent. *ad Thrasim.* l. II, c. ii. M. LV, 246. — (6) Anselm. *De casu diaboli.* c. ii. M. CLVIII, 328. — (7) Suarez, *De gratia.* l. X, c, ix. Ripalda, d. cxi, n. 51 sq. Vasquez, in Iª IIªᵉ, d. cxcvii, n. 8, 12. Mag. II, d. 24, 25 ; s. Th. Iª IIªᵉ, q. cix, a. 10, ad 3ᵐ. Asserit Vasq. necessitatem gratiae specialis ad perseverantiam actualem esse definitam ab ecclesia. Juxta Suar. definitum tantum est aliquod adjutorium actuale esse necessarium ad actualem perseverantiam, sc. aut speciale adjutorium aut concursum connaturalem habitibus infusis.

secundum Augustinum et Milevitanum (1) non modo delet peccatum, sed etiam praestat ut jam non peccemus ; secundum Tridentinum cum justitia connectitur gratia Dei qui justificatos jam non deserit, nisi prius ipse ab eis deseratur. Atqui qui hujusmodi gratia instruuntur, non indigent speciali dono Dei ad perseverandum. Ergo.

Resp. Gratia sanctificans praeservat a peccato, quoties absunt graves tentationes et occasiones peccati ; est etiam titulus ob quem Deus confert justis auxilia sufficientia ad superandas tentationes graves et ad perseverandum in justitia ; verum non est titulus ob quem conferri debeant a Deo gratiae externae et internae *quae praevisae fuerint efficaces.* Idcirco quod gratiae efficaces tribuantur potius quam pure sufficientes, id adscribendum est speciali Dei benevolentiae. Quare *distinguitur 1a pars majoris :* Gratia praestat ut non peccemus, h. e. ut *possimus* abstinere a peccato, quatenus est titulus ob quem conferuntur gratiae sufficientes, *Conc.;* praestat ex se sola ut *reapse* non peccemus, seu est titulus *ex se sola* ut conferantur gratiae *praevisae efficaces, Neg.* — *Distinguitur 2a pars :* Deus non deserit justos, h. e. confert gratias *sufficientes, Conc.;* semper *efficaces, Neg.* — *Cdt. min.* (2).

Obj. 2°. Adamus acceperat unde perseverare posset sine speciali dono, secundum doctrinam Augustino probatam (3). Atqui per Christum nobis fuit plus collatum quam per praevaricationem Adae fuerat ablatum ; ubi enim abundavit delictum, ait Paulus, superabundavit gratia (Rom. v, 20). Ergo a fortiori.

Resp. Christus non profuit magis juxta omnem considerationem : Adamus enim posteritati amisit immunitatem a concupiscentia, a malis physicis et a morte ; hanc autem immunitatem Christus non restituit. Verum magis profuit tum quatenus ob merita ejus saepe infunditur justitia peccatoribus qui nonnisi unum peccatum ex Ada contraxerunt; tum quatenus posteri Adae ex protoparente innocente non accepissent nisi potentiam perseverandi antecedenter ad opera conditionate praescita, ob merita vero Christi electi in statu naturae lapsae, praeter eamdem potentiam, sub signo rationis posteriori accipiunt actualem

(1) Milevit. « Quicumque dixerit gratiam, in qua justificamur per J. C. D. N. ad solam remissionem peccatorum valere quae jam commissa sunt, non etiam in adjutorium ut non committantur, anathema sit. » Can. 3. Denz. n 67. Cf. August. *De nat. et gr.* c. xxvi. M. XLIII, 261. Milevit. can. 8. Denz. n. 72.

(2) Aug. Gratiam Dei suscipiunt (non perseveraturi) sed temporales sunt nec perseverant, deserunt et deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiae dono, judicio Dei justo et occulto. (Cfr. *de corr. et gr.* c. xiii).

(3) Id. *De corr. et gr.* c. xii, M. XLIII, 936.

perseverantiam. — Quare *negatur suppositum :* Supponitur nempe judicio Augustini non dari omnibus *posse perseverare* sub eodem signo rationis scientiae divinae sub quo illud donum Adamo collatum fuit ; illud autem nullatenus negat Augustinus, verum contendit in praesenti oeconomia, quae consequitur usum scientiae mediae, superadditam fuisse pro electis *actualem perseverantiam* seu *non posse non perseverare.*

Obj. 3°. Si perseverantia finalis est speciale Dei donum, inutilis fit sollicitudo circa salutem : illi enim quibus id donum destinatur a Deo, certo certius perseverabunt ; ceteri certo non perseverabunt. Atqui Scriptura exigit ab homine sollicitudinem circa salutem : « Petite, et dabitur vobis » (Luc. XI, 9) ; « Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem » (Matth. XXVI, 41) ; « Contendite intrare per angustam portam » (Luc. XIII, 24) ; « Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet » (Luc. XII, 40) ; « Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis » (II Cor. XI, 1) ; « Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis » (II Petr. I, 10).

Resp. a) *Dist. maj.* Si perseverantia finalis est speciale Dei donum praedestinatum *antecedenter ad omnem praevisionem usus liberi arbitrii,* adeoque *antecedenter ad conditionate praescitam sollicitudinem circa salutem,* inutilis fit sollicitudo ista, *Conc. ;* si praedestinata fuit *consequenter, Neg. Conc. min. Dist. cons.* — b) *Dist. maj.* Si perseverantia est donum quod *homo nullatenus mereri valet per opera bona,* inutilis fit sollicitudo de salute, *Conc. ;* si homo illud *mereri potest,* saltem de congruo fallibili, per opera bona praescita conditionate antecedenter ad decretum quo id donum fuit a Deo praedestinatum, *Neg.* — *Conc. min.*

33. — Difficultates ex penu rationis.

1. Si revelatione non cognosceretur Deum consuluisse prius scientiam mediam, antequam condiderit decretum absolutum de dandis gratiis, concluderetur Deum non conferre gratiam specialem ad perseverandum. Verum Deus formavit decretum consequenter ; eligere potuisset alium ordinem, ubi defuisset perseverantia finalis eorum qui reapse in praesenti ordine perseverant. Quare iis datur a Deo verum donum.

2. In hoc decreto absoluto Dei, quo perseverantia praedestinatur consequenter ad conditionate praevisa opera bona, perseverantia habet rationem sui in operibus bonis praecedentibus. Nihilominus est gratia specialis ob duo : a) Ipsa opera involvunt donum speciale, fiunt enim cum gratia praescita efficaci, cujus loco dari potuisset gratia praescita inefficax. b) Probabilius opera praecedentia non merentur

perseverentiam nisi de congruo fallibili (cf. n. 6). Cum vero homo per opera supernaturalia valeat eam mereri, ideo non deest stimulus virtutis, motivum corripiendi peccatores.

3. Constituitur in cujusque potestate consentire omnibus et singulis gratiis sufficientibus, perseverare et salvari *antecedenter* ad datum absolute aut recusatum consensum, antecedenter etiam ad conditionate datum aut recusatum hunc consensum et ad decretum absolutum de determinato ordine gratiarum. Verum non constituitur in potestate arbitrii *consequenter* ad praefata : Tunc enim prius natura ponitur aut denegatur consensus ; quod autem factum est infectum esse nequit. — Jamvero Deus in praesenti oeconomia voluit decernere gratias, praelucente scientia media; ergo ad habendam gratiam perseverantiae necesse est ut electus fuerit a Deo ordo in quo consensus gratiis conditionate praescitus fuerit, potius quam ordo contrarius.

Potest etiam paucis dici : Constituitur quidem in potestate arbitrii consentire aut dissentire ; sed Deus conditionate praescivit bonum usum potestatis aut malum usum ; jamvero donum Dei consistit in eo quod dat cum *praescientia boni usus.* Inde apud eum qui perseverat finaliter, perseverantia est in ejus potestate antecedenter ad datum consensum ultimis gratiis et nihilominus est donum speciale, quia decreta est sub praescientia consensus, cum in alio ordine decerni potuisset gratia pure sufficiens. Apud eum qui non perseverat, perseverantia est tamen in ejus potestate ; attamen caret dono, quia potestas collata est cum praescientia abusus, dum in alio ordine collata fuisset cum praescientia boni usus.

4. Homo habet omnia requisita ad observandam Dei legem. Sed in uno ordine praesciebatur conditionate observaturus usque in finem, in alio violaturus ; electus est primus ordo. — Qui in hoc ordine violant Dei legem, gratiam reddunt inefficacem et moriuntur in statu peccati ; in alio ordine praesciti erant conditionate observaturi Dei legem et perseveraturi. Contra qui in praesenti ordine servant Dei legem et perseverant, in alio ordine praesciebantur non observaturi ; itaque donum speciale iis est collatum.

5. Justus habet jus ad gloriam hypothetice, sc. si manet justus ; habet etiam jus ut non amittat gratiam nisi ex propria culpa ; quare habet jus ad gratias sufficientes ut justitiam retineat ; non habet jus ex titulo justitiae ad gratias efficaces, secus esset impeccabilis ; utrum opera supernaturalia fundent aliquod jus, jam dicturi sumus.

6. Juxta alios justus potest mereri gratias efficaces et perseveran-

tiam de congruo *fallibili,* h. e. quod sibi annexam non habet infallibilem Dei promissionem ; juxta alios, de congruo *infallibili.* — a) Si defenditur meritum congruum *fallibile,* patet non conferri jus veri nominis ad perseverantiam. Meritum enim congruum ex se postulat praemium ex aequitate, jus vero ex justitia. Quare perseverantia erit *partialiter quidem praemium, partialiter autem donum* etiam independenter ab alia consideratione. — b) Si defenditur meritum de congruo *infallibili,* adeoque jus ultimo fundatum in Dei promissione, nihilominus perseverantia erit partialiter donum speciale, sc. *gratia praescita efficax* cujus loco decerni potuisset praescita inefficax. — Ceterum c) etiamsi justus de condigno mereretur perseverantiam, adhuc Dei dono esset adscribendum quod ei praedestinata fuerit gratia ea quae praescita est esse efficax.

Obj. 4°. Eo quod perseverantia esset donum speciale Dei omnibus et solis perseverantibus collatum, consequeretur ceteros non posse perseverare. Atqui hoc est falsum. — *Prob. min.* Deus vult serio, licet conditionate, ut omnes salvi fiant, et hoc vult usque ad finem vitae singulorum hominum. Atqui pervertitur haec Dei voluntas, eo quod ii qui non perseverant, dicuntur non posse perseverare ex defectu doni a Deo conferendi. — *Prob. min.* Ut salva maneat ista voluntas, exigitur ut Deus singulis tribuat necessaria ad acquirendam et conservandam justitiam usque in finem vitae, adeo ut jactura non debeatur nisi malo usui donorum Dei. Atqui hoc falsificatur posito, etc. Ergo.

Resp. *Distinguitur major syllogismi principalis.* Consequeretur eos qui non perseverant, non posse antecedenter ad abusum gratiarum absolute futurum, sive *antecedenter ad abusum gratiarum conditionate futurum et ad decretum absolutum Dei* de certo ordine gratiarum a Deo latum, praelucente scientia media, *Neg.; consequenter* ad haec, *Conc.* — Ad probationem respondetur *distinguendo majorem :* Deus vult omnium salutem *antecedenter* ad actiones hominum conditionate praescitas et ad decretum absolutum de certo ordine gratiarum, *Conc. ; consequenter* ad haec, *Neg.* — Ad probationem respondetur iterum *distinguendo majorem :* Uti salva maneat voluntas *antecedens,* exigitur ut cuique tribuat Deus auxilia necessaria, sive fuerint conditionate praescita efficacia sive inefficacia, *Conc. ;* debet Deus cuique dare auxilia praescita efficacia, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui si non posse perseverare consequitur abusum gratiarum conditionate praescitum et decretum Dei absolutum, perseverantia jam non est specialis gratia Dei, quod duplici modo probatur.

a) Tunc perseverantia fundatur in bono usu gratiarum communium ad colendam virtutem et vitandum peccatum. Atqui quod fundatur in hoc, non est gratia specialis. Ergo. — b) Stante distinctione facta, dicendum est ideo hominem non perseverare quia *non vult* perseverare (vel defectum perseverantiae oriri ex mala voluntate). Atqui sic destruitur necessitas doni specialis ad perseverandum. Ergo.

Resp. *Negatur minor subsumpta.* Ad 1m rationem respondetur *distinguendo majorem :* Fundatur *proxime* in hoc usu, *Tr.* aut *Conc.; radicaliter* et ultimo, *Subd. partialiter, Conc.;* totaliter et *unice, Neg.* Ratio est quia in alio ordine praescitus est abusus et defectus perseverantiae ; a Deo autem electus est ille ordo in quo condionate praesciebatur bonus usus gratiae.

Ad 2m rationem respondetur iterum *distinguendo majorem :* Dicendum erit *partialiter* hominem non perseverare quia non vult, *Conc. ; unice, Neg. Cdt. min.* Destruitur necessitas doni specialis eo quod defectus perseverantiae *unice* peteretur ex mala voluntate, *Conc. ;* quod *partialiter* ex hac petitur, *Neg.* — Deus prius videt Petrum perseveraturum esse in uno ordine ob bonum usum gratiarum, in alio non esse perseveraturum ob malum usum gratiarum, et libere elegit ordinem in quo praesciebatur malus usus et defectus perseverantiae. Ideo defectus perseverantiae adscribitur partialiter decreto Dei sed citra culpam ejus, partialiter Petro et cum culpa illius.

Obj. 5°. Quod oritur ex libero arbitrio praevento gratia communi, id non est adscribendum gratiae speciali. Atqui perseverantia finalis oritur ex libero arbitrio praevento gratia communi. — *Prob. min.* Ex libero hominis arbitrio oritur consensus gratiis communibus et sufficientibus ad salutem. Atqui ex quo oritur hic consensus, ab eo oritur perseverantia finalis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quod oritur ex libero arbitrio praevento gratia communi, *quae data fuisset sine usu scientiae mediae,* id non est adscribendum gratiae speciali, *Conc.;* data sub usu scientiae mediae, *Subd.* id non est *partialiter* donum Dei, *Neg.;* id etiam est adscribendum homini, *Conc. Cdt. min.* — Ad probationem respondetur *distnguendo majorem :* Ex libero arbitrio oritur consensus gratiae, et gratia a Deo decernitur *sub praescientia conditionata* consensus aut dissensus, *Conc. ; secus, Neg. Cdt. min.* Ex quo oritur consensus ad gratiam datam *sine usu scientiae mediae,* ab eodem oritur perseverantia, *Conc.;* ad gratiam datam sub praefato usu, *Subd.* ab eo *proxime* et *partialiter* oritur perseverantia, *Conc.;* ab eo *unice* oritur perseverantia, *Neg.*

Obj. 6°. In tantum perseverantia est Dei donum speciale, in quantum praedestinatur a Deo antecedenter ad praevisa opera bona. Atqui praedestinari nequit antecedenter ad praescita opera. Secus enim a) inducitur praedestinatio antecedens ad gloriam; b) inutilis fit conatus, correptio, etc.

Resp. *Dist. maj.* In tantum perseverantia finalis est Dei donum speciale, in quantum praedestinatur antecedenter ad opera *conditionate* praevisa, *Neg.;* ad opera *absolute* praevisa, *Conc. Cdt. min.* Praedestinari nequit perseverantia finalis antecedenter ad opera *absolute* praevisa, *Neg.;* antecedenter ad opera *conditionate* praescita, *Conc.*

Inst. Atqui perseverantia non est speciale Dei donum, nisi in quantum praedestinatur antecedenter ad opera conditionate praevisa. Quod enim praedestinatur consequenter ad opera, rationem habet in operibus hominis adeoque non est gratia specialis. Ergo.

Resp. Ipsa opera bona sunt donum speciale Dei, siquidem fiunt cum auxilio gratiae collatae sub praescientia efficaciae. Inde respondetur *distinguendo :* Quod praedestinatur consequenter ad opera, rationem *adaequatam* habet in his operibus, *Neg.;* rationem *inadaequatam, Subd.* in his operibus factis cum auxilio *gratiae collatae sub praescientia efficaciae, Conc.;* citra usum scientiae mediae, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui quod rationem sui habet in operibus factis cum auxilio gratiae praescitae efficacis non est donum speciale Dei. Etenim est praemium. Atqui praemium non est donum. — *Prob. min.* Praemium supponit meritum et debetur ; donum est sine merito, est indebitum et datur ex mera benevolentia. Atqui haec totaliter differunt. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Quod rationem sui habet in operibus ex gratia factis, est praemium actionis *quae meretur vi doni specialis,* nempe gratiae conditionate praescitae efficacis, quae est donum speciale, siquidem in alio ordine collata et decreta fuisset gratia inefficax, *Conc.;* est praemium actionis quae non includit donum speciale, *Neg.* — Ad probationem *distinguitur major :* Praemium supponit meritum *quod ipsum involvit donum speciale,* cum nempe comparetur vi gratiae praescitae efficacis, *Conc.; secus, Neg.* — b) *Dist. maj.* Quod rationem sui habet in operibus ex gratia factis est praemium vel *partialiter* vel totaliter et secundum omnia quibus constat, *Conc.;* semper *totaliter, Neg.*

Ad probationem respondetur *distinguendo :* Praemium supponit meritum sive de condigno sive *de congruo,* infallibili aut fallibili, *Conc.;* semper *de condigno, Neg. Cdt. min.* Quod supponit meritum *de condigno* differt a dono, *Conc.;* quod supponit meritum *de congruo fallibili* differt a dono, *Subd.* differt *adaequate, Neg.; inadaequate, Conc.*

SECTIO SECUNDA.

QUAENAM GRATIA EXIGATUR AD OPUS SALUTARE.

34. — PROLOGUS. Notiones. 1. Gratia actualis dividitur in *adjuvantem* et *excitantem* seu *praevenientem*. — Adjuvans consistit in auxilio supernaturali quod Deus praestat voluntati deliberate et libere agenti, et vi cujus actus est salutaris et supernaturalis. — Actus salutaris vocari quidem potest *gratia* utpote Dei auxilio effectus, et proinde donum supernaturale Dei, verum non solet vocari gratia adjuvans, nisi prout conducit et excitat ad opera bona ulteriora (cfr. art. 3^{m}).

2. Gratia *excitans* reponitur in *illustratione mentis* et *inspiratione voluntatis,* tum active sumptis, tum passive. — *Active sumptae,* consistunt in speciali Dei operatione, homini indebita, vi cujus mens illustratur seu illuminatur, et voluntas inspiratur et movetur. *Passive sumptae,* consistunt in ipso termino qui a Deo et facultate producitur. Quare illustratio mentis reponitur in idea aut in judicio de re ad salutem spectante; inspiratio vero in motione spontanea et indeliberata voluntatis, alliciente voluntatem ad deliberate volendum bonum morale ad quod trahebatur indeliberate per inspirationem activam.

3. Utraque gratia, tum active tum passive inspecta, est duplex: mediata nempe et immediata.

A. *Illustratio mediata* sumpta *active* stat in eo quod Deus mentem illuminat, non quidem immediate in ea operando, sed *mediante re extrinseca* ab ipso aliquatenus procedente, spectante ad salutem hominum et hominibus indebita, v. g. mediante praedicatione Evangelii, lectione Scripturae sacrae aut librorum piorum ad perfectionem christianam adhortantium, exemplis Christi aut sanctorum. — Mediata *passive* sumpta stat in pia hac cogitatione quam intellectus, determinatus per praefatum medium, efficienter produxit per solas vires naturales. Est *supernaturalis extrinsecus* remote et causaliter, siquidem objectum extrinsecum, quo est determinata, est indebitum homini.

Illustratio immdiata. sumpta *active,* stat in eo quod Deus mentem illuminat *immediate operando in ea* operatione indebita homini. *Passive* sumpta, reponitur in judicio intellectus quod procedit ab intellectu cum auxilio Dei. Est *supernaturalis intrinsecus,* formaliter et subjective, siquidem homo nullam exigentiam habet ad hujusmodi perfectionem.

Saepissime conjungitur utraque illustratio: Deus nempe utitur medio extrinseco ad illuminandum intellectum et se inserit operationi

intellectus ut eam elevet. — Contingit tamen frequenter ut illuminet immediate mentem, nulla praemissa illustratione mediata.

B. *Inspiratio mediata* sumpta *active,* stat in eo quod Deus voluntatem movet, non quidem immediate in ea operando, sed *mediante re voluntati extrinseca,* a Deo aliquatenus procedente et homini indebita. *Passive* sumpta stat in motione pia et indeliberata quae efficienter procedit a viribus naturalibus voluntatis et determinatur praefata re extrinseca ejusque cognitione. Est *supernaturalis extrinsecus.* — Duplex est : Deus enim voluntatem movere potest per illustrationem *mediatam* vel per illustrationem *immediatam.* Etenim α) ad propositionem objecti extrinseci divinitus factam naturaliter consequitur idea et judicium, ad quae sponte et sine auxilio interno Dei potest consequi motio voluntatis ob nexum inter facultates. Sic Deus operatur in voluntate per illuminationem mediatam mentis. β) Pariter si Deus immediate operatur in intellectu, ad judicium subjective supernaturale sponte consequitur motio voluntatis quae, nisi fiat cum auxilio speciali divino, haud secus ac prior, dicitur inspiratio mediata.

Inspiratio *immediata* sumpta *active* stat in eo quod Deus *immediate operatur in voluntate* modo speciali et indebito homini. *Passive* sumpta reponitur in sancta ista affectione quae procedit a voluntate adjuta Dei auxilio supernaturali ; est *supernaturalis intrinsecus,* formaliter et subjective. — Inspirationem immediatam praecedere solet illustratio immediata ; ex natura rei non repugnat ut nonnisi mediata praecedat inspiratio.

35. — Quaestiones. In prima sectione probatum est quemlibet actum salutarem, etiam spectantem ad initium salutis, elici, non quidem viribus naturae sibi permissis, sed his viribus adjutis principio supernaturali. Porro his implicite affirmatur requiri gratiam adjuvantem pro quolibet ex his actibus. Restat ut inquiratur an necessaria sit *gratia excitans* et *quaenam gratia* sit requisita. Quaeruntur tria : 1. An *aliqua* gratia praeveniens requiratur a) pro *peccatoribus ;* b) pro *justis.* — 2. *Quaenam* gratia sit requisita : a) an requiratur *illustratio immediata ;* b) an in hoc statu naturae requiratur *inspiratio immediata,* quae nempe fiat operatione Dei ; c) an inspiratio ista immediata fuerit requisita in statu *naturae integrae* seu *innocenti.* — 3. Quid usu Scripturae et Patrum vocetur gratia.

In capite sequenti examinabitur in quonam consistat principium supernaturale diversorum actuum.

Quaeres *quomodo Deus soleat operari in intellectu et in voluntate.* Secun-

dum legem ordinariam Dei praecedunt sive propositio verbi Dei, (quocumque modo fiat, per praedicationem, aut ritus sacros etc.), sive exempla Christi aut sanctorum aut fidelium, sive memoria beneficiorum Dei ejusve perfectionum etc. Ista objecta extrinseca determinant pias cogitationes, quae, si eliciuntur a facultate cum auxilio speciali Dei, dicuntur illustrationes immediatae suntque formaliter supernaturales ; secus dicuntur illustrationes mediatae et sunt causaliter tantum supernaturales. — Ob nexum inter facultates, ad piam cogitationem consequitur pia voluntatis motio seu affectio, quae, si elicitur a voluntate cum auxilio speciali indebitoque Dei, dicitur inspiratio immediata estque formaliter supernaturalis ; secus dicitur inspiratio mediata estque causaliter supernaturalis. — Positis illustratione et inspiratione, voluntas consensum praestat aut denegat ; si consensus praestatur cum auxilio speciali indebitoque Dei, dicitur salutaris et est formaliter supernaturalis ; si praestatur per solas vires naturae, est formaliter naturalis et non conducit ad salutem aeternam (1).

Porro in sequentibus probabimus in hoc statu naturae numquam elici consensum salutarem, nisi praecesserint *illustratio immediata et inspiratio immediata*. — Cum non raro in sequentibus sermo fiat de diversis statibus naturae, opportune singuli describentur, priusquam discutiuntur quaestiones modo indicatae.

ARTICULUS I.

Recensentur varii status naturae.

36. — Status naturae nomine intelligitur certa conditio generis humani, modus nempe stabilis quo se habet ad finem ultimum, juxta ordinationem Dei. — Extrinsece connotat Dei legem et ordinationem ad finem hominis ultimum. — Intrinsece importat dispositiones quibus homo juvatur ad assequendum finem ultimum. — Quintuplex distinguitur status naturae :

1. Status naturae *elevatae*. In hoc statu homo evehitur ad finem supernaturalem, nempe ad visionem intuitivam Dei, adeoque ei destinantur dona quibus ad hunc finem disponatur, nempe gratia sanctificans, habitus virtutum et gratiae actuales. — Hic status est genericus

(1) Cf. Molina, *Concordia*, q. xiv, a. 13, d. 45

et se extendit ad statum naturae integrae et ad statum naturae reparatae, qui supponit statum naturae lapsae.

2. Status naturae *integrae,* seu *justitiae originalis.* In hoc statu homo praeter dona supernaturalia accepit varia dona *praeternaturalia,* scilicet, a) carentiam fomitis, b) immunitatem a morte et a malis physicis; c) rectitudinem voluntatis.

3. Status naturae *lapsae.* In hoc statu homo est obnoxius peccato et poenis peccati. — *Peccato,* inquam, h. e. privatur gratia santificante quae ei ex ordinatione Dei debebatur, adeoque non est Dei filius et nullo instruitur jure ad regnum caelorum. — *Poenis peccati :* in poenam nempe peccati privatur donis praeternaturalibus quae ei destinata erant, adeoque obnoxius est concupiscentiae, morti, ignorantiae, miseriis vitae.

4. Status naturae *reparatae.* Homo per merita Christi liberatur a reatu originis, recuparat jus ad finem supernaturalem, gratiam sanctificantem, habitus virtutum, gratiam actualem, uno verbo ad dona supernaturalia; attamen non restituuntur dona praeternaturalia, adeoque non sanantur vulnera naturae inflicta : remanent enim, ad exercitium virtutis, concupiscentia, miseriae, mors subeunda, ignorantia etc.

5. Status, naturae *purae.* Complectitur elementum negativum, seu carentiam, et elementum positivum. a) *Excluduntur :* α) omne donum quod superat exigentiam naturae, adeoque finis supernaturalis, gratia supernaturalis et dona praeternaturalia; β) positiva indignitas a donis supernaturalibus, seu peccatum originale ab aliena voluntate inductum. — b) *Includuntur :* α) exsistentia proprietatum et facultatum ad essentiam hominis consequentium; β) ea quae ad exercitium facultatum exiguntur ; γ) finis naturalis et sufficientia media ad finem obtinendum. — In statu naturae purae non darentur auxilia intrinsece supernaturalia. Tamen ad observationem legis moraliter exigerentur, neque denegarentur, auxilia divina *specialia.* Alia vero possent esse *extrinseca* homini, puta remotio impedimentorum et occursus objectorum opportunorum; alia vero singulis *intrinseca,* scilicet in intellectu excitatio opportunae cogitationis, entitative naturalis, in voluntate excitatio opportunae affectionis (1).

(1) Cfr. Suar. *Proleg. IV de grat.* c. II, n. 15 et l. I *de grat.* c. XIII et c. XXXVI, n. 9.

ARTICULUS II.

Ad actum salutarem exigitur gratia excitans.

§ 1. De necessitate gratiae excitantis pro peccatoribus.

Ripalda, *De ente*, d. cvi, s. 2 ; Suar. l. III, c. viii. Molina, *Conc.* d. viii in a. 13, q. xiv.

37. — De fide definitum est ex Trid. (sess. VI[a] can. 3) requiri pro peccatore gratiam excitantem seu praevenientem, ut salutariter credere, operari, diligere aut paenitere possit. Cum vero hi sint actus secundum quos processus justificationis fieri soleat, cumque ceteri actus salutares eadem ratione proxime vel remote conducant ad justificationem, certa Tridentini mens est exigi gratiam excitantem ad *quodlibet opus salutare peccatoris* sive sit virtutis theologicae, sive sit virtutis moralis. Immo non immerito contenderet quis definitam esse necessitatem gratiae excitantis ad singula opera bona capite VI° ejusdem sessionis, ubi enumerantur omnes ferme dispositiones ad justificationem ducentes, ad quarum singulas necessaria dicitur gratia excitans et adjuvans. — Definitum est ab Arausicano II, canone 6, gratiam Dei esse necessariam credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus etc. sicut oportet (Denz. n. 149).

Necessitas gratiae excitantis ad *singula opera* salutaria datur secundum hanc regulam : Cum quis in statu peccati lethalis versatur et efficit varia opera salutaria non continuata inter se, exigitur ut ad singula excitetur per novam gratiam. — Cum vero datur series operum salutarium inter se continuatorum, exigitur gratia excitans ad primum actum salutarem ; si elicitur actus salutaris cum gratia adjuvante, hic actus potest fungi munere gratiae excitantis respectu actus immediate sequentis, et ita porro quandiu series actuum non interrumpitur. — Non exigi aliam excitationem ad actus sequentes patet tum ex natura rei, siquidem novus actus salutaris fieri potest ob excitationem ab actu salutari praecedenti exortam, tum quia testimonia necessitatem gratiae excitantis vindicantia nihil ulterius exigunt.

THESIS IV[a]. — Non modo juvandus est peccator auxilio gratiae ad opus salutare efficiendum, sed adhuc ad illud est excitandus per gratiam praevenientem.

38. — Prob. I[m] Arg. Petitur *ex conciliis*. 1. Vaticanum definit fidem,

quam vocat initium salutis, virtutem supernaturalem, qua, Dei *aspirante et adjuvante gratia,* ab eo revelata vera esse credimus propter auctoritatem ipsius Dei revelantis. Sess. III *de fide,* c. III.

2. Tridentinum, a) in sessione VI, c. V, agens de necessitate praeparationis ad justificationem in adultis, declarat exordium justificationis adulti repetendum esse a gratia *praeveniente* qua adultus vocatur et excitatur ad assentiendum et cooperandum gratiae, ut sic disponatur ad justificationem recipiendam. — b) Capite VI, agens de modo praeparationis, seu de dispositionibus eliciendis, ait Tridentinum peccatores disponi ad justitiam dum *excitati* divina gratia et *adjuti* credunt, sperant etc. — c) Requiri mente Concilii excitationem gratiae ad primum actum quo incipit processus justificationis diserte significatur ; requiri ad singulos actus videtur satis clare indicari. Dicuntur enim peccatores ad hos actus excitandi et adjuvandi ; jamvero ad singulos sunt adjuvandi, ergo ad singulos etiam sunt excitandi. — d) Canone 3 : « Si quis dixerit *sine praeveniente Spiritus Sancti operatione* et ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, A. S.»

3. Arausicanum multis modis idem edocet : a) Juxta canonem 3^{m} (Denz. 146) gratia nequit per invocationem humanam conferri, sed gratia efficit ut invocetur. Juxta canonem 4^{m} Deus non exspectat voluntatem, sed per operationem Spiritus Sancti facit ut purgari velimus. Ergo natura prius agit gratia quam homo actu salutari invocat Deum et deliberate vult purgari. Ergo gratia praevenit et excitat. b) Juxta canonem 5^{m} initium fidei et pius affectus debentur inspirationi Spiritus Sancti. Juxta canonem 6^{m} infusioni et inspirationi Sp. S. debetur quod salutariter credimus et volumus. Juxta canonem 7^{m} sine illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti nemo potest aliquid cogitare ut expedit aut eligere. Atqui infusio, illuminatio et inspiratio Spiritus Sancti sunt motus gratiae praevenientis. — c) Juxta canonem 20^{m} multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo ; nulla vera facit homo bona, quae non Deus praestat, ut faciat homo. Inter bona quae soli Deo tribuuntur nonne imprimis habetur gratia excitans ?

4. Caelestinus, in epistola ad episcopos Galliae de Semipelagianismo, cap. VIII, refert episcopos Afros ad Zosimum Papam rescripsisse ideo juxta se omnia bona esse attribuenda Deo, quia « praeparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum » (Denz. n. 92). — Enumeratis sententiis antecessorum suorum, haec addit Caelestinus ; « His ergo.... confir-

mati sumus ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus *ab initio fidei ad Deum tenditur,* Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus *ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri,* per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. » Denz. n. 96. Unde sic arguitur : Deus praeparat voluntatem, tangit corda hominum natura prius quam aliquid boni agunt. Atqui hoc est infundere gratiam praevenientem. Ergo.

39. — **II^m Arg.** *Ex Scriptura uti substat Patrum interpretationi :*

1. Zach. I, 3 : « Haec dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me... et convertar ad vos » (cfr. Joel, II, 12). Jer. XXXI, 18 : « Converte me et convertar. » Thren. V, 21 : « Converte nos Domine ad te, et convertemur. » Cfr. Ps. LXXIX, 4, 8, 20 ; Ps. LXXXIV, 5. Haec verba applicantur a Tridentino iis quae de necessitate praeparationis ad justificationem dixerat. Libertatis nostrae admonemur, ait Tridentinum, verbis « convertimini ad me ; » cum respondemus « converte nos, Domine, ad te, et convertemur, » Dei nos gratia praeveniri confitemur (Sess. VI^a, cap. V).

2. Phili. I, 6. Paulus, postquam grates persolvit Deo de gratiis quae Philippensibus collatae erant, hortatur eos ut in fide ac justitia perseverent ; verum simul docet eos in hunc finem indigere auxilio gratiae divinae ; quare dicit : « Confidens hoc ipsum, quia qui *coepit* in vobis opus bonum (sc. Deus), *perficiet* usque in diem Christi Jesu. » — Ergo ipse Deus dicitur coepisse opus fidei et justitiae adeoque natura prius operatus esse ; sed Deus incipit opus per gratiam praevenientem. Ergo.

3. Hebr. III, 7, 8 et IV, 7 : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. » Capite III° exhortatur Paulus Hebraeos ne a fide Christi deficiant : Hodie si etc. ; ab infidelitate eos deterret exemplo Patrum suorum, ne, uti hi, ob incredulitatem suam a requie arceantur. — Capite IV° loquitur de alia requie quae populo Dei fideli adhuc relinquitur ingredienda ; festinent in eam ingredi. Hodie etc. Licet videatur loqui de gratia Dei externa, nempe de praedicatione Evangelii, attamen non pauci sunt Patres qui eum intelligunt loqui de gratia interna, per quam Deus invitat hominem ut salutem operetur.

4. Apoc. III, 14-21. « Et angelo Laodiciae Ecclesiae scribe... Scio opera tua : quia neque frigidus es, neque calidus... Aemulare ergo et paenitentiam age ; *ecce sto ad ostium et pulso ; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam,* intrabo ad illum et coenabo cum illo, et ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. » Significatur hic, ait Corn. a Lap. in h. l., *primo* Deum sua immensa clementia et

gratia nos praevenire, et pulsare ad ostium cordis et mentis nostrae, ut nos a somno desidiae aut peccati excitet. *Secundo* cor nostrum per desidiam et peccatum Deo esse clausum. *Tertio* in hominis esse arbitrio Deo aperire, i. e. ejus inspirationem et gratiam, qua mentem pulsat, admittere vel respuere.

40. — **Dices** : Necessaria non est gratia excitans ad actum salutarem. Etenim juxta doctrinam Scripturae praedicatio doctrinae est immediate nexa cum actu salutari. Atqui talis non est, si necessaria est gratia immediate a Deo procedens. Ergo. — Major patet ex variis locis : Verbum quod praedicatur, dicitur esse id in quo quis salvatur (Act. XI, 14), verbum reconciliationis (II Cor. V, 19), verbum non hominum sed Dei, quod operatur in iis qui credunt (I Thess. II, 13), virtus Dei in salutem (Rom. I, 16), verbum vitae (Act. V, 20), per quod Christi gignimur (I Cor. IV, 15); qui illud verbum praedicant, dicuntur gignere filiosque habere (ibid.), et ideo missi ut aperiant hominum oculos atque ita convertantur homines a tenebris ad lucem et de potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem quae est in Christo (Act. XXVI, 18).

Resp. 1. Praedicatio verbi divini est *conditio* sine qua saepe non daretur gratia nec proinde eliceretur actus salutaris; est etiam *occasio* actui eliciendo opportuna, determinat intellectum audientis ad elicienda certa judicia. Haec porro judicia essent naturalia, nisi Deus per gratiam suam ea redderet supernaturalia; verum praedicatio verbi divini, ob dignitatem istius verbi derivatam a Christo, est *causa moralis* Deum infallibiliter ad tribuendam gratiam movens ac determinans.

2. Non raro Scriptura adscribit effectum causae remotae, omissa causa proxima, vel adscribit uni causae effectum qui a pluribus pendet. Quare mirum non esset quod Scriptura in certis locis assignaret actum salutarem praedicationi, licet aliae dentur causae. Supplendum esse silentium Scripturae constat aliis locis inter argumenta relatis. Ceterum saepe Scriptura considerat praedicationem verbi divini tamquam nexam cum gratiis interioribus quibus viam quasi sternit, quod manifestum est non paucis locis allatis in thesibus praecedentibus.

Quare *Dist. maj.* Secundum Scripturam praedicatio evangelica est immediate nexa cum actu salutari, excluso *alio medio externo* seu *alio gratia externa, Conc.;* exclusa *Dei operatione* in cordibus hominum seu *exclusa gratia interna, Neg.* Haec supponitur adesse, quare non fit mentio de ea.

§ 2. De necessitate gratiae excitantis pro justis in statu naturae lapsae.

Ripalda : *De ente,* d. cxi, s. 3 ; Suar. *De gratia,* l. III, c. viii.

41. — Justi nomine intelligitur proprie ille qui gratia ornatur ; ille qui habitu fidei et spei aut saltem solius fidei est insignitus improprie est justus.

Cum justis elicit actum salutarem respondentem habitui quo instruitur, habitus ad actum concurrit estque ipsius principium supernaturale adjuvans. Quaeritur *utrum praeterea indigeat gratia excitante,* h. e. utrum requiratur specialis operatio Dei vi cujus, ante actum salutarem, eliciatur actus intellectus aut voluntatis qui ad actum salutarem moveat.

Juxta doctores omnes exigitur specialis excitatio Dei *in nonnullis adjunctis,* ubi nempe specialis difficultas occurrit ; exigitur etiam ut actus fiat *intensior* quam habitus, in quo casu auxilium superadditum non modo est excitans, sed insuper adjuvans. Verum abeunt in duas sententias ubi agitur de *adjunctis communibus* a speciali difficultate immunibus, et de actu cujus intensitas commensuratur intensitati habitus.

Negant necessitatem gratiae exitantis ad omnes actus salutares justorum Molina, Bellarminus, Valentia, Vega. (1) Attamen admittunt necessitatem illustrationis et inspirationis praeviae ad actum salutarem ; verum assurunt eas effici a facultate cum concursu habitus infusi, quin necessarium sit aliud auxilium Dei quo habitus determinetur ad agendum.

Affirmant necessitatem gratiae excitantis apud justos s. Thomas requirens ultra habitum gratiae, ad actus meritorios, motionem Spiritus Sancti, Magister, Bonaventura, Albertus Magnus, Alexander Halensis, Capreolus, Gabriel, Vasquez asserens nullum eorum qui virtutes infusas agnoverunt de hoc umquam dubitasse, Aegidius Coninck, Suarez, Lessius, Ripalda (2).

---

(1) Molina, *Concord.* d. vii, § *Quod ergo.* Bellarmin. *De gr. et lib. arb.* l, VI, c. xv. Valentia, in Im IIae, d. viii, q. iii, punct. 3, § *De gratia vocante.* Vega, *In Trid.* l. VI, c. vii.

(2) S. Thomas : Ia IIae, q. cix. art. 9. Magister : II, d. xxvi, § 3. Bonav. In 2 d. 26, p. ult. Alb. M. II p. q. c, memb. i. Halensis : III p. q. lxix, memb. i, art. 2 et q. lxx, memb. 3. Capreol. d. 28, a. 3. Gabriel : d. 27, q. un. Vasq. d. cic, n. 2 Coninck : d. iv *de virt. supernat.* n. 47 sq. Suarez : *De gratia,* l. III, c. viii, n. 22. Lessius : *De aux.* in append. ad c. x. Ripalda : *De ente sup.* d. cvi, n. 18 sq.

Horum auctorum judicio actum salutarem praevertere debet actus supernaturalis qui a Deo per gratiam actualem determinetur. Determinari potest varia ratione. Sufficit sane ut Deus excitet habitum ut hic indeliberate agat ; eo enim ipso illustratio et inspiratio, quarum necessitas vindicabitur, merito adscribitur gratiae. — Advertunt tamen necessitatem probari per revelationem, potius quam per naturam rei.

Observa. Quaestio heic agitata a nonnullis auctoribus sic proponitur : *An in justo requiratur gratia actualis ad salutariter operandum.* Non quaerunt utrum actus justorum, qui merentur augmentum justitiae, sint *suppernaturales* adeoque debeantur principio *suppernaturali :* illud enim supponunt probatum esse; verum inquirunt utrum sufficiat habitus, an requiratur *aliud* auxilium supernaturale, quod appellant *gratiam,* vi cujus elicitur actus praevius, quem etiam appellant gratiam.

THESIS V^a^. — Gratia actuali excitandus est ad actum salutarem non modo ille qui habitu supernaturali correspondente caret, verum etiam ille qui eo instruitur.

Thesis est *theologice certa.*

42. — Prob. I^m^ Arg. Gratia excitans saepe asseritur a conciliis et a Romanis Pontificibus esse necessaria indiscriminatim ad omnes actus salutares, nulla distinctione facta status justitiae et status peccati, nec difficultatis aut facilitatis actuum, sed habita tantum ratione actus salutaris. Ergo gratia excitans est necessaria justis pro quolibet actu salutari.

Prob. ant. a) Zosimus P. in epistola dogmatica Coelestini c. IX : « Quod ergo, ait, tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio ? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adjutor et protector orandus est. » (Denz. n. 93). Itaque gratia divina egent aeque justi et injusti. Atqui injusti a Deo sunt excitandi ad salutariter operandum. Ergo etiam justi.

b) Arausicanum II^m^, postquam sex prioribus canonibus initium fidei et justitiae adscripserat gratiae, canone septimo affirmat *neminem* per naturae vigorem, absque *illuminatione* et *inspiratione* Spiritus Sancti posse cogitare, ut expedit, aut eligere bonum aliquod, aut consentire evangelicae praedicationi. — Canon 9us universaliter asserit, quoties bona agimus, Deum in nobis atque nobiscum ut operemur operari. — Canon 20us asserit Deum facere in homine bona quae non facit homo (deliberate) ; nulla vero ab homine fieri bona, quae Deus non praestitit

ut faceret homo. — Itaque gratia dicitur necessaria utrique, justo et peccatori, proindeque si uni necessaria est gratia excitans, et alteri est necessaria. — Praeterea advertere juvat semipelagianorum errorem non tantum esse versatum circa modum quo infideles ad fidem perveniunt, sed praeterea circa modum quo peccatores fide instructi ad statum justitiae redeunt. Quamobrem quae Arausicanum asserit de necessitate gratiae excitantis ut quis se convertat, aeque valent de his qui habitu fidei instruuntur et de his qui hoc habitu carent. Ergo valent etiam de sanctis, siquidem gratia sanctificans formaliter considerata non est habitus operativus.

43. II^m Arg. Gratia excitans explicite affirmatur esse necessaria ad omnem actum salutarem justorum.

1. Caelestinus I ita ad episcopos Galliae scribebat c. VIII: «Quod omnia studia et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit.» Deinde refert quomodo episcopi Afri in responso ad Zosimum P. intellexerint istius verba: « Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus... » « Ideo utique, aiunt, quia praeparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant *paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum*. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt; ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et *in bonis quibusque voluntatis humanae singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium* » (Denz. n. 92). Itaque Deus asseritur inspirationibus tangere corda filiorum, praeparare eorum voluntatem, auxiliari bonis operibus. Ergo non modo gratia adjuvans, sed etiam excitans est necessaria ut justi salutare opus efficiant.

2. Arausicanum canone 10° affirmat adjutorium Dei esse implorandum *justis et sanctis* ut in justitia maneant et ad finem usque perseverent. — Quare justi egent gratia divina haud secus ac peccatores, ideoque excitandi haud secus atque adjuvandi sunt.

3. Augustinus: « Sine illo, ait, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus (1). » Patet Augustinum loqui de his qui habent fidem, adeoque instruuntur habitu fidei; de iis autem dicit necesse esse ut Deus prius operetur, atque ut cooperetur; ergo astruit necessitatem gratiae excitantis.

(1) AUGUST. *De gr. et lib. arbir.* c. XVII, n. 33. M. XLIV, 901.

4. Tridentinum in sessione VI, c. XVI, agit de fructu justificationis et de bonorum operum merito. Asserit justos satisfacere posse legi divinae et promereri vitam aeternam suo tempore consequendam ; ratio autem petitur ex eo quod Christus Jesus, tamquam caput in membra et vitis in palmites, *in ipsos justificatos* jugiter virtutem influit, quae virtus *bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine quo nullo pacto Deo grata et meritoria esse possunt.* Profecto virtus quae in jam justificatos influitur est distincta ab habitibus ; virtus, quae antecedit et comitatur opus bonum, est gratia excitans et adjuvans. — In canone 3° legitur : « Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, A. S. » Non modo necessaria est gratia excitans et adjuvans ei qui nondum fidem habet, sed etiam ei qui habitu fidei instructus gratiam sanctificantem amisit, iterumque eam actibus suis bonis recuperare intendit.

III^m Arg. *Ex Script.* « Ego sum vitis, vos palmites ; qui *manet* in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. » Joh. XV, 1. — Mansio in vite denotat statum, qui manet enim jam est in vite ; iste autem status est gratiae sanctificantis uti constat tum ex v. 3 : « jam vos mundi estis, » tum ex v. 9 : « sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos ; manete in dilectione mea ; si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, » tum ex interpretatione Tridentini in sessione VI, c. XVI. Porro ut quis ferat fructum, edat opera meritoria gloriae aut augmenti gloriae, debet manere in vite, recipere ejus influxum ; iste autem influxus juxta Trid. l. c. c. XVI est duplex : alter habitualis nempe gratia sanctificans, alter actualis nempe virtus Christi quae antecedat, comitetur et subsequatur opus salutare.

IV^m Arg. Eadem propositio *confirmatur ratione :* Justi elicere possunt actus salutares quibus mereantur augmentum gratiae et gloriae. Atqui hi actus praesupponunt cogitationem supernaturalem. Haec vero cogitatio videtur excitanda speciali Dei auxilio. Ergo datur praevie in justis cogitatio supernaturalis praeveniens actum salutarem, seu gratia passive sumpta, et auxilium Dei seu gratia active spectata.

Prob. 1ª pars min. a) Praerequiritur *cogitatio :* nihil enim volitum nisi fuerit cognitum. b) Haec cogitatio est *supernaturalis.* Id revelatione quidem probatur stricte, uti ex argumentis praejactis constat, non vero ratione : etenim non apparet esse impossibile ex natura rei ut ad cogitationem subjective naturalem sequatur actus voluntatis qui supernaturalis sit beneficio concursus habitus. Attamen suadetur ratione.

Congruum enim est ut cogitatio et actus salutares sint ejusdem ordinis; cogitatio enim de actu salutari efficiendo est ejusdem actus praeparatio. — Ulterius pergit Ripalda dicens : « Cum motio moralis necessaria ex natura rei fieri potest per actum ejusdem generis cum actu in quem motio dirigitur, fieri non potest ex natura rei per actum alterius generis.... Sicut exsistentibus causa univoca et aequivoca, postulat effectus a causa univoca potiusquam ab aequivoca fieri (v. g. exsistentibus calore et luce potentibus efficere calorem, exigit calor procedere a calore potiusquam a luce), ita exsistentibus aut possibilibus ex natura rei motionibus univocis et aequivocis, supernaturalibus scilicet et naturalibus, spiritualibus et materialibus, postulant actus supernaturales a motionibus supernaturalibus et naturales a naturalibus, sicut spirituales a spiritualibus et materiales a materialibus processionem habere. » (1)

Prob. 2ª pars min. Exigitur Dei motio qua efficiatur cogitatio supernaturalis. Intellectus enim determinandus est ut, concurrente habitu, eliciat praefatam cogitationem supernaturalem. Atqui non determinatur nisi per Deum. Ergo. — *Ad majorem.* In tantum intellectus non foret determinandus ad eliciendam praefatam cogitationem, in quantum in omni operatione ex natura rei uteretur habitu supernaturali ubi eo informatur, vel in quantum eo uteretur quoties adest objectum bonum. Atqui primum esse falsum manifestum est ex actibus peccaminosis; secundum esse falsum constat quia sine ratione assereret quis omnes actus moraliter bonos a justo quolibet elicitos esse supernaturales. Ergo. — *Ad minorem.* A solo Deo determinari valet intellectus ut cum concursu habitus efficiat actum supernaturalem. Etenim non determinatur per *praesentiam objecti,* ex modo dictis, neque per voluntatem. Arbitrii enim dumtaxat est determinare actum circa hoc aut illud objectum, non vero speciem naturalem aut supernaturalem actus; deinde quaeri potest utrum voluntas hoc libere determinet per actum supernaturalem an per naturalem? primum dici non posse constat quia praesupponitur cogitatio supernaturalis de qua redit quaestio; secundum esse falsum constat quia entia supernaturalia non sunt subjecta entibus naturalibus. Ergo restat ut Deus ipse per gratiam actualem determinet supernaturalitatem cognitionis et affectionis quae praevertunt consensum salutarem.

(1) Ripalda. *De ente supernat.* d. xlix n. 25.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

44. Obj. 1°. In justo non requiritur nisi auxilium gratiae adjuvantis. Etenim juxta Arausicanum in canone 25° post baptismum sufficit *adjutorium, auxilium, cooperatio* gratiae ut fidelis operetur ea quae ad salutem spectant (1). Ergo non requiritur gratia praeveniens.

Resp. *Dist.* Sufficit adjutorium *generice* sumptum pro gratia *actuali, Conc.; specifice* sumptum pro gratia *adjuvante, Neg.* His verbis ostenditur quemque baptizatum instrui gratia Dei sufficienti ad operandum salutem, neminem vero ad malum esse praedestinatum. Hanc gratiam esse tum excitantem tum adjuvantem constat ex aliis locis inter argumenta citatis.

Obj. 2°. Inutilis est gratia actualis. Sola utilitas foret in eo quod requireretur ad dandam actui salutari supernaturalitatem suam. Atqui non requiritur. Habitus enim sufficit ad hoc munus adimplendum.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Res imprimis dijudicanda est ex revelatione. Jamvero ostensum est revelatione requiri gratiam actualem in justis. Praeterea non deest motivum ex penu rationis petitum eamdem veritatem suadens.

Inst. Atqui a) non praerequiritur cognitio supernaturalis; b) dato eam praerequiri, haberi potest sine novo interventu Dei. Ergo.

Obj. 3°. A. *Non praerequiritur cognitio supernaturalis.*

1. Gratia actualis et cognitio ab ea procedens non influunt efficienter in actus salutares; etenim hi supernaturalitatem ab alterius principii influxu participant. Atqui in tantum gratia et cognitio ab ea procedens debent esse supernaturales, in quantum influunt efficienter in actus supernaturales. Secus enim, posita cognitione naturali, habitus a Deo excitatus potest dare voluntatis consensui totam suam supernaturalitatem.

2. Cogitationes et affectiones quae praecedunt consensum salutarem, excitari solent causis physicis naturaliter agentibus. Atqui hujusmodi actus sunt naturales. Ergo.

(1) « Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quod ad salutem pertinet, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per misericordiam Dei adjuvamur, sed ipse nobis fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum, cum illius adjutorio, quae sibi sunt placita, implere possimus. » Denz. n. 169.

Resp. Ad 1m rationem : a) *Trans. maj. Dist. min.* In tantum gratia et cognitio *absolute* et *ex natura rei* debent esse supernaturales, in quantum etc. *Conc.;* in tantum *connaturaliter* sunt supernaturales, etc. *Neg.* Argumento rationis ostensum est cognitionem, quae consensum salutarem praecedit et ad eum movet, esse connaturaliter ejusdem ordinis ; Dei autem actio attemperatur indoli rerum. — b) *Neg. maj.* Ostendetur postea bonas motiones a Deo immissas influere efficienter in actum salutarem.

Ad 2m rationem : *Dist. maj.* Cogitationes et affectiones actum salutarem praecedentes excitari solent causis physicis per modum *conditionis* et *occasionis,* aut etiam per modum *causae partialis* physice influentis, *Conc.;* per modum *causae adaequatae* cogitationum et affectuum salutarium, *Neg. Cdt. min.* Hujusmodi actus sunt naturales *ratione originis et occasionis, Conc.; entitative et formaliter* h. e. eorum entitas non est ordinis supernaturalis, *Neg.* Licet enim hi actus gignantur occasione cursus naturalis rerum, non tamen producuntur hisce causis, gignuntur enim a facultate cum concursu gratiae; quare cursus naturae non est nisi occasio aut conditio.

Obj. 4°. B. *Non requiritur excitatio a Deo procedens.* Etenim a) habitu utimur cum volumus. Ergo non requiritur Dei interventus. — b) Hubitus non est ex se indifferens ad agendum. Ergo non exigit determinari a gratia. — c) Si ita res se habet, habitus sunt supervacanei ; sive enim dentur, sive non, eadem requiruntur.

Resp. Ad 1m rationem : *Dist. ant.* Habitu *naturali* utimur cum volumus, *Conc.;* habitu *supernaturali, Subd. negative* h. e. possumus impedire actionem habitus, nos convertendo versus alia objecta, *Conc.; positive* efficere possumus ut habitus concurrat, *Neg.* Habitus naturales subjici possunt voluntati naturali, adest enim proportio ; supernaturales vero habitus non subduntur voluntati naturali, siquidem deest proportio, neque voluntati supernaturali, siquidem imperium ejus supernaturale determinatur per ipsum habitum.

Ad 2m rationem : *Dist. ant.* Habitus ex se est *in actu primo remoto* ad agendum, *Conc.; in actu primo proximo aut in actu secundo, Neg.* Propensio babitus ad agendum non transcendit statum dormientis ; quare exigitur excitatio gratiae ut habitus fiat prorsus expeditus ad agendum et ut reapse agat.

Ad 3m rationem respondetur *negando.* Etenim habitus sunt quasi tituli ut Deus frequentius praestet auxilia actualia, siquidem postulant ne maneant otiosi. Deinde constituunt principium gratiae adjuvantis, dummodo fuerint a Deo excitati.

§ 3. De necessitate gratiae excitantis in statu naturae integrae.

45. — *Quaeres utrum Adamus eguerit gratia excitante ad salutariter operandum?* — Negant Greg. Arim., Major, Driedo, Ysamb., Molina, Becanus, Bellarminus (1) hic tamen recognitione operum suorum ad sententiam affirmantem deflexit. Plerique affirmant aut supponunt, inter hos Augustinus (2) et Gelasius P. (3) — Suadetur praeterea quia, juxta superius probata, actus hominis innocentis non conducebat ad salutem nisi fieret, juvante principio supernaturali, nempe habitu infuso; *ut autem habitus intraret in exercitium,* opus fuit Dei adjutorio seu gratia actuali excitante habitum et determinante actum praevium ejusdem ordinis ac consensum salutarem.

46. — *Quaeres num gratiae actuales, homini innocenti collatae, fuerint praestantiores gratiis homini lapso collatis* » (4). — Profecto *possibile* fuisset Deo conferre gratias *internas* praestantiores, nempe illustrationes et inspirationes perfectiores. Deinde certum est in statu integritatis collatas fuisse certas gratias *externas* praestantiores, nempe majorem remotionem impedimentorum majoremque facilitatem recte operandi. — Si quaeritur *de facto,* dicendum videtur cum Ripalda hac de re non posse certam omnino sententiam ferri, sed conjecturis tantum decerni (5). — Porro haec pro probabilioribus videntur tenenda :

1. Gratiae actuales, homini innocenti collatae, *non fuerunt specifice perfectiores quam gratiae homini lapso dispensatae.* Etenim virtutes, Adamo infusae, non fuerunt specifice perfectiores quam virtutes homini lapso infusae ob merita Christi, siquidem Christus plus nobis profuit quam obfuit Adamus; ergo actus supernaturales, qui a virtutibus per se infusis, Deo impellente, processerunt, non fuerunt specifice diversi ab

(1) Bellarm. *De gr. primi hominis,* c. iv.

(2) Aug. Adam « sic erat institutus ut *si de adjutorio Dei fideret,* bonus homo malum angelum vinceret; si autem creatorem atque adjutorem Deum superbe sibi placendo desereret, vinceretur : *meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate recta,* malum vero in deserente Deum voluntate perversa; quia ipsum confidere de adjutorio Dei *non quidem posset sine adjutorio Dei.* » Jamvero Adamus non indigebat Dei adjutorio ad actum salutarem, siquidem virtutibus infusis erat ornatus; restat itaque ut indiguerit gratia excitante. *Civ. Dei,* M. XLI, 435.

(3) Gelasius : Primae conditionis integritas dum ita de se fidit, tamquam ipso qui condiderat non egeret, nec de perceptis agit gratias,... nec de conservandis quae sumpserat poscit auxilium nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu devota concurrit et consulit, suaeque se credit inter prospera voluntati, facile *sine praesidio creatoris patuit deceptoris insidiis. (Adv. Pelag.* M. LIX, 123).

(4) Cfr. Mol. *Conc.* d iv in fine; Rip. d. cxi, s. 7. — (5) Ripalda, *De ente,* d. cxi, n. 60.

actibus hominis lapsi, sive hi actus ab habitu procedant sive a principio defectum habitus supplente.

2. Gratiae actuales hominis innocentis fuerunt *minus abundantes et minus intensae quam gratiae hominis lapsi.* Probatur a) *ratione theologica:* Homini lapso necessaria sunt auxilia uberiora et intensiora, quia haec auxilia debent esse non modo elevantia sed insuper medicinalia et succurrentia tentationibus et concupiscentiae. b) Auctoritate tum Pauli affirmantis in epistola ad Rom. v, 20, superabundasse gratiam ubi abundavit delictum, tum Augustini aientis nos indigere potentiori gratia, infirmitatem nostram remansisse adjuvandam majoribus donis ([1]). Denique confirmatur tum quia licet majori indignitati obnoxius sit homo lapsus, datur tamen causa efficacior et uberior gratiae per superabundantem redemptionem et merita Christi, tum ex multitudine gratiarum externarum, puta institutionis Ecclesiae, sacramentorum, sacrificii Missae, e quo colligi posse videtur multitudo major gratiarum internarum.

ARTICULUS III.

De necessitate illustrationis immediatae, immediataeque inspirationis ad actum salutarem.

§ 1. De necessitate illustrationis immediatae.

Ripalda : *De ente supernat.* d. cvi, s. 5; Suar. l. III, c. vi.

47. — Cum a praedicatore enuntiatur aut in libro sacro legitur veritas ad salutem pertinens, v. g. « Deus est super omnia amandus, » judicium, quo mente affirmatur haec veritas, vocatur *illustratio mediata,* si Deus non operatur in mente; vocatur *illustratio immediata,* si Deus vires divinas addit viribus mentis et actum elevat ad ordinem supernaturalem.

Ex tractatu de gratia sanctificante, adultus se disponere debet ad justitiam certis actibus salutaribus; talibus etiam actibus justus meretur augmentum gratiae et gloriae. — Ex thesi I^a^ physice est incapax solis naturae viribus eos efficiendi, sed fiunt auxilio gratiae adjuvantis. — Ex thesi IV^a^ et V^a^ peccator et justus sunt excitandi, inde datur auxilium excitans, et excitatio in homine recepta. — Juxta thesim sequen-

([1]) Aug. *De Corr. et gr.* nn. 29, 30, 35. M. XLIV, 933 sq.

tem gratia excitans complectitur illustrationem immediatam. Est *theologice certa.*

THESIS VI^a. — In specie ad omnes actus salutares necessaria est immediata Spiritus Sancti illuminatio.

48. — I^a probatio. Arg. ex Script. A. *Scriptura affirmat clare necessitatem illustrationis, sive mediatae sive immediatae.* Affirmatur enim Deus dare e caelis emissum spiritum sapientiae cujus ope sciat homo quid acceptum sit apud Deum (Sap. cap. VII-IX) ; a Paulo asseritur Deus dare spiritum sapientiae et revelationis, oculosque cordis illuminatos (Eph. I, 16 sq.), ipsum illucere in cordibus nostris (II Cor. IV, 6), aperire oculos hominum, ut convertantur a tenebris ad lucem (Act. XXVI, 16 sq.), illuminare oculos nostros, tenebras nostras (Ps. XII, 4 ; XVII, 29). — Affirmantur homines audire et discere a Patre (Joh. VI, 45), insufficientes esse ex se ad cogitandum salutariter, sufficientiam vero habere a Deo (II Cor. III, 5). — Unde sic : Ut opus salutare efficiatur ab homine, exigitur ut praevertat cogitatio de re salutari. Atqui Deus ita describitur immittere cogitationes salutares, seu illustrare mentem immediate aut mediate, ut appareat necessariam esse hanc illustrationem divinam. Ergo.

B. *Scriptura affirmat necessitatem illustrationis immediatae.*

1. Paulus in II Cor. III, 5 ait : « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » Ex iis, quae in thesi prima fuerunt stabilita, constat agi de cogitatione salutari, proinde de ea quae est praevia ad opus salutare. — Unde sic : Juxta Paulum mens humana, etiam sub lumine revelationis externae, adeoque pollens illustratione mediata, affirmatur affici insufficientia ad cogitandum salutariter de objectis revelatione cognitis, et sufficientiam habere a Deo. Atqui quod ex se est insufficiens de hujusmodi rebus certo modo cogitandi, seu aptitudine requisita caret, et sufficientiam habet a Deo, juvari indiget intrinsecus alio principio et juvatur ab ipso Deo, sive immediatam a Deo recipit illustrationem. Ergo.

Probatur 2° ex Paulo in epist. ad Eph. I, 16. Paulus praedicaverat evangelium Ephesiis ; illustratio itaque mediata non deerat ; jamvero petit Paulus a Deo ut det ipsis spiritum sapientiae et revelationis, oculosque cordis illuminatos ; petit itaque illuminationem immediatam.

3. Ex Joh. VI, 40-47. Antequam Jesus perspicuo sermone praenuntiavit institutionem Eucharistiae, enuntiat simul necessitatem fidei ad

salutem atque impossibilitatem credendi, nisi fides a Patre sit donata ; quomodo Pater det fidem, explicat dicendo fidelem a Patre trahi, Patrem audire, h. e. ab eo illuminari, et a Patre discere, h. e. doctrinam a Patre auditam quasi facere suam. Porro his verbis edoceri necessitatem illustrationis immediatae perspicuo constat ex toto contextu. Omnibus enim Judaeis astantibus revelabantur mysteria, confirmabantur miraculo multiplicationis panum et ambulationis supra mare ; quare omnibus a Deo fiebat illustratio mediata ; omnes tamen non crediderunt, sed non pauci scandalizati a Christo abierunt ; rationem reddidit Christus hujus facti dicendo eum solum credere qui a Patre trahitur, eum audit, ab eo discit : nova itaque ista illustratio, necessaria ad credendum salutariter, non potest esse nisi illustratio immediata.

Confirmatur ex Augustino « Dominus dicit : « Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me ; »... sic adjutum (arbitrium) ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet ut quod quisque didicerit non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat » (1).

49. — II^a probatio. Ex Traditione. I^m Arg. Ex CONCILIIS aperte vindicantibus necessitatem illuminationis immediatae.

1. MILEVITANUM canone quarto anathema dicit eis qui cum Pelagianis in ultimo suo stadio asserunt gratiam divinam tantum juvare quia per eam aperitur intelligentia mandatorum, non autem conferri vires voluntatis : asseritque utrumque donum esse Dei, scire nempe quid sit faciendum et diligere ut faciamus (Denz. n. 68).

2. ARAUSICANUM II canone 7° damnat dicentem absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti cogitari ut oportet aut eligi posse aliquid ad salutem pertinens.

3. CONCILIUM MOGUNTINUM, in decretis fidei, asserit hominem ad justificationem disponi dum peccatorum suorum admonetur a Deo ; in constitutione de paenitentia asserit tunc paenitentiam fieri, quando favore Spiritus Sancti mens hominis illuminatur et ad dilectionem et amorem accenditur.

4. CONCILIUM COLONIENSE in Enchyridion de sacramento paenitentiae ait gratiam praevenientem esse qua ad Deum respicere et peccatum nostrum agnoscere incipimus. Jamvero intellectus est qui respicit et agnoscit.

---

(1) AUG. *De gr. Chr.* c. XIV. M. XLIV, 368. Cfr. *De praed. SS.* n. 14, 15. M. XLIV, 971, 972.

5. TRIDENTINUM in sessione VI, c. v, affirmat exordium justificationis repetendum esse a gratia praeveniente, quod explicat dicendo Deum tangere cor hominis per Spriritus Sancti illuminationem.

II^m Arg. EX PATRIBUS. 1. CYRILLUS ALEXANDRINUS asserit mentem interius illuminandam esse a Patre et a Filio ut Filius cognoscatur : Cognitionem sui Filii non sono aut voce Pater nobis immittit, sed illuminatione mentis qua recte divinas Scripturas percipimus (1).

2. CHRYSOSTOMUS explicat Spriritum Sanctum vocari Paracletum quia nos interius exhortatur. Ergo admittit exsistentiam gratiae praevenientis (2).

3. AUGUSTINUS ait : « Haec gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultius, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat caritatem » (3). Disserens de mirabili mutatione irae Assueri in lenitatem (Esth. XV, 11) : » Legant ergo, ait, et intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina forinsecus sonante, sed interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates » (4). Alibi : « Adhibetur enim sermo veritatis extrinsecus vocis ministerio corporalis, verumtamen neque qui plantat est aliquid etc. Audit quippe homo dicentem vel hominem vel angelum ; sed ut sentiat et cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod aeternum manet, quod etiam in tenebris lucet » (Joh. I, 5 (5). Unde infert : « Spriritus sanctus operatur intrinsecus, ut aliquid valeat medicina, quae adhibetur extrinsecus. Alioquin etiamsi Deus ipse, utens creatura sibi subdita in aliqua specie humana, sensus alloquatur humanos, sive istos corporis, sive illos quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiore gratia mentem regat atque agat, nihil homini prodest praedicationis veritas » (6).

4. FULGENTIUS a) dicit per Christum restitutam esse *gratiam sanctae cogitationis,* in primo parente amissam, ideoque restitutam esse potestatem salutariter agendi. Ergo tenet illuminationem requiri ad operandum salutariter. b) Concludit sermonem divinum frustra sonare exterioribus, *nisi Dominis auditum hominis interioris aperiat* (7).

(1) CYR. ALEX. *In Joh.* l. IV. c. v. M. LXXIII, 516. — (2) CHRYS. *Serm. II in Pent.* post medium. — (3) AUGUST. *De gr. Chr.* c. XIII. M. XLIV, 367. — (4) Id. ib. c. XXIV. — (5) Id. *De pecc. mer. et rem.*, l. I, n. 37. M. XLIV, 130. — (6) Id. *De civ. Dei,* XV, 6. — (7) FULGENT, *De Inc. et gr.* c. XVII.

5. Episcopi Africae in epistola synodi quae est inter opera Fulgentii, innixi Apostolo, asserunt sufficientiam bonae cogitationis tribui a Deo. Praerequiritur sane bona cogitatio bono operi; ergo praerequiritur illuminatio supernaturalis. « A Deo itaque nobis est omnis gratia boni sermonis et operis, a quo etiam nobis ipsius cogitationis bonae manifestum est tribui sufficientiam, divinae quippe gratiae bonam cogitationem beatus assignavit Apostolus, quando dicebat : Non quod sufficientes sumus etc. »

6. Prosper non aliter canit :

« Non hoc consilio tantum hortatuque benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia, sed mutans intus mentem atque reformans
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi
Non istud monitus legis, non verba prophetae,
Non praestata sibi praestat natura, sed unus,
Quod fecit, reficit. Percurrat Apostolus orbem,
Praedicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaque viam verbo reseratam invenerit, intret :
Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus (1). »

7. Auctor libri de vocatione gentium : « Gratia Dei principaliter praeeminet suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium corque ipsum illuminando et fidei affectionibus imbuendo (2). »

« Cum igitur verbum Dei per ministerium praedicantium auribus carnis infertur, miscetur operatio potentiae divinae cum sono vocis humanae et qui incitavit evangelizantis officium, audientis quoque firmavit affectum, dulcescit enim animae cibus Verbi, veteres tenebrae nova luce pelluntur et obtutus interior caligine antiqui erroris exuitur (3). »

Thomas a Kempis praefatam ss. Patrum doctrinam pulcherrime complexus est : « Possunt quidem (homines) verba sonare, sed spiritum non conferunt; pulcherrime dicunt, sed, te tacente, cor non accendunt; litteras tradunt, sed tu sensum aperis; mysteria proferunt, sed tu reseras intellectum signatorum; mandata edicunt, sed tu confortas

(1) Prosper, *Carmen de ingratis*, v. 335 sq. M. LI, 114. — (2) L. II, c. viii. M. LI, 693. — (3) L. I, c. iii. M. LI, 651.

ad ambulandum. Illi foris tantum agunt, sed tu corda instruis et illuminas ; illi exterius rigant, sed tu fecunditatem donas ; illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam tribuis (1). »

Porro sic arguitur ex locutionibus Conciliorum et Patrum : Juxta Milevitanum, Arausicanum, Caelestinum I, Augustinum et Tridentinum etc. ad omnes actus salutares : a) Deus aut Spiritus Sanctus interius et immediate mentem illuminat, suadet, exhortatur, dat cogitationem piam. b) Exigitur ut per Dei gratiam internam cognoscamus quid sit faciendum, diligamus et valeamus illud praestare, ut recipiamus illuminationem et inspirationem Spiritus Sancti, ut innotescat et aperiatur quod latebat, suave fiat quod non delectabat. c) Sine hac gratia inutilia sunt lex, Evangelium, verbum forinsecus sonans. Atqui... Ergo.

Confirmatur ratione. 1. Ostensum fuit necessariam esse gratiam excitantem ; gratia excitans est illuminans intellectum vel movens voluntatem ; sed haec sine illa esse nequit. Ergo requiritur gratia illuminans.

2. Actus salutaris requirit cogitationem ejusdem ordinis quae ipsum praecedat, uti antea ostensum est. Ergo requirit gratiam illuminationis.

50. — Scholion. *Quaeres in quonam actu intellectus sita sit illuminatio passive spectata ?*

Respondet Ripalda : « In cognitione *simpliciter apprehendente* et in cognitione *judicante,* tum *speculativa* respiciente bonitatem objectivam externam virtutis, tum *practica* quae respicit operationem ipsam internam (2). » Omnes enim hi actus conducunt ad actum salutarem, quare fieri possunt cum concursu gratiae actualis. — Illustrationem potissimum consistere in *judicio* patet tum ex natura rei, siquidem etiam in naturalibus voluntas potissimum judicio movetur, tum auctoritate PP. et Concil. : Milevitanum gratiae tribuit « *scire quid agere debeamus,* » Moguntinum « *peccatorem admoneri,* » Coloniense « *In Deum respicere et peccatum nostrum agnoscere,* » Augustinus « *innotescere quod latebat, discere et doceri a Patre,* » Prosper « *exhortationibus suaderi ;* » sic etiam Bernardus : « Quando te movet Deus ? Cum admonet autem sic : vane occuparis, o cor sapiens, non te decet his subesse, sed praeese » etc.

51. — Dices : Juxta Augustinum illustratio immediata a Deo procedens non est necessaria ad omnem actum salutarum. Ad Simplicianum enim scribit : « Incipit autem homo percipere gratiam ex quo incipit Deo credere *vel interna vel externa* admonitione motus ad fidem » (3).

(1) Thomas a Kempis, *Imit. Christi,* l. III, c. ii, n. 2. — (2) Ripalda, d. cii, s. 3. — (3) Aug. L. I, q. ii, n. 2. M. XL, 111. Cf. *De sp. et litt.* c. xxx. M. XLIV, 240.

Mox de Cornelio « nullo modo, ait, credidisset, nisi vel secretis per visa mentis vel spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. »

Resp. Ex argumentis allatis abunde constat Augustinum haud diffiteri necessitatem gratiae illuminationis, quod manifestum est vel ex eo solo quia auctor est canonum milevitanorum quorum quintus explicite doctrinam hic traditam proponit. Quare intelligendus est Augustinus verbis modo citatis subaudire illustrationem immediatam in utroque membro disjunctionis, adeoque adscribere initium fidei vel externae admonitioni *cum illustratione interna,* vel soli illustrationi internae sine externa admonitione.

§ 2. De necessitate inspirationis, ejusque immediatae.

Cfr. Ripalda d. ciii, sect. 6 et 7 ; d. cvi, s. 6. Suar. l. III, c. vii.

52. — Ex thesi praecedenti necessaria est ad actum salutarem ut homo praevie excitetur illustratione immediata mentis, seu bona cogitatione de actu ponendo, a Deo immediate in intellectu excitata. — Ad illustrationem solet sponte sequi pia voluntatis motio ; haec motio, si gignitur sine novo interventu Dei in voluntate operantis, vocatur *inspiratio mediata ;* si vero elicitur a facultate cum auxilio novo Dei peculiari modo moventis facultatem et elevantis piam motionem voluntatis, vocatur *inspiratio immediata.*

Queritur : 1° utrum ad actum salutarem requiratur inspiratio ; dato requiri inspirationem, quaeritur 2° utrum exigatur inspiratio *immediata* an sufficiat *mediata.* — Distinguendus est status naturae lapsae et status naturae integrae.

De natura lapsa : Sententiae. Iª : Juxta Vasquez (1) saepe quidem, proposito objecto, necessario excitatur simplex affectio objecti honesti, *interdum tamen haec affectio potest non excitari* aut arbitrio praeveniri, cum nempe arbitrium post illustrationem mentis statim elicit affectum deliberatum.

IIª sententia : Communiter tenent doctores inspirationem necessario *praevertere consensum salutarem voluntatis.* — Hi doctores circa alteram quaestionem in duas abeunt sententias : a) Multi theologi, testante Petavio, inter quos Bellarminus, admittunt non aliam gratiam immediatam esse necessariam nisi illustrationem ; *ad inspirationem quod*

(1) Vasq. In Iᵐ p. d. lxxxviii, n. 24 ; in Iª IIᵃᵉ, d. clxxxv, c. vi in fine.

attinet, sufficere mediatam. — b) Plerique tamen vindicant *necessitatem inspirationis immediatae;* eam autem restringere solent ad statum naturae lapsae; insuper eam colligunt non quidem ex natura rei, sed ex documentis revelationis.

De statu naturae integrae. A ceteris volitionibus bonis distinguitur prima volitio bona quae ab Adamo est elicita cum primum est creatus, et quae fuit prior in ordine naturae quam infusio gratiae sanctificantis ad quam ultimo Adamum disponebat.

Inspirationem immediatam necessariam fuisse ad primam volitionem bonam, *negant* Greg. Arim., Major, Driedo, Ysamb., Molina, Becanus, Bellarm. (1); *affirmant* Bellarm. (2), Dechamps (3), Alticozzi (4), Kilber (5), Zacharias (6). — Supposito Deum creasse Adamum cum gratia sanctificante, inspiratio immediata sic explicatur : Eo momento quo creata est anima Adae, elicuit actum caritatis; hic actus natura prior fuit statu justitiae; eodem momento quo fuit creata anima, Deus intellectum Adae illustravit et voluntatem movit ad eliciendum actum caritatis; iste motus gratiae praevenientis, licet tempore simul fuerit cum actu caritatis et justitia infusa, fuit tamen prior in ordine naturae.

Ad ceteras volitiones bonas necessariam non fuisse inspirationem immediatam communiter tenent doctores.

THESIS VII^a. — Ad actus salutares non sufficit in statu naturae lapsae mentis illuminatio et inspiratio dumtaxat mediata voluntatis, connaturaliter ad illuminationem consequens; sed exigitur praeterea inspiratio immediata voluntati a Deo immissa. — In statu vero naturae innocentis, requirebatur quidem illustratio immediata et praeterea inspiratio immediata ad primam volitionem bonam; attamen, secundum doctrinam s. Augustini, sufficiebat inspiratio mediata ad actus salutares subsequentes.

PRIMA PARS. In statu naturae lapsae exigitur inspiratio ad actum salutarem.

53. — I^a probatio. Ex Scripturis. 1. Apostolus ait : « Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate » (Phili. II, 13). Unde sic : Deus in Scripturis dicitur dare et operari voluntatem bonam, actum salutarem; operatur autem et dat volitionem salutarem vel praemovendo voluntatem ad agendum, vel voluntatem alliciendo,

(1) Bellarm. *De gr. primi hominis*, c. iv. — (2) In recognitione operum suorum. — (3) Dechamps, *Haer. Jansen.* l. III, d. III, c. xv-xx. — (4) *Summ. August.* p. V, q. ii, a. 5. — (5) Kilber, *De gratia*, nn. 278, 279. — (6) Zacharias : *Thes. theol.* t. V, controv. III, opusc. vii, c. v.

idque aut immediate operando in voluntate, immissa inspiratione immediata, vel operando immediate in intellectu et per hanc illustrationem immediatam operando in voluntate inspirationem mediatam. Atqui Deus non operatur in voluntate immittendo praemotionem physicam, quod postea demonstrabitur ex variis rationibus quarum praecipua est quia sic perverteretur prorsus libertas. Ergo restat ut Deus dicatur operari et dare velle salutare immittendo voluntati inspirationem sive immediatam sive mediatam.

2. Johannes ait : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum » (VI, 44). Tractione significari non solum motionem intellectus, sed adhuc motionem voluntati humanae a Patre immissam, constat ex interpretatione Arausicani in canone 8° (Denz. n. 151), et Augustini (1)

(1) AUGUST. « Noli te cogitare invitum trahi : trahitur animus et amore. Nec timere debemus ne ab hominibus qui verba perpendunt, et a rebus maxime divinis intelligendis longe remoti sunt, in hoc Scripturarum sanctarum evangelico verbo forsitan reprehendamur, et dicatur nobis : Quomodo voluntate credo, si trahor ? Ego dico : parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate ? *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui* (Psal. XXXVI, 4). Est quaedam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille caelestis. Porro si poetae dicere licuit, « Trahit sua quemque voluptas ; » non necessitas, sed voluptas ; non obligatio, sed delectatio : quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est ? An vero habent corporis sensus voluptates suas, et animus desiritur a voluptatibus suis ? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur, *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt : inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos ; quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen* (Ps. XXXV, 8-10) ? Da amantem, et sentit quod dico. Da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, et fontem aeternae patriae suspirantem : da talem, et scit quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit quid loquor. Tales erant isti qui invicem murmurabant. *Pater,* inquit *quem traxerit venit ad me.*

« Quid est autem, *Pater quem traxerit ;* cum ipse Christus trahat ? Quare voluit dicere, *Pater quem traxerit ?* Si trahendi sumus, ab illo trahamur cui dicit quaedam quae diligit, *Post odorem unguentorum tuorum curremus* (Cant. I, 5). Sed quid intelligi voluit, advertamus, fratres, et quantum possumus capiamus. Trahit Pater ad Filium eos qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum ; Deus enim Pater aequalem sibi genuit Filium : ut qui cogitat, atque in fide sua sentit et ruminat aequalem esse Patri eum in quem credidit, ipsum trahit Pater ad Filium. Arius credidit creaturam, non eum traxit Pater ; quia non considerat Patrem, qui Filium non credit aequalem. Quid dicis, o Ari ? quid haeretice, loqueris ? quid est Christus ? non, inquit, Deus verus ; sed quem fecit Deus verus. Non te traxit Pater, non enim intellexisti Patrem, cujus Filium negas : aliud cogitas, non est ipse Filius, nec a Patre traheris, nec ad Filium traheris : aliud est enim Filius, aliud quod tu dicis. Photinus dixit : Homo solum est Christus, non est et Deus. Qui sic credit, non Pater eum traxit. Quem Pater traxit, *Tu es,* inquit, *Christus Filius Dei vivi.* Non sicut propheta, non sicut Johannes, non sicut aliquis magnus justus ; sed sicut unicus, sicut aequalis, *tu es Christus Filius Dei vivi.* Vide quia tractus est et a Patre tractus est. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in caelis est.* (Matth. XVI, 16, 17). Ista revelatio, ipsa est attractio. Ramum viridem ostendis ovi et trahis illam. Nuces puero demonstrantur, et trahitur : et quo currit trahitur, amando trahitur, sine laesione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista quae inter delicias et voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt ; quoniam verum est, « Trahit sua quemque voluptas ; » non trahit revelatus Christus a Patre ? Quid enim fortius desiderat animaquam veritatem. » M. XXXV, 1608. Tract. *in Joh.* XXVI, c. VI, n. 4, 5.

quem secuti sunt omnes occidentales. Constat etiam ex hac formula ecclesiastica « voluntatem trahi, moveri per gratiam » quae ex Johanne originem habet. Constat deneque ex interpretibus : Cfr. Maldonat., Corn. a Lap. in h. l. etc.

3. In psalmo XX, 4, legitur : « Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, » quae verba ab Augustino exponuntur de dulcedine piae affectionis necessaria ad salubriter agendum (1), licet ab auctore sacro ad litteram videantur dici unice de bonorum temporalium affluentia.

54. — II^a probatio. Ex Traditione. I^m Arg. Ex controversia Pelagiana. In ultimo stadio admittebant Pelagiani non modo necessitatem gratiae externae, sed adhuc exsistentiam et utilitatem gratiae internae illustrationis ; constanter rejiciebant gratiam voluntatis quia per eam perimi libertatem arbitrii contendebant (cfr. c. I, a. 1, § 1), Quare defensores doctrinae orthodoxae in eo potissimum vires intenderunt, ut vindicarent necessitatem gratiae voluntatis (2). Porro ex ratione qua pugnat Pelagius, constabat agi de gratia excitante, qua nempe allicitur voluntas ad bonum. Haec igitur est quae necessaria esse affirmatur a Patribus.

II^m Arg. Ex Conciliis et RR. PP. Ex locutionibus Conciliorum et RR. PP. arguitur dupliciter :

1. Saepe affirmant Patres et Concilia a Deo dari et effici dilectionem, amorem, actum salutarem; aliter autem Deus nequit dici auctor eorum actuum nisi aut voluntatem praedeterminando aut ei immitendo inspirationem sive immediatam sive mediatam ; cum vero rejicienda sit praemotio physica, restat ut Deus dicatur auctor salutaris volitionis beneficio inspirationis immediatae aut mediatae, de quo in hac parte thesis abstrahimus.

2. Non raro aperiunt Concilia et ss. Patres modum quo Deus efficiat in homine et ei tribuat volitionem salutarem ; ex verbis eorum liquido constat ad fidem aliosque actus salutares, quibus quis ad justitiam disponitur, requiri non modo illustrationem, sed adhuc inspirationem : Frequentissime enim in Conciliis, apud Pontifices, et apud ss. Patres occurrunt hae locutiones : ad actum salutarem exigitur ut Deus prae-

(1) August. « Benedictio dulcedinis est gratia Dei qua fit in nobis, ut nos delectet et cupiamus, h. e. amemus, quod praecepit nobis ; in qua si nos *non praevenit Deus*, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. » *Contra duas epist. Pelagii*, l. II, c. IX.

(2) Id. « Ipsas quoque, ut in scriptis suis apertissime affirmat (Pelagius), orationes ad nihil aliud adhibendas opinatur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis ut *id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione et actione perficiat*. (*De gr. chr.* c. XLI, M. XLIV, 381.)

paret voluntatem ; ut tangat corda filiorum paternis inspirationibus ; ut immittat suavitatem, delectationem, amorem, caritatem, cupiditatem, sanctum desiderium ; ut per gratiam internam valeamus praestare, id quod Deus jubet, ut suave fiat id quod non delectat.

Restat ut exponantur testimonia e quibus utrumque argumentum petitur.

a) Concilium Milevitanum, canone quarto, dicit anathema asserenti gratiam Christi ideo tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus, non autem per eam praestari ut *quod faciendum cognoverimus etiam facere diligamus atque valeamus.* — Profecto gratia quae confert amorem rei est excitans immediate aut mediate voluntatem ad volendum et faciendum.

b) Caelestinus I in epistola ad episcopos Galliae, c. viii, citat et approbat verba Concilii Carthaginiensis ad Zosimum P. : « Praeparatur voluntas a Domino et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum » (Denz. n. 92).

c) Arausicanum a) in canone quarto ait *per Spiritus Sancti infusionem et operationem,* de qua scriptum est « *praeparatur* voluntas a Domino » et « Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate », fieri ut purgari velimus. — b) in canone septimo ait absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem consentiendo, et credendo, neminem posse cogitare ut expedit bonum salutare aut eligere posse (Denz. n. 150).

d) Tridentinum in Sessione VI, canone 3°, ait : « Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, A. S.

III^m Arg. Ex Patribus. Ex Augustino. Ex locutionibus passim apud s. Doctorem occurrentibus : Uti scite notat P. Palmieri, « sicut penes Augustinum occurrunt appellationes propriae illius gratiae, quae formaliter est in intellectu, ut cogitatio pia, vocatio alta et secreta (1), locutio in cogitatione (2), certa scientia (3) aperiens quod latebat (4), aperitio veritatis (5) : ita pariter frequentissime occurrunt formulae, quibus significatur gratia, quae formaliter voluntati inest, ut infusio

(1) Aug. *De dono persev.* c. viii ; *Epist. ad Vitalem* ccxvii. — (2) *Serm. XI, de Elia et vidua Sarept.* — (3) *De pecc. merit. et remiss.* l. II, c. xviii. — (4) Ibid. c. xix. — (5) *Serm. XVII* in Ps. cxvii, n. 3.

caritatis (1), inspiratio dilectionis (2), spiritus caritatis (3), delectatio (4), delectatio caelestis (5), jucunditas (6), condelectatio (7), voluptas, (8), inspiratio suavitatis (9), cupiditas boni (10), sanctum desiderium (11), bona voluntas (12). Ex his locutionibus arguitur uti supra.

a) In specie affirmat factum, sc. Deum operari in voluntate, praeparare voluntatem, dare suavitatem, delectationem. Ergo datur aliqua inspiratio aut mediata, aut immediata. « Confiteamur gratia Dei praeveniri hominum voluntates et per hanc eas potius praeparari, quam propter earum meritum dari » (13). « Deus hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam et adjuvat praeparatam » (14). « Est misericordia etiam ipsam praeveniens voluntatem, quae si non esset, non praepararetur voluntas a Domino » (15). In opere de *pecc. merit. et remiss.* ait : « Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat... Ut autem innotescat, et suave fiat quod non delectat, gratia Dei est quae hominum adjuvat voluntates » (16). In eodem opere docet : « Deum sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem qua illuminentur tenebrae eorum et suavitatem qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur, ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat quod non delectabat » (17). Alibi : « Docet Deus suavitatem, inspirando delectationem... Docet scientiam, insinuando cognitionem » (18).

b) Extollit gratiam voluntatis supra gratiam intellectus : « Istam Dei gratiam, in divinis eloquiis manifestam, etiam Pelagius manifeste fateatur... Cognitionem et dilectionem, sicut sunt discernenda, discernat. Quia scientia inflat, caritas aedificat. Et cum sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum magis, non sic justitiam nostram super laudem justificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est divino tribuat adjutorio, quod autem majus est humano usurpet arbitrio » (19).

---

(1) *Cont. duas epist. Pelag.* l. II. c. VIII. — (2) Ibid. l. IV. c. V. — (3) *Ad Simplic.* l. I, q. I, — (4) *De sp. et litt.* c. XXIX. — (5) *Serm. XLII de verbis Isaiae*, n. 3. — (6) *In Ps. LXXXV.* — (7) *De nupt. et concup.* l. I, c. XXXVIII. — (8) *In Johan. tract. XXVI.* — (9) *Serm. XVII in Ps. CXVIII*, n. 3. — (10) *Cont. duas epist. Pelag.* l. II. c. IX. — (11) *Cont. Maxim.* l. I, c. IX. — (12) *De gr. Chr.* c. XXIV. — (13) AUG. *Epist.* CVII. — (14) Id. *Enchirid.* c. XXXII. M. XL, 248. — (15) Id. *Retract.* l. I, c. XXVIII. M. XXXII, 628. — (16) Id. *De pecc. merit. et remiss.* l. II, c. XVII. M. XLIV, 167 sq. — (17) Ib. c. XIX. — (18) Id. *In Ps. CXVIII, Serm. XVII*, n. 3. — (19) Id. *De gr. Chr.* c XXVI. M. XLIV, 374.

c) Affirmat necesse esse ut delectatio voluntati impertiatur a Deo, ad hoc ut voluntas velit : « Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via, et cum id quod agendum est et quo nitendum est coeperit non latere, nisi etiam delectet et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur » (1). « Gratia Dei est qua fit in nobis ut nos delectet... quod praecipitur nobis, in qua si nos non praevenit Deus, non solum non perficitur, sed neque inchoatur ex nobis » (2).

2. Auctor libri de vocatione gentium scribit : « Si quaerit victoriam, non dubitet quaerendi affectum ab illo se accepisse quem quaerit. » Et infra : « Nullo mortalis homo spiritualem novi generis dignitatem desiderio appetit, qui calorem ipsius desiderii non accepit a Deo. »

3. Prosper in libro *contra Collatorem :* « Deus ex invito volentem facit, ut cor audientis, obediendi in se delectatione generata, ibi surgat ubi premebatur, inde velit unde nolebat. » — In carmine *De ingratis :*

Hunc itaque affectum quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebrae fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, aegrique valescunt,
Nemo alii dat, nemo sibi (3).

4. Gregorius Magnus eodem modo loquitur : « Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut, sequente quoque nostro libero arbitrio, bonum, quod jam appetimus, agat nobiscum » (4).

III. Confirmatur ratione, duce Suarezio, idque dupliciter :

1. Utraque potentia, intellectus et voluntas, est de se valde improportionata ad supernaturales actus, et ideo ad suavem providentiam pertinet paulatim illam sublevare, procedendo ab imperfecto ad perfectum ; ergo sicut intellectus hoc modo ducitur a Deo praevia gratia exsistente, ita etiam voluntas. Unde in ipsa hominis justificatione hoc ipsum ordinario Deus observat, ut descripsit Conc. Trid. (sess. VI. c. vi), ubi varios ponit actus utraque potentia, ex quibus aliqui saepe possunt ad gratiam excitantem pertinere, ut divino timore concuti, desiderium aliquod salutis concipere.

2. Per P. O. non solam ignorantiam contraximus, sed multo magis infirmitatem et imbecillitatem bene operandi. Ergo sicut intellectus

(1) Aug. *De sp. et litt.* c. iii. M. XLIV, 203. — (2) Id. *Cont. duas epist. Pelagii,* l. II, c. ix. M. XLIV, 586. — (3) Prosper : *De vocat. gent.* l. I. De quo notare expedit hos libros de vocatione gentium esse inter opera dubia Prosperi. *Contra Collat.* c. vi ; *De ingratis,* v. 395-398. — (4) Greg. M. *Moral.* c. x, al. xi.

indiget excitatione propter ignorantiam, ita debet excitari voluntas propter difficultatem bene operandi ([1]).

SECUNDA PARS. EXIGITUR INSPIRATIO IMMEDIATA.

55. — Probatur generatim ex testimoniis Scripturae et Patrum in parte praecedenti expositis. Manifestum enim est in his testimoniis, si sensu obvio sumuntur, sermonem fieri de inspiratione immediata. Speciatim arguitur ex seq.

Prob. 1. Ex Joh. VI, 44. Ex ostensis in parte superiori liquet hominem non tantum trahi intellectu, sed adhuc voluntate. Ulterius voluntatis tractio potest dupliciter explicari : a) De inspiratione *mediata,* qua Deus beneficio nexus inter facultates voluntatem moveret illustrando mentem. Secundum hanc interpretationem affirmaret Christus v. 44 ad fidem exigi ut voluntas a Deo trahatur; quomodo trahatur, id explicaret dicendo hominem audire a Patre h. e. illustrari ab eo, et discere h. e. doctrinam facere suam et ita moveri ad credendum. b) De inspiratione *immediata.* Secundum hanc interpretationem ad fidem salutarem exigeret Christus ut intellectus audiat a Patre, ut discat, ut voluntas trahatur immediate. Sensus obvius suadet hanc interpretationem, nedum eidem adversetur : cum enim Christus dicat ad credendum requiri ut homo trahatur a Patre, sensus magis obvius est ut Deus dicatur *immediate* trahere voluntatem.

2. Concilia modo duas gratias praevenientes commemorant, modo *solam inspirationem,* modo solam illuminationem. Hac agendi ratione ostendunt se, quoties unius tantum gratiae mentionem faciunt, supponere alteram, adeoque gratiam inspirationis distingui ab illuminatione et esse immediatam.

3. Patres extollunt gratiam inspirationis supra gratiam illuminantem. Jamvero si non esset nisi effectus connaturaliter consequens ad illuminationem et formaliter inspecta naturalis, illuminatio esset potius extollenda, utpote causa inspirationis et formaliter supernaturalis. Cfr. testimonia modo allata.

4. Pelagius in ultimo stadio, cum admitteret gratiam internam illuminationis, sane non negavit inspirationem mediatam connaturalem illuminationi. Quare punctum controversiae erat utrum Deus ulterius *immediate* voluntati influeret. Patres itaque, duce Augustino, propugnaverunt necessitatem inspirationis immediatae.

5. Dubitatur merito num semper detur inspiratio mediata. Non raro

([1]) SUAREZ : *De aux.* l. III, c. VII, n. 9.

enim gratia excitat ad ea a quibus natura spontanee se cum horrore avertit; inspiratio nulla videtur connaturaliter consequi ad illuminationem; quare tunc adscribenda est immediato interventui Dei. Quamobrem, cum omnis inspiratio eodem modo adscribatur operationi Dei, dicendum est semper exigi inspirationem immediatam.

TERTIA PARS. IN STATU NATURAE INTEGRAE NON VIDETUR REQUISITA FUISSE INSPIRATIO IMMEDIATA, NISI AD PRIMAM VOLITIONEM BONAM.

56. — A. AD PRIMAM VOLITIONEM BONAM REQUISITA FUIT INSPIRATIO IMMEDIATA :

I^m Arg. Conditio angelorum, in prima creatione, non fuit respectu operis salutaris imperfectior conditione Adae in statu innocenti a Deo creati. Atqui dicenda est imperfectior, nisi homo innocens eguerit inspiratione immediata ad primam volitionem bonam. Ergo. — *Prob. min.* Juxta Augustinum inspiratio immediata necessaria fuit Angelis ad eliciendam in ortu volitionem primam bonam. Quaerit enim utrum bona voluntas (h. e. volitio supernaturalis) cum angelis sit facta, an postea evenerit; asserit bonam voluntatem angelorum Deo esse attribuendam, sive in ea fuerint creati sive postea evenerit, non potuisse evenire post creationem nisi Dei gratia; id probat quia secus angeli per seipsos fecissent se meliores; concludit s. Doctor quamlibet bonam voluntatem inopem fuisse, in solo desiderio remansuram, nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret meliorem, *prius faciens excitando avidiorem* (1).

II^m Arg. Juxta Augustinum Deus hominem condidit cum bona voluntate, qua nempe recta sunt volita. Atqui Deus facit in homine voluntatem bonam excitando efficaciter ad bonum. Ergo. — Major patet ex variis locis, speciatim ex opere *de civitate Dei,* ubi scribit s. Doctor : « Fecit Deus, sicut scriptum est, hominem rectum (Eccl. VII, 30), ac per hoc voluntatis bonae. Bona igitur voluntas opus est Dei; cum ea quippe ab eo factus est homo » (2). Idem patet ex *opere imperfecto contra Julianum,* ubi ostendit hominem factum esse a Deo cum voluntate bona, hanc vero primam voluntatem bonam Dei opus esse, cum illa quippe fecit Deus hominem rectum, nemo autem umquam nisi recta volens rectus est (3).

57. — B. AD VOLITIONES SUBSEQUENTES NECESSARIA HAUD FUIT INSPIRATIO IMMEDIATA.

(1) AUG. *De civ. Dei,* l. XII, c. IX. M. P. L. t. XLI, col. 356, 357. — (2) Id. *De civ. Dei,* l XIV, c. XI. M. XLI, 418; cf. ib. c. XXVII. — (3) Id. *Op. imperf. cont. Julian,* l. V, c. LVII. M. XLV, 1490.

I^m Arg. Nomina inspirationis immediatae, ab Augustino usurpari solita, sunt plurima : a) *Amor* (caritas, dilectio, amor divinus et castus, bona concupiscentia, cupiditas boni) ; b) *delectatio* (suavitas, dulcedo, voluptas, jucunditas). Fere numquam loquitur Augustinus de gratia hominis lapsi, nisi plura ex iis congerat ; contra ea sedulo vitat, ubi loquitur de gratia Adamo collata ad bene operandum et ad perseverandum, licet saepe et accurate de hac gratia sermonem faciat. Atqui hoc est signum inspirationem immediatam non requiri generatim in statu innocenti. Ergo.

II^m Arg. Necessitatem inspirationis immediatae repetit Augustinus a concupiscentia et infirmitate voluntatis. Atqui haec defuit Adamo : « Ille non opus habebat eo adjutorio quod implorant isti cum dicunt : video aliam legem etc. » (1).

III^m Arg. Augustinus tribuit libero arbitrio Adami summas partes quoad bona opera et perseverantiam. « Rectissime credimus Deum sic ordinasse angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet *quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium*... (Boni angeli) per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt » (2). Similia tradit s. Prosper (3). — Atqui sic profecto non fuisset locutus Augustinus, si existimasset hominem innocentem eguisse gratia inspirationis ad salutariter operandum ; contra, uti observat Kilber, n. 278, « quod fit cum sola gratia intellectus, debet potius tribui libertati, quam gratiae illi quae est voluntati extrinseca, nec influens in ejus actionem nec robur addens. »

IV^m Arg. Pelagiani in ultimo stadio nonnisi gratiam inspirationis immediatae rejecerunt. Atqui Augustinus affirmat eorum mentem fore veram, si natura permansisset in statu integritatis. « Ideo Dei gratiae tribuit (Pelagius) non peccandi possibilitatem, quia ejus naturae Deus auctor est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit... Si de illa hominis natura loqueretur quae primo inculpata et sana condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum : quamquam inseparabilem habere possibilitatem... non debuit illa natura dici, quae vitiari posset » (4).

V^m Arg. *Contrarium nulla cogente ratione probatur.* Sola ratio quae probaret necessitatem inspirationis immediatae ad actum salutarem in

(1) Aug. *De corr. et gr.* n. 29. M. XLIV, 933. — (2) Ib n. 27. Cf. nn. 31, 37, 38 ; *De dono persev.* c. vii, n. 13. M. XLV, 1001. — (3) Prosper : *Cont. Collat.* c. ix, n. 3. M. LI, 237. — (4) August. *De nat. et gr.* c. li, n. 59. M. XLIV, 275. Cf. ib. c. xliii, n. 30 ; c. xlviii, n. 56. *De pecc. mer. et remiss.* l. I, c. xxxvii, n. 68. M. XLIV, 149.

statu naturae integrae, peteretur ex supernaturalitate ipsius, dicendo nempe hunc actum non esse connaturaliter supernaturalem, nisi praecedat inspiratio. Atqui hoc est falsum. Ergo. — *Ad majorem :* Voluntas, etiamsi instruitur habitu et ejus actum praevertit mentis illustratio, potest circa objectum propositum exercere vires naturales. Quare tollenda est ejus indifferentia ad duos actus specie diversos, et determinanda est ad unum. Ideo si voluntas non posset determinari ad actum salutarem supernaturalem nisi per inspirationem immediatam, haec esset necessaria. — *Prob. min.* In tantum actus salutaris non valeret esse supernaturalis sine inspiratione immediata, in quantum sine ea voluntas non constitueretur in actu primo supernaturali ad consensum salutarem. Atqui in statu naturae integrae voluntas per solam inspirationem mediatam est in actu primo supernaturali ad consensum salutarem. — Hunc voluntatis consensum esse supernaturalem patet quia procedit ex principio supernaturali; voluntatem constitui in actu primo constat ex defectu concupiscentiae.

Satisfit difficultatibus.

58. — CONTRA I^m PARTEM. Obj. 1°. Patres, praesertim Augustinus, frequenter gratiae actuali, necessariae ad operandum salutariter, tribuunt nomen *vocationis, cogitationis, suasionis.* Atqui haec nomina non quadrant inspirationi. Ergo eorum judicio inspiratio non est necessaria operi salutari.

Resp. Iidem Patres saepe gratiam actualem appelant aliis nominibus *delectationem, suavitatem, dilectionem, affectionem, inspirationem.* Quare ubi eam vocant *cogitationem,* non excludunt inspirationem, neque vicissim; complexum utriusque modo appellant nomine unius, modo nomine alterius. Inde *Dist. maj.* Patres *praecisive* loquuntur, *Conc.;* loquuntur *exclusive, Neg.*

Obj. 2°. Saepe fiunt actus salutares absque ulla delectatione piae affectionis, immo cum ariditate et taedio. Ergo non requiritur delectatio piae affectionis.

Resp. *Dist. ant.* Fiunt absque *sensibili* delectatione, *Conc.;* absque ulla *spirituali* delectatione, *Neg.* — Ad objectionem scite advertunt Wirceburgenses : « Etiam in ipsa pugna et sui ipsius victoria, quantumvis naturae violenta, intervenit aliqua *spiritualis delectatio* in obediendo Deo; atque haec delectatio est quam mystici dicunt devotionem substantialem aut rationalem, quae in promptitudine animi ad placen-

dum Deo consistit, cum spirituali quadem complacentia inde resultante. De hac loquebatur Apostolus ad Rom. VII, 22 : « Condelector legi Dei secundem interiorem hominem ; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. »

CONTRA II^m PARTEM. Obj. 3°. In tantum astruenda est necessitas inspirationis immediatae, in quantum Concilia aut Patres requirunt duplicem gratiam praevenientem. Atqui saepe non requirunt nisi unam, quae semper intelligi potest esse illustratio mentis et inspiratio connaturaliter consequens adeoque mediata. Ergo. (Cf. Trid. infra ad inst.)

Resp. In aliis quidem locis dicuntur requiri duae gratiae et apparet fieri sermonem de duabus gratiis immediate a Deo collatis; in aliis vero locis non fit explicita mentio nisi de una gratia, sed mentio fit modo de illustratione, modo de inspiratione, inde neutra ab altera excluditur ; quare dici potest in his locis complexui utriusque gratiae tribui nomen modo illustrationis modo inspirationis.

Inst. Atqui ubi Concilia mentionem faciunt de duplici gratia, nullatenus affirmant has gratias esse realiter distinctas adeoque inspirationem esse immediatam ; sed contra non obscure indicant unam a Deo infundi gratiam quae per se et immediate illuminat mentem, et non movet voluntatem nisi mediante illuminatione mentis.

Prob. Ex Trid. sess. VI, c. v. Agit Synodus de necessitate praeparationis ad justificationem adultorum, declaratque exordium esse sumendum a gratia Dei praeveniente, « h. e. ab ejus *vocatione* » et a gratia adjuvante ; sic describit utramque gratiam : « Ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti *illuminationem*, neque homo ipse nihil omnino agat *inspirationem* illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam... possit. » — Tridentinem censere illuminationem et inspirationem esse unam eamdemque gratiam patet tum quia utraque convenit cum una eademque vocatione ; tum quia idem est quod ab homine recipitur et quod Spiritus Sanctus infundit : Deus autem dicitur infundere illumiminationem, homo vero dicitur recipere inspirationem. Ergo.

Resp. Canones non debent urgeri ultra scopum Patrum. Jamvero scopus Tridentini non erat asserere quaenam gratia excitans sit necessaria, sed affirmare tum necessitatem gratiae excitantis et adjuvantis, tum activitatem et libertatem hominis in actu salutari. Quoad indolem gratiae praevenientis, Tridentinum supponit rem confectam Conciliis adversus Pelagianos et Semipelagianos celebratis; quare gratiam exci-

tantem modo vocationem, modo illuminationem, modo inspirationem vocat, quia juxta antiquiora concilia utramque complectitur.

Instant ex Arausicano, ad quod perperam provocari contenditur, ratione ex eo desumpta quod Arausicanum necessariam esse dicit illuminationem et inspirationem. Etenim canone quarto affirmatur per Spiritus Sancti *infusionem* et *operationem* fieri ut purgari a peccatis velimus; manifestum est infusionem Spiritus Sancti et operationem esse realiter unam eamdemque rem. Ergo ex asserta duplici gratia frusta concluditur ad distinctionem realem.

Resp. Juxta alios in canone 4° non fit sermo nisi de gratia voluntatis, supposita illustratione; ex eo loco constare aiunt, idque merito, operationem Spiritus Sancti in voluntate esse immediatam. Illud colligunt tum ex his quae praecedunt « ut etiam purgari velimus, » tum praesertim ex sequentibus ubi comprobatur ex Scriptura necessitas inspirationis. — Juxta alios indicatur illustratio per infusionem, inspiratio per operationem in voluntate. Illud colligunt ex collatis inter se canonibus 4°, 6°, 7°: Canon 4us: per infusionem et operationem Sp. S. Canon 6us: per infusionem et inspirationem Sp. S. Canon 7us: absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti.

59. — CONTRA III^{m} PARTEM. Obj. 4°. Gratia inspirationis immediatae necessaria est angelo. Ergo etiam homini innocenti.

Prob. ant. Ea gratia fuit necessaria angelo ne caderet, quae est necessaria homini lapso ut surgat. Sic Fulgentius (1) et s. Bernardus (2). Atqui ex II^{a} parte homini lapso necessaria est inspiratio immediata. Ergo.

Resp. *Neg. ant.* aut *dist.* necessaria fuit *pro prima volitione bona, Conc.;* pro *reliquis, Neg.* Ad prob. *Dist. maj.* Eadem gratia, *sub ratione doni indebiti considerata,* est necessaria angelo et homini innocenti, *Conc.;* sub ratione inferiori et quasi *specifica, Neg.*

Inst. Atqui eadem est gratia angeli et hominis lapsi specifice considerata; immo si daretur discrimen in ratione roboris, validior dicenda esset gratia angelis concessa. Etenim Augustinus scribit : « Illi (Angeli) amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se numquam casuros certissimi fierent, pervenerunt (3). » Atqui adjutorium illud amplius intelligendum est de gratia voluntatis. Ergo.

Resp. Jansenius (4) per amplius adjutorium intelligit *certam scientiam,*

(1) Fulgent., l. II *ad Thrasim.* c. iii. — (2) Bern. *In Cant. serm.* xxii, n. 6. — (3) Aug *De civ. Dei,* l. XII, c. ix, n. 2. — (4) Jansenius, *De gr. primi hominis,* c. xviii.

unde se numquam casuros certissimi fierent. — Alii per illud adjutorium intelligunt *beatitudinem,* quia Augustinus interdum beatitudinem vocat adjutorium. Quam explicationem esse falsam constat quia, uti arguit Estius, « sensus redderetur ineptus, sc. angelis collatam esse beatudinem qua ad beatitudinem pervenirent, » tum quia, uti pergit Estius, Augustinus « disputat toto hoc capite *de causa efficiente* bonae, melioris et perseverantis voluntatis.... quam concludit esse Deum » (1).

Solvitur difficultas aiendo per amplius adjutorium concessum angelis intelligendam esse gratiam efficacem, collatam cum praescientia efficaciae. Et re quidem vera talis gratia est amplior moraliter seu in ratione beneficii. Quare *Neg. min.* vel *distinguitur :* Adjutorium amplius est gratia inspirationis *immediatae, Neg.;* est gratia illustrationis et inspirationis mediatae uti *praesciebatur futura esse efficax, Conc.*

Obj. 5°. Juxta Augustinum Deus in homine innocenti operatur ut pius sit, sapiens, justus et beatus (2). Atqui his verbis indicatur inspiratio immediata ad omnes actus salutares hominis innocentis. Ergo.

Resp. *Neg. min.* Agit Augustinus de prima bona volitione Adae. Hic dicitur prius (in ordine naturae) fuisse homo, deinde adjutus Dei inspiratione ut pius sapiensque esset.

Cum ait Augustinus : « Neque enim tale aliquid est homo, ut factus, deserente eo qui fecit, possit aliquid bene agere tamquam ex seipso etc. », asserit gratiam praevenientem in genere consideratam esse necessariam, non dicit utrum inspiratio debeat esse immediata an sufficiat mediata. — Cum addit s. Doctor : « Ille itaque operetur hominem bonum atque custodiat... semper ab eo fieri, semper perfici debemus etc. » loquitur de hominibus in praesenti naturae statu viventibus.

Obj. 6°. Juxta Augustinum Adamus illustratione Dei cognovit bonum immutabile et inspiratione illud amavit (3). Ergo requirebatur inspiratio immediata.

Resp. Agitur *de prima volitione.* Affirmatur nempe Adamus non per-

(1) Estius, I p. d. 41, § 13. *De corr. et gr.* lx.

(2) Aug. *De Gen. ad litt.* c x, n. 23 : « Dicitur Deus *operari hominem,* qui jam homo erat, ut pius sapiensque sit...» Cap. xii, n. 23 «Neque enim tale aliquid est homo, ut factus, deserente eo qui fecit, possit aliquid bene agere tamquam ex seipso ; sed tota ejus actio bona est converti ad eum a quo factus est, et ab eo *justus, sapiens, beatusque* semper fieri... Ille itaque operetur hominem bonum atque custodiat... semper ab eo fieri, semperque perfici debemus... ipsius enim sumus figmentum non tantum ad hoc ut homines simus, sed ad hoc etiam ut boni simus. » M. XXXIV, 332, sq.

(3) Id. « Si voluntas (Adami) in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, et accendebatur ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc intenebresceret et frigesceret. » *De civ.* l. XIV, c. xiii, n. 1. M. XLI, 420.

mansisse fidelis primae illustrationi primaeque inspirationi a Deo acceptae, sed se avertisse a caritate quae a Deo infusa est ratione consensus primae inspirationi. — Alii sic explicant textum : si voluntas stabilis permaneret in amore divino, a quo illustrabatur et accendebatur (mediate aut immediate), ad reliqua recte videnda et amanda etc.

Obj. 7°. Juxta S. Augustinum in libro *de correptione et gratia,* gratia Adamo collata ei tribuebat posse, seu potentiam agenti salutariter. Atqui hoc non confertur per illustrationem sed per *inspirationem.* Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Hoc non confertur in statu naturae lapsae, *Conc.;* in statu naturae integrae, *Subd.* potentia salutariter operandi non confertur *immediate* per illustrationem, *Conc.; mediante inspiratione* connaturaliter consequente ad illustrationem, *Neg.* vel *Dist.* gratia illustrationis *cum donis habitualibus supernaturalibus,* quae cum ea erant conjuncta, non conferunt potentiam salutariter operandi, *Neg.;* si *praecise* sumitur illustratio, *Conc.*

§ 3. De objecto illustrationis et inspirationis.

60. — Postquam ostensum est ad actum salutarem requiri illustrationem et inspirationem immediatam, restat ut quaeratur *quaenam* illustratio et inspiratio sint necessariae, sed quodnam debeat esse earum objectum. — Quaestio speciatim respicit inspirationem ; ad illustrationem tamen eam pariter habere ordinem, ex eo constat quod illustratio, inspiratio, et consensus salutaris versantur circa idem objectum materiale : sic intellectus elicit judicium : *Deus est amandus ob bonitatem absolutam ; gehenna est timenda ;* ad illud judicium sequitur motus voluntatem alliciens ad Deum amandum aut gehennam timendam; ad hanc motionem sequitur salutaris amor aut salutaris timor.

Porro voluntas habet duos actus, alterum *prosecutivum* qui amor dicitur, quo nempe tendit in objectum sub ratione boni seu amabilis, alterum *aversativum* qui odium dici solet, quo nempe ab objecto qua malo se avertit. Rationes boni et mali in multiplici objecto materiali deprehendi valent. — Quaeritur itaque utrum inspiratio voluntatis contineatur *solo actu prosecutvio,* an etiam *aversativo ;* sive utrum sit tantum *amor,* an etiam possit esse *odium* aut aliquis ex actibus sub odio comprehendi solitis ; sive adhuc utrum respiciat bonum, an etiam malum. Quaritur insuper circa quodnam *objectum materiale* versetur.

Sententiae. I^a^ est Jansenistarum. 1. Duo comprehendit : Solus actus caritatis, quo Deus amatur ratione bonitatis suae absolutae, est sim-

pliciter bonus; cum autem gratia proprii nominis non infundatur a Deo nisi ad actum simpliciter bonum, inde gratia proprie dicta est tum illustratio intellectus qua voluntati proponitur Deus amandus quia in se est bonus, tum motio voluntati impressa ad actum caritatis eliciendum. Est itaque omnis gratia proprie dicta voluntatis *actus prosecutivus* cujus objectum materiale est *Deus* et objectum formale *bonitas Dei absoluta,* adeoque est *amor* et *caritas*. — 2. Timor gehennae est bonus secundum quid, quatenus ducit ad caritatem et est initium sapientiae; inspiratio voluntatem movens ad metum gehennae, seu potius eam a gehenna adeoque a peccato, prouti gehennae poena est dignum, avertens, est quidem gratia; verum non est gratia proprii nominis sed inferioris ordinis. Hic timor potest procedere ex fide supernaturali.

II^a^ sententia est catholicorum. Hi tenent non solum actum caritatis esse vere et simpliciter bonum, sed vere bonos etiam esse actus spei et virtutum moralium, vere adhuc bonum esse odium peccati ex quolibet motivo honesto, speciatim ex metu simpliciter servili gehennae. Quamobrem eorum judicio gratia proprii nominis a Deo voluntati infusa non movet ad solum actum caritatis, sed etiam ad colendam virtutem spei et virtutes morales, aut ad odium peccati ex motivo quolibet honesto; itaque non reponitur in solo actu prosecutivo, sed adhuc in actu aversativo, neque ut objectum materiale habet solum Deum, sed etiam creata, adeoque non est solus amor nec caritas. — Haec sententia est *definita* ex damnatis propositionibus 21 et 25 synodi Pistoriensis per Constitutionem *Auctorem fidei,* editam a Pio P. VI, 28 augusti 1794. Denz. nn. 1384 et 1388.

Praejacta sic etiam enuntiantur. Quaeritur ad quid inspiratio moveat voluntatem, ad quemnam actum salutarem, ad quodnam objectum amandum aut odio habendum. — Respondent Jansenistae: unice ad actum caritatis perfectae. Inde inspiratio est tantum actus prosecutivus voluntatis; pro objecto materiali habet Deum et pro objecto formali Dei bonitatem absolutam. Rationem esse dicunt quia actus caritatis perfectae est solus simpliciter bonus. — Respondent catholici: etiam ad actus aliarum virtutum, immo ad timorem et odium ex motivo honesto. Inde inspiratio et consensus salutaris sunt etiam actus aversativi; pro objecto materiali habent non tantum Deum sed etiam creata; pro objecto formali etiam bonitatem Dei respectivam et honestatem actionis.

THESIS VIII^a. — Falsum est id quod affirmant Jansenistae, omnem nempe inspirationem gratiae proprii et veri nominis esse motionem ad amorem et caritatem. Potest tamen dici amor et caritas radicaliter aut causaliter.

61. — PRIMA PARS. Omnis inspiratio non est formaliter amor nec caritas.

Sensus. Voluntas, quoties juvatur auxilio gratiae, non semper tendit in Deum qua bonum sibi, neque etiam tendit semper in alia objecta materialia quatenus bona ; sed saepe elicit actus aversativos, et saepe, actus aversativo aut prosecutivo, versatur circa objecta distincta a Deo.

Prob. I^m Arg. Non datur actus salutaris nisi praecesserit inspiratio gratiae veri nominis, qua voluntas moveatur ad ponendum actum salutarem, et quae proinde habeat idem objectum materiale et objectum formale atque ipsemet consensus salutaris. Atqui omnis actus salutaris non est Dei amor et caritas ; sed inter actus salutares annumerantur etiam tum actus spei quo Deus amatur uti est bonus amanti; tum actus virtutum moralium, puta fortitudinis, prudentiae, temperantiae ; tum odium peccati ex motivo turpitudinis ejusdem aut metus gehennae. Ergo omnis inspiratio gratiae veri et proprii nominis non est motio ad amorem et caritatem.

Prob. min. 1. Inter actus salutares annumerari spem probatur in tractatu de spe ; praeterea constabit ex dicendis in secunda parte hujus tractatus circa dispositiones ad justificationem ; demum disertis verbis asseritur a Tridentino in sessione VI^a, cap. VI°. — 2. Actus virtutum moralium esse salutares probatur in tractatu harum virtutum. — 3. Timorem et odium esse non raro actus salutares, proindeque aversionem indeliberatam a malis esse non raro inspirationem gratiae, probatur in tractatu de paenitentia, a) generatim ex locis quibus Scripturae timorem gehennae et odium peccati commendant. Sic Luc. XII, 4, 5 : « Ne terreamini ab his qui occidunt corpus... timete eum qui... habet potestatem mittere in gehennam ; ita dico vobis, hunc timete ». b) Speciatim probatur ex Tridentini sessione XIV, c. IV : « Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat (Synodus) non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum... *quo paenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.* » Cfr. Trid. sess. VI^a, c. VI et VII. Idem constat c) Constitutione *Auctorem*

fidei, affirmante timorem gehennae esse donum supernaturale, motum a Deo inspiratum, praeparationem ad amorem justitiae (Prop. 25. Denz. n. 1388). Demum constat d) damnatis ab Alexandro VIII propositionibus 14ª et 15ª Arnaldi : « Timor gehennae non est supernaturalis » ; « Attritio quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis » (Denz. n. 1171 sq.).

IIm Arg. Ex sententia Jansenianorum consequitur non dari inspirationem gratiae veri nominis nisi ad actum salutarem qui proxime disponit ad justificationem. Manifesta est sequela quia caritas est dispositio proxima ad justitiam, ubi elicitur ab eo qui in lethali versatur. Atqui hoc esse falsum constat quia datur actus vere salutaris qui non disponit nisi remote, licet positive, ad justificationem, adeoque ad quem eliciendum infunditur a Deo inspiratio gratiae veri nominis. Ergo falsum est omnem inspirationem gratiae veri nominis movere ad amorem et caritatem.

Prob. min. 1. Tridentinum in sessione VIª, cap. VI, docet modum praeparationis ad justificationem, processum dispositionum usque ad infusionem justitiae : a) adulti, excitati et adjuti gratia, fidem adhibent in revelata speciatim in justificationem per merita Christi; b) intelligunt se esse peccatores ideoque concutiuntur timore justitiae Dei ; c) se convertunt ad considerandum Dei misericordiam, et exinde eriguntur in *spem;* d) *incipiunt diligere Deum* tamquam fontem omnis justitiae; e) moventur adversus peccatum per *odium* aliquod, h. e. per eam paenitentiam quam ante baptismum agi oportet; f) proponunt sibi suscipere baptismum, inchoare vitam novam et servare mandata divina. — Capite sequenti affirmat Tridentinum justificationem infundi post has dispositiones elicitas : « *Hanc dispositionem* seu praeparationem justificatio ipsa *consequitur,* quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. »

2. Vaticanum, postquam dixerat fidem salutarem non elici nisi illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, subjungit : « Quare fides ipsa in se, *etiam si per caritatem non operetur,* donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando. » Sess. III, c. III in medio.

IIIm Arg. Eo quod omnis gratia foret caritas, consequens foret actus virtutum moralium non esse supernaturales; sed consequens

profecto est falsum. Ergo falsum est eodem jure antecedens. — Manifesta est sequela majoris, quia objectum formale virtutum moralium non est Dei bonitas absoluta, immo objectum materiale plerarumque harum virtutum non est Deus. — Insuper consequens foret non dari nisi unam virtutem theologicam, nempe caritatem : spes enim versatur circa Deum qua *bonum nobis;* fides vero stat in actu intellectus qui imperatur imperio pio voluntatis, cujus objectum formale seu motivum est Dei revelantis auctoritas seu sapientia et veracitas.

62. — SECUNDA PARS. Inspiratio est amor et caritas saltem radicaliter aut causaliter.

A. *Amor :* Inspiratio gratia movet ad amorem seu actum prosecutivum, vel ad odium seu actum aversativum. Atqui si movet ad amorem, est amor formaliter; si movet ad odium, est amor radicaliter seu causaliter : Omnis enim actus aversativus voluntatis radicatur in actu prosecutivo; ideo enim voluntas se avertit a malo, quia privatur bono amato propter se adeoque amat bonum oppositum. Ergo inspiratio, si non est amor formaliter, est amor radicaliter (1).

B. *Caritas :* Omnis actus salutaris potest imperari caritate; deinde omnis actus supernaturalis, si ipse non est caritas, ex natura sua tendit ad hoc ut caritas habitualis et actualis in anima vigeat. Ergo omnis gratia est radicaliter caritas et potest esse caritas causaliter.

ARTICULUS IV.

Num actus praecitati dicendi sint Dei gratiae.

Ripalda, *De ente* etc. d. cii et ciii.

§ 1. Status quaestionis.

63. — Proponitur quaestio. In praejactis articulis ostensum est hominem, viribus suis derelictum et adjutum concursu ordinario Dei, nullum valere elicere actum qui ad salutem ipsumque salutis initium conducat, proindeque requiri auxilium principii supernaturalis, adeoque actum salutarem esse supernaturalem. — Ostensum etiam est actum salutarem non posse elici nisi praecesserint illustratio et inspiratio, quae et ipsae sint actus supernaturales eliciti ex auxilio principii supernaturalis. — Heic inquirendum est utrum *usu Scripturae et Patrum hisce*

(1) Cfr. D. Th. Ia IIae, q. xxv, art. 2 ; q. xxvi, art. 1, ad 2m.

actibus conveniat appellatio gratiae, utrum proinde agnoverint iis inesse *essentiam gratiae internae.*

Sententiae. Iª est Quesnellii qui affirmat nomen gratiae, usu Scripturae, non convenire nisi *omnipotenti Dei voluntati* h. e. operationi Dei omnipotentis cujus terminus immediatus et necessarius est actus salutaris, et cui operationi non potest resisti. — Ejus sententia exprimitur hac propositione, 19ª inter damnatas aº 1713 a Clemente P. XI, Constitutione *Unigenitus :* « Dei gratia nihil aliud est quam ejus omnipotens voluntas : haec est idea quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis » (Denz. n. 1234).

IIª est Arnaldi qui asserit gratiam esse *ipsam actionem deliberatam creaturae.*

IIIª est neothomistarum, qui asserunt gratiam vocari non quidem *actus* intellectus et voluntatis, sive deliberatos sive indeliberatos, verum *qualitatem a Deo infusam* antecedenter ad actum. Duas hujusmodi qualitates distinguunt, quarum alteram dicunt esse principium illustrationis et inspirationis, alteram vero actus salutaris. Utrum infundatur a Deo hujusmodi qualitas postea examinabitur.

IVª est Molinae (1), Bellarmini (2), Valentiae (3), Vasquezii (4), Suarezii (5), Lessii (6), Tanneri (7). Insuper eam tradunt Driedo (8), Stapleton (9), Johannes de Bonnonia (10), Vega (11), Alvarez (12), Gonzalez (13). — Ex priscis theologis : Alex. Alensis (14), Aegidius (15), Ferrariensis (16), Capreolus (17). — Hi doctores asserunt se insistere vestigiis Magistri et Angelici (18). — Unanimiter asserunt appellationem gratiae ex usu Scripturae et Patrum convenire *actibus intellectus et voluntatis,* nempe *illustrationi et inspirationi.* — Dissentiunt quoad duo : a) utrum Deus praevie ad actum infundat qualitatem quae et ipsa mereatur nomen gratiae. Haec quaestio examinabitur capite sequenti. — b) Utrum consensus voluntatis accipiat nomen gratiae. De hoc consensu dantur tres sententiae : 1. Alii negant. — 2. Suarez (19), Alvarez (20), Ruiz (21) et alii absolute dicunt actus deliberatos pietatis referri inter auxilia

(1) In *Conc.* d. VIII et d. XXXVI. — (2) L. I *de gr. et lib. arb.* c. II et XII. Ib. l. VI, c. V. — (3) *In controv. de gr.* c. II. — (4) I p d. LXXXVIII, c. VII et XII, d. CLXXXV, c. IX. — (5) L. III *de aux.* c. IV et l. I *de gr.* c. VIII, nn. 7 et 8. — (6) *De aux.* c. I, n. 11 et c. VIII. — (7) In IIª Iªe, d. VI, q. 3. — (8) L. I *de gr. et lib. arb.* c. II et III. — (9) L. IV *de justif.* c. V et IX. — (10) *De praed.* a p. 70. — (11) *In Trid.* l. VI, c VIII. — (12) *De aux.* d. LXXV et LXXVI. — (13) In I d. LVIII. s. 3, conc. 3. — (14) III p. q. LXIX, memb. 3, art. 3 et 4. — (15) D. 26, q. II, art. 3. — (16) In III l. C. G. c. CIL, q. IX, art. 4. — (17) In 2 d. 25, q. I, concl. 2 et art. 3 ad arg. adv. — (18) *In Joh.* VI, lect. V, v. 3, q, I et *in Rom.* VIII, lect. 3. — (19) L. II, *de aux.* c. IV, n. 3 et c. IX, n. 8. — (20) D. LXXIX, n. 4 et d. LXXVII, n. 9 — (21) *De provid.* d. XXXII, sect. 2 et 3 ; d. XXXVI, sect. IX, n. 1.

gratiae. — 3. S. Thomas, Alensis, Cajetanus, Durandus, Sotus, Driedo, Bellarm., quos refert Ruiz [1], quorum sententiae adhaeremus, affirmant actum salutarem vocari gratiam quando est causa moralis aliorum actuum bonorum ad quos praeparat et incitat. Hi doctores gratiam operantem eo distinguunt a cooperante, quod operans detur nobis sine nobis libere operantibus ad primam volitionem liberam finis ; cooperans vero detur nobis libere operantibus ad ulteriores actus sive internos sive externos.

§ 2. Illustrationem, inspirationem et actum salutarem vocari gratias ostenditur.

THESIS IXa. — Usu Scripturae et Patrum gratiae appellatione formaliter aut aequivalenter cohonestantur tum illustratio et inspiratio, tum ille actus salutaris qui ad ulteriores actus bonos conducit et incitat. Contra perperam defendit Quesnellius gratiam vocari omnipotentem Dei voluntatem, eamque solam.

PRIMA PARS. Illustratio et inspiratio nomine gratiae cohonestantur in deposito fidei.

Prob. Quod asseritur in deposito fidei a Deo infundi animae, effici in anima, donari homini eo fine ut fiat actus salutaris, id cohonestatur appellatione gratiae. Quod est manifestum quia ei attribuitur definitio gratiae. Atqui illustratio et inspiratio dicuntur in deposito fidei infundi a Deo animae, in anima effici a Deo, eique donari eo fine ut fiat actus salutaris. Ergo illustratio et inspiratio in deposito fidei cohonestantur appellatione gratiae.

I. Illustratio dicitur a Deo infundi, effici, donari, etc.

64. — Prob. Im Arg. Ex Script. Patres de operibus salutaribus, illuminationibus et inspirationibus intelligunt seq. a) Eph. I, 17 : « Non cesso... memoriam vestri faciens in orationibus meis ut *Deus det* vobis spiritum *sapientiae et revelationis* in agnitione ejus ; *illuminatos* oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis ejus » etc. — b) II Cor. IV, 6, « Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. » Quae verba in probationem

(1) Ruiz : *De provid.* d. XXX, sect. I, 3.

gratiae praerenientis immediatae adducuntur a Prospero (1). — c) Sap. VII, 7-16 : « Propter hoc optavi et *datus* est mihi sensus, et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae.... Mihi autem *dedit* Deus dicere ex sententia et praesumere digna horum quae mihi dantur, quoniam ipse sapientiae dux est et sapientium emendator. In manu enim illius et nos et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia, et disciplina. » Cap. IX, 1 sq. : « Deus patrum meorum... da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.... mitte illam de caelis tuis, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te etc. » (2). — d) Joh. VI, 45 : « Omnis qui audivit a *Patre* et didicit, venit ad me. »

II^m Arg. Ex Conciliis. Illustratio vocatur donum Dei homini infusum : a) A *Milevitano,* can. 4 : Utrumque est donum Dei *scire quid facere debeamus* et *diligere* ut faciamus. — b) Ab *Arausicano* can. 7 ubi illuminatio et inspiratio dicuntur esse a Spiritu Sancto qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati. — c) A *Moguntino* in decreto fidei, ubi homo dicitur a Deo admoneri, et in constitutione de paenitentia ubi mens dicitur illuminari favore Spiritus Sancti et accendi ad dilectionem et amorem. — d) A *Tridentino* quod dicit cor *tangi a Deo* per illuminationem Spiritus Sancti, hominemque recipiendo illam inspirationem etiam operari.

III^m Arg. Ex Patribus. Augustinus illustrationem vocat Dei donum, terminum operationis divinae. Definiens hominem non facere quod justum est, sive quia latet quod justum est, sive quia non delectat, subjungit : « Ut innotescat autem quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat, gratiae Dei est » (3). Unde infert : « Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, et suave faciat, quod non delectabat » (4). Non aliter loquuntur auctor operis *de vocatione gentium* et s. Prosper qui cum Arausicano asserit utrumque esse donum Dei, scire quid facere debeamus et diligere ut faciamus (5).

Bernardus : « Deus tria haec operatur in nobis : bonum cogitare,

(1) S. Prosper, *Contra Collatorem,* c. XIV.

(2) Aug. « Nonne luce clarius apparet quemadmodum iste, considerata miseria fragilitatis humanae, non est ausus se regendum sibi committere, sed optavit et datus est ei sensus, de quo dicit Apostolus : « Nos autem sensum Domini habemus, » et invocavit, et venit in eum spiritus sapientiae. Hoc enim spiritu, non viribus propriae voluntatis, reguntur et aguntur qui filii sunt Dei. » *De gestis cont. Pelag.* c. III.

(3) Aug. *De pecc. mer. et remiss.* l. II, c. XVII. M. XLIV, 167. — (4) Ib. c. XIX. cf. l. I *ad Simpl.* q. II ; I. *de sp. et litt.* c. XXXIV : M. XLIV, 240 ; l. *de dono persev.* c. VIII, nn. 19, 20 : M. XLV. 1004 ; l. *de praed. et gr.* c. IX, cf. th. VI. — (5) L. II *de voc. gent.* c. IX, al. XXVI : cf. th. VI ; Prosper, l. *cont. Collat.* c. X, n. 3. M. LI, 241.

velle, perficere. Primum, profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit, siquidem immittendo bonam cogitationem nos praevenit. » Et infra : « Valet praeveniens cogitatio tantummodo ad excitandum. Cavendum ergo ne cum haec invisibiliter intra nos sentitur, aut nostrae voluntati tribuamus, quae infirma est, aut Dei necessitati, quae nulla est, sed soli gratiae qua plenus est; ipsa liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum; sanat cum immittit affectum » (1).

Cyrillus Alexandrinus : « Cognitionem sui filii, non sono aut voce Pater nobis immittit, sed illuminatione mentis, qua recte divinas Scripturas percipimus, quae illustratio animi a Filio quoque fieri dicitur. Scribitur enim, quia tunc adaperuit oculos eorum, ut Scripturae involucra possint intelligere » (2).

Chrysostomus : Explicat quare Spiritus Sanctus vocetur Paracletus h. e. inhortator : « Inhortatur enim semper ad bonum corda fidelium; inhortatur animam, ut Deo se uniat; inhortatur mentem, ut a malis desistat. Mirum; inhortatur et obsecrat Deus mortalem, obsecrat Deus lutum, obsecrat creator creaturam, obsecrat Dominus servum, idque intrinsecus in anima, et alios quidem alloquitur amice ut filios, alios ut fratres, alios ut amicos compellit, urget mentem, docens ut bona, quae illic sunt, cogitemus » (3). Eodem etiam modo loquuntur episcopi Africae exulantes in Sardinia et Gregorius Magnus quorum testimonia supra sunt tradita. Cf. th. VI.

65. — II. Inspiratio dicitur a Deo infundi, effici, donari, etc.

Prob. I^m Arg. Ex Script. Joh. vi et Ps. xx (cfr. th. VII). *Tractio* voluntatis de qua Johannes, *dulcedo* de qua Psaltes dicuntur *a Deo* produci, sunt internae homini et conducunt ad opus salutare. Ergo merito vocantur gratiae.

II^m Arg. Ex Conciliis. Inspiratio ad actum salutarem vocatur donum Dei : a) a Milevitano in canone 4°; b) ab Arausicano in canone 7°; c) a Moguntino in constitutione de paenitentia; d) a Tridentino quod affirmat hominem recipere inspirationem a Deo immissam (sess. VI, c. v et can. 3).

III^m Arg. Ex Patribus. Augustinus frequentissime et omni modo affirmat inspirationem esse Dei donum et in voluntate produci a Deo; in ultimo stadio controversiae illud unice a Pelagio petit. — Inspira-

(1) Bernardus, *De gr. et lib. arb.* ad finem. — (2) Cyrill. Alex. *In Johan.* l. IV, c. v, vii. — (3) Chrysost. *Serm. II in Pentec.* post medium.

tionem, affectum, suavitatem, esse Dei donum, ab ipso efficienter produci, diserte affirmant auctor libri de vocatione gentium et s. Prosper.

AUGUSTINUS : « Legant ergo... et fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates » (1). — Alibi : « Ut autem innotescat quod latebat et suave fiat quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominis adjuvat voluntatem » (2). — Idem s. Doctor : « Praecipitur ut credamus, ut, dono accepto Spiritus Sancti, per deliberationem operari possimus. » Et infra in eodem opere : « Cum ergo nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, et praebetur gratia Dei, non nutu nostro aut industria comparatur » (3).

AUCTOR L. DE VOCATIONE GENTIUM : « Si quaerit victoriam, non dubitet quaerendi affectum ab illo accepisse, quem quaerit. » Et infra : « Nullo mortalis homo spiritualem novi generis dignitatem desiderio appetit, qui calorem ipsius desiderii non accepit a Deo. »

PROSPER : « Deus ex invito volentem facit, ut cor audientis, in se delectatione generata, ibi surgat, ubi premebat ; inde velit, unde nolebat » (4).

SECUNDA PARS. ACTUS DELIBERATI AD ULTERIORA OPERA BONA EXCITANTES ANNUMERANTUR INTER GRATIAS.

66. — Prob. I^m Arg. EX SCRIPT. 1. Paulus ad Galatas ait : « In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur. » Aug. in h. l. ait quod fides « nihil operaretur, *nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum* » (5). Quare caritas diffunditur in cordibus; ista autem caritas est efficax, siquidem opera de ea gignuntur. Ergo actus salutaris ad ulteriora opera bona excitans dicitur gratia Dei.

2. Joh, VI, 44 : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater... traxerit eum. » Ex antea discussis constat tractionis nomine intelligendam esse inspirationem, eamque immediatam, a Deo voluntati impressam et moventem hominem ad salutariter credendum; ejusdem tractionis nomine intelligendus adhuc videtur consensus liber voluntatis huic inspirationi divinae seu pium voluntatis imperium ad quod consequitur actus fidei intellectualis. Haec interpretatio suadetur etiam s. Augustini (6), s. Prosperi (7) et s. Thomae (8) auctoritate.

(1) AUG. *De gr. Chr.* c. XXIV. M. XLIV, 373. — (2) Id. *De pecc. mer. et remiss.* c. XVII. M. XLIV, 167. — (3) Id L. II, *Cont. duas epist. Pelag.* nn. 17, 18, 22, 23 : M. XLIV, 583 ; ib. l. I, n. 22 : M. XLIV, 561 ; l. *De sp. et litt.* nn. 59 sq. M. XLIV, 240 sq. *L. I Ad Simplic* q. IV. — (4) PROSPER, *Cont. Collat.* c. VII, sq. M. LI, 230. — (5) AUG. *Ep.* CVI. — (6) AUG. *Tract.* XXVI *in Joh.* Cfr. th. VII^m. — (7) PROSPER : *Cont. Collat.* c. XXIV. — (8) S. TH. II^a II^ae, q. 1.

II^m Arg Petitur EX CONCILIIS. Concilia non raro dicunt amorem, dilectionem aliumque actum salutarem a Deo dari et effici, potissimum id dicunt de actu salutari ad actum ulteriorem incitante ; supra ex his locutionibus conclusimus Deum infundere voluntati inspirationem, siquidem aliter nequit dare voluntati actum salutarem qui sit liber ; in praesenti thesi ex iisdem locutionibus concludimus hos actus salutares in deposito fidei appellari gratias. — Restat itaque ut nonnullos modos loquendi proponamus :

a) Secundum Milevitanum gratia Dei efficit ut quod faciendum cognoverimus facere diligamus et valeamus (can. 4, cfr. Denz. n. 68). b) Arausicanum II^m in canone 25° ait Deum inspirare nobis fidem et amorem sui, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus et post baptismum ea quae sibi sunt placita implere possimus. Patet amorem quo petitur baptismus esse actum salutarem ad alia bona opera incitantem (Denz. 171). In eodem canone dicitur diligere Deum esse donum Dei, quibus verbis iterum denotatur dilectio Dei deliberata (Denz. n. 167). — c) Moguntinum ait, capite IV : « Sic in bono opere faciendo deprimenda est facultas hominis, ut interim cogitemus Spiritus Sancti motum in nobis efficacem et apud Deum acceptum et pretiosum esse. » Sane motus spiritus Sancti quo deprimitur facultas est auxilium gratiae. Is autem motus dicitur acceptus Deo, adeoque meritorius et liber. Ergo motus salutaris annumeratur gratiis.

III^m Arg. EX PATRIBUS. 1. AUGUSTINUS expendens illa verba Lucae : « Ego *rogavi* pro te, ut non deficiat fides tua, » dicit Christum rogasse liberrimam, fortissimam, invictissimam et perseverantissimam voluntatem. Ergo volitio salutaris est Dei donum utpote petita ab eo (1). b) Expendens verba Apostoli : « Qui operatur in nobis velle et operari, » dicit a Deo inspirari caritatem ut ea quae facienda noverimus diligenda faciamus. Agitur de dilectione efficaci (2). — c) Alibi ait Deum efficere ut faciamus praebendo vires efficacissimas et explicat vires istas esse voluntatem liberam caritatis, non qualemcumque, sed magnam, validam et robustam qua martyres et alii justi egregia pro Deo facinora perficiunt. Quare docet auxilium gratiae, quod a Deo petendum est, ut opere impleamus divina praecepta, esse voluntatem efficacem implendi (3).

2. AUCTOR L. DE VITA CONTEMPL., qui olim putabatur esse s. Prosper,

(1) AUG. *De corr. et gr.* c. VIII. M. XLIV, 926. — (2) Id. *Ep.* CXLIII. — (3) Id. *De gr. et lib. arb.* c. XVI.

repetit ex affectu ardenti caritatis divinitus immisso patientiam qua nonnulli incommotum pectus opponunt saevientibus malis. « Quoniam videmus aliquos patientiae mole fundatos inconcussum pectus saevientibus malis opponere, abundantiae sanctae benignitatis affectus noverimus, non eos magnitudine virtutis suae posse quod volunt, ardent et faciunt, sed de beneficio illius caritatis, quae non est ex nobis, sed diffusa est in cordibus nostris per Sp. S., qui datus est nobis » (1).

3. Alius scriptor asserit a Deo infundi caritatem quae faciat implere quod praecipitur : « Dando gratiam renovat naturam : caritatem quippe ad haec per Spiritum Sanctum diffundit, ut faciat implere quod praecipitur; et illuminationis gratiam per Spiritum fidei propterea largitur, ut quod Deo placitum est, fides per caritatem operetur » (2).

4. ANSELMUS dicit deum dare voluntatem efficacem boni : « Quoniam voluntate quisque ad id, quod indeclinabiliter vult, trahitur, vel impellitur, inconvenienter trahere, aut impellere dicitur Deus per gratiam, cum talem voluntatem dat, in qua tractione nulla violentiae necessitas, sed accepta bonae voluntatis spontanea et amata tenacitas (3). »

III^m Arg. Ratione theologica. 1. *A priori.* Auxilium gratiae theologicae est donum Dei nobis internum, quo arbitrium movetur ad salutariter agendum. Atqui actus salutaris et meritorius est saepe hujusmodi donum. Ergo. — *Prob. min.* Actum liberum et deliberatum voluntatis saepe movere ad opus salutare constat quia a) pium imperium voluntatis movet ad actum fidei; b) actus caritatis ad impletionem Dei legis; c) intentio efficax finis ad electionem mediorum; d) actus internus ad actum externum. — Actum hujusmodi liberum esse donum Dei constat quia fit cum ipsius auxilio indebito; quare non minus est donum quam illustratio et inspiratio.

2. *A posteriori.* Secundum theologos haud spernendae auctoritatis non modo requiritur gratiae auxilium ut velimus, sed etiam ut deinde agamus seu opus volitum perficiamus; jamvero ad exsecutionem operis non exigitur gratia excitans nova : exsecutionem enim determinat voluntas efficax et perseverans quae Dei auxilio debetur, adeoque vicibus fungitur gratiae excitantis.

TERTIA PARS. OMNIPOTENTIA DEI NEQUIT VOCARI GRATIA.

67. — Prob. 1. Falsum est solam Dei omnipotentiam vocari gratiam usu Scripturae et Patrum. Ostensum enim est illustrationem, inspirationem et consensum salutarem nomine gratiae cohonestari.

(1) *De vita contemplativa,* l. III. — (2) *De inc. et gr.* c. XXVII. — (3) ANSELM. l. I, c. X.

2. Gratia active inspecta est quidem indebita operatio Dei qui est omnipotens, quae nempe terminatur ad actus praecitatos; at falsum prorsus est eam operationem Dei dici gratiam quae sit ipsa omnipotens, cui nemo possit resistere, quae necessario effectum producit : sic enim nulla daretur gratia pure sufficiens, sed omnis gratia foret efficax, deinde foret efficax ab intrinseco proindeque perimeretur libertas hominis.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

68. — CONTRA I^m PARTEM. Obj. 1°. Gratia fit in nobis sine nobis juxta Arausicanum et Augustinum. Atqui illustratio et inspiratio non fiunt sine nobis, sed cooperante facultate. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Fit in nobis *omnis gratia* sine nobis, *Neg.;* gratia *excitans, Subd.* fit sine nobis agentibus concursu libero et *imputabili* ad meritum, *Conc.;* sine nostro concursu *vitali* et *physico, Neg. Cdt. min.* — Constat solutio quia dici solet fieri a nobis quod in libera potestate constitutum est : agere enim dicitur proprie de actione humana. Constat etiam quia *cogitatio* salutaris dicitur a Deo fieri in nobis sine nobis. Sic Bernardus l. c. ait : « Deus tria haec, h. e. cogitare, velle, perficere operatur in nobis : primum profecto *sine nobis;* secundum nobiscum, tertium per nos. » Quomodo autem immanens cogitatio dari posset sine ulla activitate mentis cogitantis? — Constat insuper ex Apostolo qui agens de inordinatis animi motibus prorsus indeliberatis, quos excitat concupiscentia, ait : « Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, » (Rom. VII, 20) quorum verborum sensus profecto est : Si quod deliberate et libere respuo, in illud tamen indeliberate tendo, jam non ego illud operor quasi homo liber humano et imputabili modo. — Constat denique ex verbis Christi apud Matth. « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. » Sane locutio non fit, nisi homo concurrat physice ad eam; attamen adscribitur Deo, quia ideae verbis expressae a Deo infunduntur illustratione, sine humana deliberatione, secundum haec promissa Christi : « Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur in vobis in illa hora quid loquamini. »

Obj. 2°. Auxilium gratiae est principium efficiens actus meritorii voluntatis. Atqui nec illustratio nec inspiratio sunt tale principium. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Auxilium gratiae est principium, physice aut *moraliter* efficiens, actus meritorii, *Conc.;* non meretur nomen gratiae

nisi *physice* concurrat ad actum salutarem, *Neg. Cdt. min.* — Inspiratio et illustratio praeparant et *movent* ad actum salutarem, adeoque sunt ejus causa moralis ; etiamsi actus meritorius physice procederet a sola voluntate adjuta habitu supernaturali aut alio principio defectum habitus supplente, sine cooperatione physica motus gratiae praevenientis, quia tamen hic motus est causa moralis actus salutaris, prorsus meretur nomen gratiae. — b) *Conc. maj. Neg. min.* Postea enim vindicabitur causalitas physica motus gratiae excitantis respectu actus salutaris.

Obj. 3°. Ex eo quod illustratio esset gratia, sequeretur unam gratiam internam esse necessariam ad aliam gratiam ; illud enim constat quia illustratio non est supernaturalis, nisi aliud Dei donum ipsi communicet supernaturalitatem. Atqui falsum est ad unam gratiam esse necessariam gratiam aliam. Ergo.

Resp. Majorem uti falsam habemus. Probavimus enim actum salutarem exigere illustrationem et inspirationem, tres autem hos actus esse supernaturales et esse gratias passive acceptas. — Praeterea singuli hi actus exigunt gratiam active sumptam, seu principium elevans ; illud autem principium juxta alios semper est internum, juxta alios internum quidem est in eo qui habitu respondente pollet, externum autem in aliis. Quare juxta alios una gratia interna passive accepta exigit semper gratiam internam activam, juxta alios non semper.

69. — CONTRA II^m PARTEM. Obj. 4°. Gratia dicitur dari ad actum liberum et meritorium. Ergo actus meritorius non est ipse gratia, siquidem est ejus effectus.

Resp. *Transm. ant. Dist. cons.* Ergo actus meritorius non dicitur gratia, nisi ipse datus a Deo fuerit ut medium *conducens ad novum actum meritorium, Conc. ;* secus, *Neg.*

Obj. 5°. Actus salutaris est effectus gratiae. Ergo ipse non est gratia.

Resp. *Dist. cons.* Ergo actus salutaris non est ipsamet haec gratia *cujus est effectus, Conc. ;* non est *alia gratia* in quantum conducit ad alium actum. *Neg.* Sicuti inspiratio est effectus gratiae illustrationis, estque ipsa gratia ad consensum salutarem movens, sic consensus potest esse effectus gratiae et simul gratia movens ad alium actum.

Obj. 6°. Gratia interna est donum a solo Deo procedens. Atqui actus liber non est proprius Deo, cum sit etiam sub dominio voluntatis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Gratia *formaliter* accepta, seu uti est supernaturalis, est donum a solo Deo procedens, *Conc. ;* gratia interna *materialiter*

accepta est donum ita Deo proprium ut secundum nullam considerationem efficiatur a facultate, *Neg.* — *Cdt. min.* Actus liber, uti est supernaturalis, non efficitur a solo Deo, *Neg.*; uti est *liber* et *vitalis* volitio, *Conc.*

§ 3. De aliis nonnullis gratiis.

70. — Ostensum est nomine gratiae cohonestari illustrationem immediatam, inspirationem immediatam et actum salutarem ad alia opera salutaria excitantem. — Quaeritur an ex usu ecclesiastico eodem nomine appellentur illustratio mediata, actus sensitivi, certa bona externa.

I. De illustratione mediata. Hoc nomine intelligitur notitia *subjective naturalis,* quam Deus in mente excitat per res extrinsecas ex se valde opportunas eliciendis cogitationibus ad salutem spectantibus et in hunc finem a Deo ipso institutas. Talis est imprimis praedicatio Evangelii. Porro occurrente istius modi re, naturaliter oboriuntur ideae et judicia. Si Deus interne operatur in intellectu, datur illustratio *immediata;* si contra relinquit sibi vires intellectus, datur illustratio *mediata.* Ista mediata illustratio efficienter procedit ab intellectu citra auxilium gratiae. — Affirmant nonnulli numquam dari illustrationem tantum mediatam, sed Deum semper immediate illustrare mentem, quoties praedicatur aut legitur aut quacumque ratione memoriae occurit verbum Dei. — Verum praecindentes ab hac quaestione, asserimus *illustrationem mere mediatam, si qua datur, annumerandam esse inter gratias divinas.* Patet 1° *ratione :* Ista enim media extrinseca sunt Dei dona gratuita, spectantia ad salutem aeternam; quare gratuitae etiam sunt et ad salutem spectantes eae illustrationes quae sine auxilio gratiae internae humanis viribus efformantur. Patet 2° *revelatione :* Ad illustrationem non modo immediatam sed etiam mediatam spectare videntur : a) Ps. XVIII, 8, 9 : « Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, *sapientiam praestans parvulis;* justitiae Domini rectae, laetificantes corda; praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos. » b) I Pet. II, 21 : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » — Nonnulli ad illustrationem mediatam referunt Augustini verba : « Visorum suasionibus agit Deus ut velimus et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes... sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem » (1).

(1) Aug. *De sp. et litt.* c. XXXIV. M. XLIV, 240.

II. De inspiratione mediata. Inspiratione mediata intelligitur affectio voluntatis quam Deus excitat per solam illustrationem intellectus, v. g. per praedicationem Evangelii. Est itaque *subjective naturalis,* utpote physice procedens a solis voluntatis viribus. — Hanc inspirationem connumerari inter gratias, ex praecedentibus consequitur. Si enim illustratio mediata vocatur gratia, propterea quod naturaliter consequitur ad gratiam extrinsecam, a pari inspiratio mediata dicenda erit gratia, quippe quae naturaliter consequitur ad illustrationem.

III. An certi actus potentiae sensitivae et appetitivae dici queant gratiae? Responsio affirmativa suadetur quia hi actus valent a Deo excitari gratuito, et conferre ad opera salutaria. Profecto Deus potest determinare certos actus phantasiae vel immediate vel mediate; potest efficere ne in appetitu sensitivo oriatur appetitio ad malum quam certa objecta excitare nata sunt, vel ut enascatur aversio a re turpi potiusquam delectatio, vel ut excitetur delectatio sensibilis spiritum devotionis et exercitationem virtutis multum facilitans. — Deum reapse determinare hujusmodi motiones sensibiles, constat tum ex actis martyrum qui inter tormenta sensibilem suavitatem experti sunt, tum ex precibus ad Deum fusis ut motus carnales compescere dignetur, tum locutionibus a Patribus usurpari solitis, quibus nempe inspiratio vocatur *suavitas, delectatio :* his enim connotatur motus sensibiles concomitari actus voluntatis.

IV. Rationem gratiae etiam habent multi eventus non modo ordinis supernaturalis, quales sunt Incarnatio Verbi, inspiratio librorum sacrorum, institutio Ecclesiae et sacramentorum etc.; sed insuper *eventus ordinis mere naturalis* ad salutem vehementer conferentes et in hunc finem a divina Providentia adducti. Tales sunt prosperitas rei familiaris aut adversitas pro variis hominum dispositionibus, nativitas in regione fideli aut a parentibus pietate praeditis, vita in certo hominum coetu transacta, ad senectutum protracta aut praematura morte terminata. Non raro enim istius modi eventus inter dona gratiae commemorantur a ss. Patribus. Sic Augustinus (1) et Sap. IV, 11 : « Raptus

(1) Aug. Deum loquentem inducit : « Hoc tibi dicit Deus tuus : regebam te mihi, servabam te mihi ; ut adulterium non committeres, suasor defuit ; ut suasor deesset, ego feci ; locus et tempus defuit et ut haec deessent, ego feci. . Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes et quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est et demissum vidisti ; mihi debes et tu quod non fecisti. Nullum est enim peccatum, quod facit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, quo factus est homo. » *Serm.* IC, n. 6.

est ne malitia mutaret intellectum ejus, » quae verba de Henoch proprie dicta ad alios extenduntur ab Augustino [1].

CAPUT II.

De natura gratiae.

Ut natura gratiae passive acceptae consideretur, exigitur ut agatur *de causis ejus intrinsecis* sive perfectionibus entitativis, et *de causis ejus extrinsecis*. Heic autem non agendum est nisi de causis *efficientibus* gratiae passive sumptae ; in his itaque perpendendis, examinabimus in quonam constet gratia *active* sumpta. — Quare in priori articulo agetur de *supernaturalitate* actus salutaris, illustrationis et inspirationis ; haec enim est sola perfectio quae manet penitius scrutanda. — In sequenti articulo agemus *de principio actuum supernaturalium*.

ARTICULUS I.

De entitativa supernaturalitate gratiae passive sumptae.

RIPALDA, *De ente*, d. XLIV, CV. SUAREZ, *De gratia*, l. II, c. V seq. ; l. III, c. X.

§ 1. NOTIONES. — QUAESTIONES.

Aperiendae sunt notiones entis naturalis et supernaturalis in genere, in specie vero actus supernaturalis.

71. — Naturale accipitur historice et ontologice.

A. Naturale HISTORICE, seu ratione originis, dicitur 1° de omni eo quod est *congenitum enti* seu quod concomitatur ejus *nativitatem*, sive sit debitum naturae, sive exigentiam naturae excedat, sive infra eam haereat. — Hoc sensu naturalis est gratia sanctificans Adamo collata

---

[1] « Non debent fratres nostri, qui nobiscum pro catholica fide perniciem pelagiani erroris impugnant, huic pelagianae in tantum favere opinioni, qua opinantur gratiam Dei secundum merita nostra dari ; ut quod illi audere non possunt, sententiam veram plane et antiquitus christianam : « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, » destruere moliantur... Ita quippe claret invictum esse quod dicimus, gratiam Dei non secundum merita nostra dari. « *De praed. SS.* c. XIV, n. 29. M. XLIV, 981.

et tota justitia orginalis. Eodem sensu homo, in praesenti conditione generis humani, dicitur natura filius irae. — Dicitur 2° de eo quod *hypothetice nativitatem ex ordinatione Dei concomitari debebat,* de facto tamen, ob hypothesim non purificatam, eam non concomitatur. Isto sensu gratia et justitia dicuntur naturales respectu cujuslibet hominis ab Adamo geniti.

B. Naturale ONTOLOGICE sumitur pro omni eo quod naturam singularem aut universam perficit. (Quod universam naturam perficit opponitur ad *personale*). — Porro natura perficitur duplici ratione, adeoque naturale dupliciter sumitur :

1. Pro eo quod quocumque modo *est debitum* alicui enti. Aliquid potest esse debitum enti *ratione operum,* tamquam *praemium,* aut *ratione naturae.* Sic est debitum id quod essentiam constituit vel ad eam sequitur. Haec autem est propria significatio. Porro perfectiones possunt alicui deberi : a) *Constitutive :* Sic partes essentiae debentur enti exsistenti, puta corpus et anima homini. — b) *Consecutive :* Tales sunt proprietates ad essentiam consequentes. Haec adveniunt enti ab intrinseco. Ita homini debentur libertas, jus, officium. — c) *Exigitive :* Sunt ea quae adveniunt enti ab extrinseco, et ab essentiae exiguntur ne ipsa et potentiae ejus sint frustra. Speciatim ab homine sic exiguntur : α) finis et assecutio saltem possibilis istius finis; β) integritas organorum ut vires in exercitium intrare valeant; γ) termini activitatis, sive tum objecta facultatum et assecutio possibilis eorum objectorum, tum subjecta in quae natura vires exserere valeat; δ) Dei concursus; ε) operatio aliarum causarum, quae necessaria foret ut vires entis agere possint; ζ) societas cum aliis entibus, sive ejusdem perfectionis sive inferioris, sine quibus videlicet vires quaedam exerceri non possent.

2. Pro eo quod est *indebitum* quidem, verum *naturam ornat et perficit;* sic autem dupliciter accipitur : a) In genere pro omni eo quod est indebitum et naturam perficit *supra suum ordinem.* Hoc sensu a nonnullis explicantur verba Pauli ad Rom. II, 14 : « Gentes quae legem non habent naturaliter ea quae legis sunt, faciunt, » nempe actio observandi legem divinam, cum gratia Dei elicita, vocatur naturalis utpote naturam perficiens. — b) In specie pro eo quod gratuita ratione naturam perficit, eam tamen *supra ordinem suum non elevat,* h. e. ei non confert virtutem eliciendi operationes essentialiter perfectiores neque dignitatem superiorem. Continetur in ordine eorum bonorum quorum unum aliquod est debitum naturae; illud autem quo actu insignitur natura superat ejus exigentiam. Hoc sensu immortalitas, impassibili-

tas, carentia formitis, dicuntur naturales. — Patet utramque significationem esse *impropriam*.

72. — **Supernaturale**, vi vocis, est id quod est supra naturam. Potest definiri et describi dupliciter :

A. PHILOSOPHICE, seu primario respiciendo naturam creatam, etiam terminum a quo. — Ens supernaturale sic consideratum est donum prorsus *indebitum* ei naturae cui confertur. Definitur etiam donum *gratuitum* vel donum transcendens naturalem capacitatem, adeoque exigentiam naturae creatae. — Perfectio potest dupliciter esse indebita seu supernaturalis, scilicet *entitative* aut *quoad modum*.

1. Supernaturalis est *entitative* ea perfectio ad cujus entitatem ipsammet ens creatum nullam aptitudinem neque exigentiam habet. — Perfectio potest esse entitative supernaturalis *simpliciter* aut *secundum quid*.

a) Supernaturalis *simpliciter* est ea perfectio quae superat naturalem capacitatem et exigentiam tum illius entis cui confertur, tum *cujuslibet entis creabilis*. Illud donum est iterum duplex : α) Alterum est ex natura sua *permanens*. Talia sunt visio essentiae divinae, qua Beati donantur; lumen gloriae seu qualitas ex potentia intellectus educta, qua hic roboratur in ordine ad contemplandum Deum; gratia sanctificans qua homo fit justus; habitus virtutum quorum ope eliciuntur actus supernaturales. — β) Alterum est *transiens*. Talia sunt, uti modo ostendemus, auxilium divinum quod defectum virtutis supplet in ordine ad salutariter operandum, illustratio intellectus, inspiratio voluntatis et consensus salutaris, sive hi actus fiant ex auxilio habitus virtutis sive ex auxilio divino transeunti.

b) Supernaturalis *secundum quid*, seu *praeternaturalis*, est ea perfectio quae illius quidem entis, cui actu confertur, superat exigentiam naturalem, verum non superat exigentiam omnis entis creabilis. Tales sunt immortalitas compositi humani, impassibilitas, carentia fomitis.

2. Supernaturalis est *quoad modum* ea perfectio ad cujus entitatem quidem natura creata habet capacitatem naturalem et exigentiam; verum nullam habet exigentiam ut ista perfectio insigniatur in facto esse speciali hoc modo qui ei inest, vel ut in fieri ipsi conferatur eo modo quo confertur a Deo. Tales sunt sanatio subita a morbo sanabili, extensio localis quae acquiritur corpore divinitus replicato circumscriptive, scientia infusa de rebus naturaliter cognoscibilibus.

B. THEOLOGICE, seu primario respiciendo Deum, terminum ad quem. — Supernaturale intelligitur id quod est *ordinis divini;* quae enim

perfectio superat ordinem rerum creabilium, eadem respicit ordinem divinum. Est duplex : a) Supernaturale *per essentiam,* seu ipsemet Deus et ejus attributa. b) Supernaturale *per appropriationem,* seu donum quo creatura quadamtenus deificatur, quo nempe ens creatum immediate aut mediate evehitur ad ordinem divinum. Ejus divisio coincidit divisioni modo traditae :

1. Perfectio *simpliciter supernaturalis* est tum ipsamet unio cum Deo superans naturalem capacitatem creaturae, qua nempe intellectus et voluntas uniuntur immediate cum Deo quidditative sumpto, ita nempe ut Deus immediate (non mediante re creata, neque mediante specie repraesentativa) cognoscatur ut in se est et sic ametur et possideatur; tum id quod proxime aut remote disponit hominem ad hanc gratiam : qualia sunt lumen gloriae, gratia sanctificans, habitus virtutum, actus meritorii gratiae sanctificantis primae aut secundae, aut actus ad hanc gratiam disponentes.

2. Perfectio *praeternaturalis,* quae nonnisi analogice est supernaturalis theologice, est donum quod quidem non disponit positive ad praefata dona, verum respicit ista dona in ordine ad ea custodienda, removendo id quod ea prohibet aut destruit, aut ad ea ornanda. Talia sunt dona superius enumerata.

73. — Actus supernaturalis. A. Actus potest esse supernaturalis objective tantum, subjective tantum, simul objective et subjective.

1. Actus *objective tantum* supernaturalis est subjective quidem naturalis, seu elicitus a viribus naturae sibi permissis, verum versatur circa objectum quod per solam revelationem cognoscitur. Ideo vocatur supernaturalis, quia homini nullum est jus aut exigentia perveniendi ad notitiam istius modi objectorum.

2. Actus *subjective tantum* supernaturalis est actus elicitus a facultate et a principio supernaturali, circa objectum ad quod terminari etiam possunt vires naturae sibi permissae. Cum natura creata nullam exigentiam habeat ad cooperationem principii supernaturalis, ideo actus, qui efficitur concursu duarum istarum causarum, transcendit naturalem capacitatem et exigentiam naturae creatae.

3. Actus *objective et subjective* supernaturales sunt actus virtutum theologicarum; eliciuntur enim, concurrente habitu infuso, et versantur primario circa Deum et varia objecta quae sola revelatione innotescunt.

B. Ut supernaturale in genere dividitur in supernaturale *quoad modum* et supernaturale entitative seu *quoad substantiam,* ita etiam actus supernaturalis dividitur.

1. Actus supernaturalis *quoad modum* est actus entitative quidem naturalis, sed qui insignitur modo quem natura non potest exigere. — Talis modus potest dari in fieri actus et in facto esse : — a) *In fieri* h. e. actus concipi potest fieri a facultate cum concursu causae quae naturaliter non ordinatur ad producendum effectum quem produxit, ita scilicet ut natura, eliciens actum, non possit exigere ut ista causa sic agat. — b) *In facto esse,* h. e. concipi potest actui convenire modus quem natura exigere non potest. Iste modus potest esse : α) *extrinsecus* actui, puta acceptatio actus a Deo ad meritum indebita naturae. Potest esse β) *intrinsecus* actui, h. e. concipi potest modus indebitus naturae adhaerere actui per modum accidentis : talis foret certa quaedam duratio, intensitas etc.

2. Actus supernaturalis *entitative* est actus cujus entitas tota, seu perfectio quam facultati affert, superat exigentiam cujuslibet naturae creatae aut creabilis. Talis actus specie differt a cognitionibus et affectionibus entitate naturalibus, quae circa idem objectum versantur et virtute naturae continentur. Actus iste vocatur etiam supernaturalis *quoad substantiam.* Observandum tamen est illam locutionem « actus substantiam, » posse sumi vel pro genere actus, vel pro specie. Porro a) si substantia sumitur *pro genere,* nullus actus intellectus et voluntatis est supernaturalis quoad substantiam, nam omnis actus facultatis humanae convenit cum actibus naturalibus in genere cognitionis et amoris. Verum b) istud genus cognitionis et amoris essentialiter contrahi potest per differentiam ordinis superioris, h. e. per differentiam quae pertinet ad aliquem gradum qui elevat actum ad ordinem superiorem ; genus actus, contractum per hanc differentiam, constituit speciem supernaturalem actus.

74. — Quaestiones. In tractatu de Deo creante probatur visionem essentiae divinae esse entitative supernaturalem; probatur etiam eadem supernaturalitate insigniri gratiam sanctificantem qua justus ad finem ultimum disponitur. Heic autem agitur tum de actibus salutaribus quibus adultus se ad justitiam disponit aut meretur augmentum gratiae adeoque gloriae aeternae; tum de illustratione inspirationeque ad actum salutarem praeparantibus et excitantibus.

Porro ex hactenus probatis jam constat hos actus esse supernaturales, si iste terminus usurpatur *generice,* abstrahendo a duplici specie supernaturalitatis nempe *entitativae* et *quoad modum.* Supponitur enim in tractatu de Deo creante probatum esse naturam humanam non fuisse in naturalibus laesam P. O.; in primo capite ostensum est hominem,

per se solum cum concursu generali Dei, esse physice incapacem eliciendi ullum actum qui ad salutem ejusque initium conducat, adeoque necesse esse ut speciale Dei auxilium conferatur beneficio cujus eliciat homo illustrationem, inspirationem et consensum salutarem. Ex his autem manifeste sequitur hos actus esse supernaturales, siquidem secus natura dicenda esset physice incapax eliciendi actum *naturalem*, proindeque laesa in naturalibus.

Ulterius inquiritur 1° *utrum tres praefati actus sint supernaturales quoad substantiam, an quoad modum*. Inquiritur 2° quanam differentia specifica actus hi supernaturales, objective inspecti, *ab actibus naturalibus discriminentur?*

§ 2. Gratiam esse supernaturalem quoad substantiam ostenditur.

75. — Inquiritur de supernaturalitate actus salutaris et motus gratiae praevenientis.

A. **De actu salutari,** duae sunt sententiae :

Iª tenet actus salutares esse *supernaturales quoad substantiam*. Hanc sententiam tradunt ex priscis theologis, Alens. (1), Bonav. (2), Henricus (3), Altisiod. (4), Aureolus etc. — Ex theologis sec. XVI et XVII : Driedo (5), Vega (6), Catharinus (7), Alb. Pighius (8), Canus (9), Pet. de Soto (10), Bañez (11), Stapletonius (12), Alvarez (13); ex doctoribus Societatis : Bellarm. (14), Valentia (15), Molina (16), Suarez (17), Vasquez (18), Coninck (19), Ruiz (20), Lugo, Ripalda. — Canus censet opinionem oppositam esse falsam, periculosam et erroneam; Sotus eam non esse tutam; Medina contrariam fidei catholicae. — Juxta doctores Societatis sententia entitativam supernaturalitatem affirmans est vera et communis omnibus scholasticis : ita de Lugo (21); magis consentanea divinae theologiae.

Angelicum huic sententiae adhaerere constat quia in Iª IIªᵉ, q. LXII,

(1) III p. q. LXXIV, membr. 2 ; IIII p. q. LXXIV, membr. 4. — (2) In 3 d. 23, art. 2, q. II et d. 26, q. I. — (3) *Quodl.* IX q. XIII. — (4) In II *Summ.* tr. I, c. IV. — (5) *De gr. et lib. arb.* tr. II, c. IV, p. 2. — (6) *De justif.* q. VI et VIII ; *In Trid.* c. XXXIII. — (7) L. V *cont. Cajet. de sacr. paenit.* — (8) III *de lib. arb.* — (9) *De paenit.* p. III. — (10) Sect. IX *de paenit.* — (11) IIª IIªᵉ, q. XXIII, art. 2 et q. XLIV, art. 2. — (12) In prol. l. V *de justif.* — (13) *De aux.* d. LXV. — (14) L. I *de paenit.* c. VI, § 21 ; l. VI *de gr. et lib. arb.* c. VII. — (15) Iª IIªᵉ, q. I, punct. 4 ; q. V, punct. 4, § 2. — (16) *Conc.* d. VII, § *Nostram sententiam* ; d. XIV, memb. I, § *In eadem sent.* et memb. 2, § *Deinde.* — (17) T. IV, in III p. d. III, s 6; *de aux* l. III, c. I et l. II per totum. — (18) In Iª IIªᵉ, d. CLXXXVII, c. II. — (19) In Iª IIªᵉ, d. IV, dub. 3. — (20) *De praed.* d. XLVI, s. 4. — (21) *De fide*, d. IX, s. 2, n. 29.

a 1. distinguit specie actus hominem perducentes in felicitatem supernaturalem ab actibus eum perducentibus in felicitatem naturalem, ideoque tribuit homini virtutes infusas ab acquisitis distinctas; tum quia dilectionem naturalem et supernaturalem distinguit ex objecto et ratione diligendi (Iª IIªᵉ q. CIX, art. 3 in corp. et ad 1ᵐ et 3ᵐ), censetque dilectionem supernaturalem absolute dari non posse sine dono gratiae; tum quia asserit nullam naturam creatam esse principium sufficiens, nisi addatur donum supernaturale (Iª IIªᵉ, q. CXIV, art. 2).

IIª sententia tenere videtur actus salutares esse naturales quoad substantiam,. *supernaturales quoad modum*. Sic Durandus (1), Paludanus (2), Ockam et Gabriel (3), Capreolus (4).

B. **De gratia excitante** datur pariter duplex sententia;

Iª tenet illustrationem et inspirationem esse *quoad substantiam supernaturales*. Sic Molina (5), Suarez (6), Alvarez (7), Ruiz (8), Ripalda l. c. Idem insinuant Bellarminus (9) et Lessius (10).

II_a sententia tenet hos actus esse entitate naturales, *quoad modum vero supernaturales*. Sic Vasquez (11), plures Salmanticenses ex Augustiniana familia. Idem insinuant Bellarminus (12) et Aegidius (13).

Vasquez asserit ista duo : 1. Ut homo ponat actum salutarem, praevertere debet cogitatio honesta et *congrua*. Congrua autem cogitatio illa est quae ita contemperatur adjunctis temporis, loci, dispositionum, ut per se efficaciter allicere valeat ad salutariter agendum. — Nomine cogitationis congruae intelligi nequit ea sola cogitatio cui voluntas consensum salutarem tribuit : si enim haec esset indoles cogitationis congruae, sequeretur non dari gratiam pure sufficientem, quod est haereticum. Inde nomine cogitationis congruae intelligitur ea cogitatio quae ex se tendat ad actum salutarem et vim sufficientem voluntati conferat. — 2. Haec cogitatio est entitate sua naturalis; inde non elevat facultatem ad modum operandi nobiliorem. Verum congruitas debetur Providentiae Dei supernaturali. Deus nempe ex gratuito amore disposuit causas sive ordinis naturalis sive ordinis supernaturalis (puta miracula, exempla sanctorum, praedicationem evangelii), ut excitarent cogitationem congruam.

---

(1) I, d. XVII, q. 2 et alibi. — (2) In 3 d. 23, q. III, ad fin.; in 4, d. 14, q. II, et d. 49, q. I, art. 1. — (3) In 3 d. 23, q. II, a. 1, ad fin. — (4) In 1 d. 17, q. unica, a 2. — (5) *Conc.* d. IV, VI, XV. — (6) L. II *de praed.* c. XVI et l. I *de gr.* CC. XVII, XVIII. — (7) *De aux.* d. 1, l. III, resp. c. VIII. — (8) L. *de prov.* d. XL, sect. 2. — (9) L. V *de gr. et lib. arb.* c. III. — (10) *De aux.* c. X, in append. a n. 31. — (11) In Iª IIªᵉ d. CLXXXIX, CXC. — (12) L. V *de gr. et lib. arb.* CC. V, VII. — (13) In IIª IIªᵉ, d. IV, n. 130.

Qualificatio. Nullibi definitur actus salutares et gratiam excitantem esse quoad substantiam seu entitate sua supernaturales ; neque umquam explicite hoc dicunt Scriptura aut Patres. Itaque ista quaestio libere disputatur inter catholicos. — Contendimus tamen ex his quae Patres et Concilia de gratia et de actu salutari praedicant, sequi eorum judicio istos actus esse supernaturales quoad substantiam, adeoque Patres et Concilia hoc implicite docuisse.

THESIS Xa. — Tum consensus salutaris, tum motus gratiae praevenientis in intellectu et in voluntate recepti, sunt supernaturales quod substantiam.

76. — PRIMA PARS. ACTUS SALUTARES SUNT ENTITATIVE SUPERNATURALES.

Prob. Im Arg. quod est *directum.* Illud est supernaturale quod est medium ex se ducens ad finem entitative supernaturalem, aut quod est effectus univocus principii entitative supernaturalis. — Patet quia medium ex se ducens ad finem, huic fini proportionatur ; et quia effectus univocus participat perfectionem causae. Atqui actus salutaris est hujusmodi medium et hujusmodi effectus. Ergo.

Prob. min. 1. Actus salutaris ad finem supernaturalem ducit a) tamquam *medium :* ex definitione enim disponit ad gratiam sanctificantem aut ad gloriam vel insuper illas meretur ; in tractatu de Deo creante probatur gloriam caelestem et gratiam sanctificantem esse entitative supernaturales. — b) Sunt *ex se* hujusmodi medium : Etenim α) natura humana postulat ut ad finem tendat modo sibi connaturali ; atqui hic modus consistit in eo quod actus ipsius sint medium *ex natura sua,* seu disponant vel mereantur *ex se.* — β) Ex controversia pelagiana constat juxta Patres et Concilia hominem sine auxilio gratiae esse physice et intrinsecus incapacem eliciendi actus salutares, adeoque deesse entitativam proportionem hos actus inter et gratiam sanctificantem et gloriam ; patet etiam ideo conferri auxilium gratiae ut actus, ejus auxilio eliciti, jam sint ob intrinsecam dignitatem proportionati huic fini.

2. Actus salutares a) sunt *effectus principii entitative supernaturalis.* Ubi enim adest habitus, fiunt ab hoc habitu. Atqui habitus est principium entitative supernaturale. Defectus habitus suppletur alio principio quod eamdem specifice virtutem habet. — Sunt b) effectus *univocus.* Etenim habitus non infunditur nisi propter actum. Ergo ea omnis et sola virtus ei tribuitur quae exigitur ad actum ad quem concurrit.

IIm Arg. quod est *indirectum.* Actus salutaris non est tantum super-

naturalis quoad modum. Ergo est entitative supernaturalis. — *Prob. ant.* Actus entitate naturalis non potest esse salutaris quia est supernaturalis quoad modum in fieri, aut in facto esse.

a) Non potest esse salutaris propter hoc solum quod est supernaturalis *in fieri,* h. e. quia fit a causa cujus auxilium non exigitur a natura humana. Si enim eadem dignitas competit actui qui fit a causa naturali et actui qui fit a causa supernaturali, potius a Deo acceptari ad praemium deberet actus qui fit naturaliter ab homine et sine auxilio speciali.

b) Neque potest dici salutaris propter hoc solum quod est supernaturalis *in facto esse,* seu quia insignitur modo quem natura humana non exigit. Etenim α) non fit salutaris quia afficitur *modo extrinseco,* seu quia, productus cum sit a causa supernaturali, *acceptatur* a Deo prae alio actu in meritum praemii supernaturalis, uti visum est Capreolo (1). Probatur uti de actu supernaturali quoad modum in fieri. — Neque β) fit salutaris quia afficitur modo *intrinseco* ad quem natura nullam habet exigentiam, puta certa duratione aut intensitate, uti volunt Almainus, Gabriel, aut *facilitate,* ut placuit Durando (2). Etenim α) Id quod Concilia indicant per verba *sicut oportet,* est necessarium, adeo ut, si desit, actus non sit salutaris. Atqui nulla determinata intensitas nec duratio nec facilitas est necessaria. Ergo. — β) Gratia non requiritur ut actus facilius, aut intensius, aut diutius possit fieri, sed ut *simpliciter* fieri possit. Ergo facilitas actus, intensitas, duratio, quaecumque sit earum causa, actum non reddunt salutarem. Deinde dantur actus supernaturales qui difficillime fiunt (3).

III^m Arg. Petitur *ex indole gratiae excitantis.* Illustrationes et inspirationes sunt supernaturales quoad substantiam, uti probabitur in altera parte. Ergo idem est dicendum de actu salutari. — *Prob. Conseq.* a) Illustrationes et inspirationes sunt quaedam inchoationes imperfectae actuum perfectiorum intellectus et voluntatis, et idem habent objectum. Atqui incredibile est opus salutare inchoari actu entitative supernaturali et absolvi actu entitative naturali. — b) Dicuntur necessariae esse hae actiones per modum auxilii, ut fieri possit actus salutaris. Atqui auxilium supernaturale non est necessarium ut fieri possit actus naturalis. Ergo.

77. — SECUNDA PARS. ILLUSTRATIO ET INSPIRATIO SUNT ENTITATIVE SUPERNATURALES.

(1) In 1 d. 17, q. 1. — (2) In 2 d. 28, q. 1 et XXII et in 3 d. 23, q. VI, n. 8. — (3) Cfr. RIP. d. XLIV, sect. 4.

Prob. Illustratio et inspiratio non reponuntur in cogitatione congrua ad mentem Vasquezii et in motione voluntatis ad hanc cogitationem consequente. Ergo sunt entitative supernaturales.

Prob. ant. I. *Ex controversia pelagiana et semipelagiana* tale fit argumentum: Pelagiani negaverunt necessitatem motus gratiae praevenientis ad ullum actum salutarem; semipelagiani negaverunt hujus necessitatem ad initium fidei. Atqui admiserunt necessitatem cogitationis congruae ad mentem Vasquezii et motionis voluntatis ad hanc cogitationem consequentis. Ergo motus gratiae praevenientis non consistunt in hac cogitatione et motione.

Prob. min. 1. Admittebat profecto Pelagius hominem, quoties salutariter est operatus, motum fuisse cognitione objecti honesti, quae fuerit congrua et efficax; admittebat hujusmodi cogitationem solere excitari, non quidem propria industria, verum mediis a Deo dispositis, praedicatione fidei, miraculis, exemplis sanctorum etc. Illud enim constare videtur ex Aug. (1), quo apparet Pelagius admisisse non modo gratiam externam, sed et internam, sensu Vasquezii. Hanc enim gratiam significare videntur oculorum cordis aperitio, futurorum demonstratio, insidiarum ostensio, gratiae caelestis illuminatio, agendorum praenotio, cordis succensio, honestatis suasio, in desiderium Dei stupentis voluntatis suscitatio, illustratio adventus Christi, incitatio ad perfectionem justitiae. Haec vero omnia attribuuntur gratiae.

2. Sane semipelagiani, cum affirmarent fidem, orationem, desiderium salutis aliosque actus quibus continebatur initium fidei, fieri solis naturae viribus, non negabant ad hos actus exigi cogitationem excitatam concursu causarum naturalium aut causarum a Deo dispositarum in salutem hominem (2).

II. *Ex locutionibus Patrum et Conciliorum, atque ex rationibus theologicis.*

---

(1) Aug. *De gr. Chr.* c. vii. « Adjuvat nos Deus, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat, diaboli pandit insidias; dum nos multiformi et ineffabili dono gratiae caelestis illuminat. » Et paulo post : « Itaque apparet eum illam gratiam confiteri, qua demonstrat et revelat Deus quid agere debeamus ; ad hoc enim valet legis agnitio. » Et cap. x : « Operari ait Deum in nobis velle quod sanctum est, dum nos tantummodo praesentia diligentes futurae gloriae magnitudine, et praemiorum pollicitatione succendit, et dum revelatione sapientiae in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, et dum nobis suadet omne quod bonum est. » Et cap. xxxviii : « Si ante legem ac multo ante Domini nostri et Salvatoris adventum juste quidem, et sancte vixisse referuntur, quanto magis post illustrationem adventus ejus instauratos id posse credendum est, nos, qui per Christi gratiam, et in meliorem hominem renati sumus, qui sanguinis ejus expiati, atque mundati, ipsius exemplo ad perfectionem excitati justitiae meliores, illis esse debemus, qui ante legem fuere. » M. XLIV, 364, 365.

(2) Cfr. *Epist. Prosperi ad Aug.* et *ep. Hil. ad Aug.*; l. *cont. Collat.* c. xxviii.

A. Juxta Patres et Concilia illustratione et inspiratione continetur *donum Dei distinctum a gratia externa ;* dicunt nempe non sufficere praedicationem verbi Dei, sed adhuc exigi ut Deus operetur interius in mente et in voluntate. Atqui in sententia Vasquezii contrarium obtinet; ubi nempe daretur gratia externa, naturalis aut supernaturalis, cum diversis adjunctis, naturaliter sequeretur cogitatio congrua et motio voluntatis, sine nova Dei operatione aut dono. Ergo. Major constat ex testimoniis quae enarrata sunt ubi probata est necessitas illustrationis et inspirationis immediatae. — *Prob. min.* Necessitas gratiae internae, quae realiter distinguatur a gratia externa, optime explicatur in sententia propugnantium entitativam supernaturalitatem illustrationis et inspirationis, siquidem gratia externa non aufert intrinsecam incapacitatem virium naturae ad eliciendum actum supernaturalem quoad substantiam. Contra haec necessitas nullatenus explicatur in sententia dicentium motus gratiae praevenientis esse naturales quoad entitatem. Si enim gratia interna dicitur necessaria ad tribuendum hisce motibus modum supernaturalem, quaeritur quisnam sit iste modus qui non potest determinari per gratiam externam et vires naturales facultatis. Non videtur excogitari posse alius modus qui requireret gratiam internam praeter intensitatem, aut promptitudinem ; jamvero nullus certus gradus intensitatis aut diuturnitatis aut promptitudinis exigitur in motu gratiae praevenientis : quicumque enim sit hic gradus, penes voluntatem est consentire aut dissentire; deinde causae externae saepe ita disponuntur ut ex se aptissimae sint ad excitandas bonas cogitationes promptissime, intensissime et diutissime. Ergo, stante sententia Vasquezii, non apparet cur praeter gratiam externam necessaria sit gratia interna ad effectionem motuum gratiae supervenientis.

B. Juxta Patres et Concilia homo est absolute, simpliciter et antecedenter incapax eliciendi ullum actum salutarem ; exigitur praevia illustratio et inspiratio ad quas datur eadem impotentia et quae fiunt a Spiritu Sancto. Atqui ad cogitationem congruam datur tantum secundum Vasquezium impotentia *relativa* (relate ad circumstantias), *secundum quid et consequenter ad circonstantias ;* immo adjuncta externa non raro favent cogitationi congruae, nedum ei sint contraria. Ergo.

C. Patres et Concilia loquuntur eodem modo de illustratione et inspiratione atque de actu salutari : omnem gratiam praevenientem et adjuvantem dicunt a Deo donatam, infusam, inspiratam, subministratam ; quare eadem est specifica perfectio horum actuum. Atqui actus salutares, ex prima parte, sunt entitative supernaturales. Ergo illus-

tratio et inspiratio non consistunt in cogitatione congrua ad mentem Vasquezii.

D. Motus gratiae praevenientis sunt causa physica actuum salutarium; hi sunt entitative supernaturales et supernaturalitatem suam habent a gratia praeveniente, saltem ubi deest habitus per se infusus. Ergo hi motus non consistunt in cogitatione congrua ad mentem Vasquezii.

E. Ex sententia Vasquezii consequeretur vel statum naturae esse impossibilem, vel in hoc statu nullam esse cogitationem congruam. Atqui utrumque est falsum. Ergo. — *Constat major* quia dicenda est cogitatio congrua esse supernaturalis in omni statu. Si enim diceretur naturalis fuisse ante lapsum, sequeretur naturam per P. O. fuisse laesam in naturalibus.

F. Juxta Patres tribus proprietatibus ornatur gratia a Deo data : a) est christianorum propria ; b) pertinet ad fidem ; c) spectat ad caritatem infusam. Atqui nonnisi aegre attribui possunt cogitationi congruae. Etenim a) gratia naturalis, qualis est cogitatio congrua, non est propria christianorum : christiano populo proprium quidem est ut a Deo pluribus benedictionibus spiritualibus et gratiis supernaturalibus fuerit praeventus prae multitudine gentium infidelium, verum ei proriae non sunt cogitationes congruae ad concursum causarum naturalium per se consequentes. b) Ad fidem quidem revocatur illustratio supernaturalis, et inspiratio supernaturalis ad caritatem, quia ejusdem sunt conditionis, excellentiae et generis ; verum ad fidem et caritatem referri nequeunt omnes cogitationes honestae.

Gratiam *christianorum propriam* esse asserunt a) Patres Milevitani in epistola ad Innocentium (1). b) Augustinus in epistola XCV. — *Illustrationem spectare ad fidem* constat quia omne opus salutare ex fide procedere dicitur. Sic a) Arausicanum cap. ult. (2) ; b) PP. Milevitani ad Innocentium (3) ; c) Tridentinum in sessione VI, c, VI, asserens fidem esse initium justificatianis ; d) Augustinus (4). — *Inspirationem ad*

(1) « Confiteatur (Pelagius) apertissime gratiam christianorum propriam, quae non est natura, sed qua salvatur natura. »

(2) ARAUSC. « Hoc salubriter confitemur et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus... sed ipse nobis, nullis praecedentibus bonis meritis, fidem prius... inspirat, etc. » Denz. n. 171.

(3) « Hanc apostolica doctrina gratiam appellat qua salvamur, et justificamur, et ex fide Christi. »

(4) AUG. « Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, neque ullis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt omnia quaecumque sunt merita » *Epist.* CV.

Id. « Ex fide dicitur justificari homo, non ex operibus, quia ipsa prima datur ex qua impetrentur cetera, quae proprie vocantur opera. » *De praed. SS.* c. VII.

caritatem spectare docent a) Milevitanum (can. 4); b) Augustinus qui eam vocat caritatem, «inspirationem flagrantissimae, et luminosissimae caritatis.» Cf. th. VII.

78. — Scholion. Cogitatio entitative naturalis vocari potest *vocatio* a Deo immissa duplici ratione: a) Quatenus est *removens prohibens,* h. e. prouti removet ab intellectu quidem ignorantiam de mysterio, a voluntate autem affectum pravum affectus salutares prohibentem; b) quia ex lege Dei in homine fideli illustratio supernaturalis annectitur cogitationi naturali. — Verum nequit dici vocatio hoc sensu quod naturalis vocatio immediate influeret in actum salutarem. — Hac distinctione explicantur nonnuli Patrum loci, ubi cogitatio naturaliter exorta ex praedicatione fidei, aut alia gratia externa, dicitur divina vocatio.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

79. — CONTRA Im PARTEM. Obj. 1° In tantum actus salutaris dicendus esset entitative supernaturalis, in quantum actus supernaturalis quoad modum non valeret esse medium ad finem supernaturalem, neque exigere ut fiat principio entitative supernaturali. Atqui utrumque valet esse. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* In tantum actus supernaturalis dicendus est supernaturalis in quantum non valeret esse medium *ex se* ducens ad finem supernaturalem, seu *intrinsecus nexum* cum hoc fine, et in quantum non valeret esse effectus *univocus* principii entitative supernaturalis, *Conc.;* in quantum non valeret *qualicumque modo* ducere ad finem supernaturalem, et esse effectus *analogus* principii supernaturalis, *Neg. Cdt. min.* Actus supernaturalis quoad modum valet esse *intrinsecus nexus* cum fine supernaturali et *ex se* ad eum ducens, valetque esse effectus *univocus* principii entitative supernaturalis, *Neg.;* valet, si Deus voluisset, *ab extrinseco* necti cum fine supernaturali et esse effectus *analogus* principii supernaturalis, *Conc.*

Inst. Atqui a) actus supernaturalis quoad modum valet esse medium ex se ducens ad finem supernaturalem; b) actus salutaris non est effectus univocus causae supernaturalis.

A. Ut actus supernaturalis quoad modum valeat esse medium ex se ducens ad finem supernaturalem, adeoque intrinsecus nexum cum hoc fine, sufficit ut sumatur una cum causa supernaturali qua producitur : complexus enim principii entitative supernaturalis, qualis est habitus infusus aut auxilium Dei defectum habitus supplens, et actus

supernaturalis quoad modum ab hoc principio effecti, hic complexus, inquam, est medium ex se ducens ad finem supernaturalem. Atqui ubi agitur de actu salutari ad finem supernaturalem ducente, non considerandus est hic actus seorsim a suis principiis, sed considerandus est complexus actus et principii supernaturalis. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Actus entitate quidem naturales, supernaturales vero quoad modum in fieri, si considerantur ut condistincti ab auxilio gratiae, non sunt intrinsecus nexi cum fine sc. cum supernaturali gratia sanctificante et gloria caelesti. Absolute loquendo possent connecti *extrinsecus* cum fine supernaturali, seu Deus posset acceptare complexum gratiae et actus, eique gratuito retribuere praemium entitative supernaturale. Attamen ordinate hoc non potest fieri a Deo, quia natura humana postulat ut ad finem supernaturalem perveniat efficiendo actus huic fini ex se proportionatos. Deinde ex revelatione colligitur exigi a Deo connexionem *intrinsecam*, seu actus, ut condistinctos ab auxilio gratiae, debere esse proportionatos fini supernaturali adeoque entitative supernaturales. Juxta Patres enim vires naturae sunt physice impotentes eliciendi actus naturales ob defectum proportionis entitativae seu nexus intrinseci inter actum naturalem et finem supernaturalem; additur vero auxilium gratiae ut homo jam simpliciter possit elicere actus entitative proportionatos et intrinsecus connexos fini supernaturali.

Inst. Atqui actus salutaris non est medium ducens ad finem supernaturalem, nisi sumatur una cum principio suo supernaturali.

Quo enim modo omissio actus prohibiti ducit ad finem supernaturalem, eodem modo positio actus ducit ad eumdem finem. Atqui omissio actus prohibiti non ducit ad finem supernaturalem, nisi sumatur una cum principio supernaturali quod contulit vires ad omittendum actum prohibitum. Ratio est quia omissio actus, seorsim a suis principiis considerata, est entitative naturalis, proindeque non potest esse medium ducens ad finem supernaturalem nisi consideretur una cum principio supernaturali. Omissionem actus prohibiti esse naturalem constat quia naturalis est actus qui omittitur; jamvero qualis est actus omissus, talis est hujus omissio.

Resp. a) Cum Ripalda : omissio actus prohibiti continet motionem ex objecto formali honesto adeoque illustrationem et inspirationem et consensum. Omissio autem actus prohibiti non est supernaturalis *si formaliter sumitur qua omissio,* verum est supernaturalis *ratione hujus motionis positivae quam includit.* Inde *Dist. maj.* Quo modo omissio

formaliter sumpta ducit ad finem supernaturalem, eodem modo ad hunc finem ducit positio actus, *Neg.;* quo modo ad hunc finem ducit omissio *ratione motionis positivae* quam includit, eodem modo positio actus ducit ad eumdem finem, *Conc. Cdt. min.* — b) Si daretur ex auxilio gratiae supernaturalis pura omissio actus prohibiti, quin ullus actus positivus supernaturalis cum omissione connecteretur, nullus daretur actus salutaris. Verum solet omitti actus prohibitus *per nolitionem* positivam ex auxilio gratiae, quae nolitio est salutaris. Inde *distinguitur major :* quo modo omissio actus prohibiti, *ratione positivae nolitionis* elicitae cum Dei gratia, ducit ex se ad finem supernaturalem, eodem modo positio actus ducit ad eumdem finem, *Conc.;* quo modo pura *omissio* ducit, eodem positiva positio, *Neg. Cdt. min.*

B. **Obj.** 2°. *Actus salutaris non est effectus univocus causae entitative supernaturalis.* Sola ratio id affirmandi petitur ex eo quod revelatione constat exigi concursum virium divinarum ad hoc ut eliciatur ab homine actus ad salutem conducens. Atqui ex eo nullatenus sequitur actum salutarem esse supernaturalem quoad substantiam. Ergo. — *Prob.* a) Angelus exigit fieri viribus divinis. Atqui angelus non est entitative supernaturalis. Ergo.

Resp. *Negatur suppositum :* supernaturale non vocatur id omne quod a solo Deo fieri potest; verum donum a Deo naturae creatae collatum illiusque exigentaim superans. Inde angelus non est supernaturalis, cum sit *natura* creata. Contra, actus salutares fiunt a natura creata, attamen non sufficiunt vires naturae, ideoque fiunt viribus divinis, licet indebitis exigentiae totius naturae.

Obj. 3°. b) Longa observàtio legis naturalis, victoria de tentatione, actus heroicus etc. nequeunt fieri sine auxilio gratiae. Atqui hi actus non sunt ideo effectus univocus causae supernaturalis, siquidem exigitur etiam gratia ad servandam diu Dei legem quoad substantiam.

Resp. Ad servandam diu Dei legem quoad substantiam non exigitur, ne moraliter quidem, auxilium gratiae *entitative supernaturalis;* sed sufficit absolute loquendo *auxilium speciale entitative naturale.* Hoc auxilio juvatur voluntas ut jam facile facere possit id quod ex se physice potest facere. Quare actus, cum hoc auxilio eliciti, non sunt salutares, neque intrinsecus nexi cum fine entitative supernaturali ; ut fiant salutares, exigitur gratia quae non tantum sit medicinalis, sed adhuc elevans. Quamobrem hi actus semper sunt effectus univoci causae suae. Patet itaque quomodo distinguatur major.

Obj. 4°. Actus salutares sunt ii qui fiunt *sicut oportet* (ad salutem),

secundum locutionem solemnem Tridentino, Arausicano et Augustino. Atqui haec adjectio « sicut oportet » toties observata a Conciliis et a Patribus, notat actus esse supernaturales quoad modum, gratiam nempe esse necessariam non quidem ad substantiam actus, sed ut actus habeant modum qui oportet. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Haec adjectio *sicut oportet* notat actus salutares esse supernaturales quoad modum *in fieri, Neg.;* quoad modum *intrinsecum in facto esse, Subd.* quoad modum *entitate naturalem,* puta durationem, intensitatem etc., *Neg.;* quoad modum *supernaturalem,* quo actus *elevantur* et *intrinsecus connectuntur cum fine supernaturali, Conc.*

Cum Concilia et SS. Patres dicunt salutares esse eos tantum actus qui fiunt sicut oportet, astruunt quemlibet actum honestum non esse salutarem, sed eum tantummodo qui insignitur speciali perfectione ratione cujus hic actus sit medium ex se ducens ad salutem, intrinsecus connectatur et entitative sit proportionatus fini supernaturali. Hoc constat quia tenent hominem esse physice impotentem salutariter agendi; admittunt itaque addi principium altioris ordinis quo actus sublimetur ad eumdem ordinem. — Cum omnis actus, etiam salutaris, sit modus animae, dicendum est supernaturalitatem consistere etiam in quodam modo, qui scite exprimitur a Patribus per voculam « sicut oportet. »

Inst. Atqui modus qui indicatur formula « sicut oportet » est accidentalis actui, neque eum elevat ad aliam speciem. Etenim Patres ubi loquuntur de visione Dei, non dicunt visionem « sicut oportet » non posse fieri solis viribus naturae, sed dicunt simpliciter eam fieri non posse. Atqui illud discrimen in modo loquendi de utraque specie indicat Patrum judicio visionem Dei esse supernaturalem quoad substantiam, actus vero salutares non esse supernaturales nisi quoad modum.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ratio ob quam actus salutaris dicantur esse sicut oportet, limitatione omissa ubi sermo fit de visione divina, reponitur in eo quod datur duplex Dei cognitio abstractiva et mediata, et duplex amor duplici cognitioni huic correspondens; una scilicet ex solis viribus naturae: haec autem non est sicut oportet; altera praestantior ex viribus gratiae: est sicut oportet ad salutem assequendam. Contra non datur duplex Dei visio, sed quaecumque cognitio Dei immediata est supernaturalis; quare deest ratio adjiciendi « sicut oportet. »

Obj. 5°. Eo quod actus salutares essent supernaturales quoad substantiam, sequeretur eos esse specie diversos ab actibus naturalibus. Atqui non sunt specie diversi. Ergo. — *Prob. min.* Actus qui habent

idem objectum formale et idem objectum materiale, non sunt specie diversi. Atqui actus naturales et actus supernaturales habent idem objectum tum formale tum materiale. Ergo. — *Prob. min.* Secus dicendum foret vires naturae numquam posse sine gratia pro veris habere revelata ob auctoritatem Dei revelantis. Atqui hoc profecto est falsum. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem *distinguitur major :* Actus qui habent idem objectum materiale, idem objectum formale-quod et praeterea idem objectum *formale-sub-quo* non sunt specie diversi, *Conc.;* actus quibus idem quidem est objectum materiale et objectum formale-quod, verum quibus diversum est *objectum formale-sub-quo,* sunt specifice iidem, *Neg. Cdt. min.* Ad probationem minoris *distinguitur major :* Secus dicendum foret vires naturae numquam posse assentiri revelatis ob Dei auctoritatem *eodem modo* atque actus supernaturalis iis assentitur, vel sub *eodem objecto formali-sub-quo, Conc.;* alio modo, seu sub *diverso objecto formali-sub-quo, Neg. Cdt. min.* Eo quod actus salutares sunt entitative supernaturales, consequitur quidem eos esse specifice diversos ab actibus naturalibus. At brevi ostendetur ad hoc non exigi ut aliud sit objectum formale, sed sufficere ut diversum sit objectum formale-sub-quo, seu ut idem objectum formale-quod attingatur et intraneum fiat facultati modo intrinsecus perfectiori.

80. — CONTRA II^m PARTEM THESIS. Obj. 6°. In tantum motus gratiae praevenientis dicendi forent supernaturales quoad substantiam, in quantum in sententia Vasquezii non explicarentur sufficienter locutiones Patrum et Conciliorum de his motibus. Atqui optime explicantur et verificantur in hac sententia. Ergo. — *Prob. min.* Pleraeque locutiones Conciliorum et Patrum reducuntur ad has duas : a) natura est ex se impotens ad agendum salutariter, nisi praecesserit cogitatio salutaris et pia motio voluntatis ; ad has etiam natura est ex se impotens. b) Motu gratiae praevenientis continetur gratia interna distincta a gratia externa. Atqui utraque locutio bene explicatur in sententia Vasquezii. Ergo.

Prob. 1ª pars min. Homo est incapax operandi salutariter nisi praecesserit cogitatio congrua ; ad cogitationem congruam est pariter incapax. Ergo verificatur praedicta locutio in sententia Vasquezii.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem *distinguitur major :* Juxta Patres homo ex se est *absolute, antecedenter, simpliciter et proprie* impotens eliciendi actum salutarem, et motus intellectus et voluntatis actui salutari praerequisitos, *Conc.;* est tantum impotens *relative, consequenter,*

secundum quid et *improprie, Neg. Cdt. 1ª pars min.* In sententia Vasquezii explicatur impotentia *absoluta, antecedens, simpliciter* et *propria, Neg.; relativa, consequens, secundum quid* et *impropria, Conc. — Neg. 2ª pars minoris.* Ad probationem 1ᵃᵉ partis minoris respondetur distinguendo eodem modo antecedens. Cfr. Milevit. (1) et Aug. (2).

Inst. Atqui secundum Concilia et Patres impotentia hominis ad habendam cogitationem salutarem piamque voluntatis motionem adeoque ad eliciendum actum salutarem, non est nisi relativa, consequens etc. — *Prob. min. subs.* a) Secundum Patres impotentia hos actus eliciendi est orta ex corruptione naturae. Atqui ex corruptione naturae non oritur nisi impotentia relativa, consequens, secundum quid et impropria : secus enim natura dicenda foret laesa in naturalibus per P. O. Ergo. — b) Eamdem impotentiam vindicant Patres et Concilia ad eliciendos actus salutares et ad observandam Dei legem. Atqui ad observandam Dei legem non adstruunt nisi impotentiam relativam, etc. Ergo.

Resp. *Neg. min. subs.* Ad 1ᵐ probationem *distinguitur major:* Juxta Patres impotentia eliciendi actus salutares et motus praerequisitos oritur ex corruptione naturae sumptae *sensu historico,* h. e. per naturam intelligunt Patres naturam qualis ab initio est condita a Deo, ornatam nempe donis supernaturalibus quae ei erant debita ex Dei ordinatione, quae amissa fuerunt per praevaricationem protoparentis et restituuntur homini jam positive indigno gratuitis donis Dei, *Conc.;* in hujusmodi locutionibus intelligunt naturam *ontologice, Neg. Cdt. min.* Ex corruptione naturae *historice* spectata non oritur nisi impotentia relativa etc., *Neg.;* ex natura *ontologice spectata* oritur tantum impotentia relativa, nisi dicatur natura laesa in pure naturalibus, *Conc.* — Ad 2ᵐ probationem *distinguitur major* : Patres vindicant eamdem impotentiam ad eliciendos actus salutares et ad observandam Dei legem *quoad substantiam, Neg.;* ad observandam Dei legem *quoad modum* seu *salutariter, Conc. — Cdt. min.*

(1) Milevit. can. 5 : « Quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tamquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. »

(2) Aug. « Gratiam Dei, qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum... sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste (Pelagius), qui cum dicit «propterea dari gratiam ut quod a Deo praecipitur, facilius impleatur, » quid de illa sentiat satis ostendit, scilicet quod etiam sine illa, etsi minus facile, fieri tamen, quod divinitus praecipitur, potest. » *De gr. Chr.* l. I. c. xxvi, M. XLIV, 374.

Impotentia servandi legem divinam quoad substantiam et ad habendam sufficientem cogitationem et motionem oritur ex concupiscentia; haec autem impotentia est moralis, relativa, consequens tantummodo. — Impotentia vero ad observandam Dei legen salutariter et ad habendam illustrationem et inspirationem requisitam, est physica, absoluta, antecedens, propria, et oritur ex entitativa improportione inter naturam et hos actus. — Porro datur gratia quae simul est medicinalis et elevans; prouti est medicinalis, succurrit impotentiae morali praestatque moralem potentiam servandi Dei legem quoad substantiam; prouti est elevans, praestat potentiam physicam salutariter agendi.

Non raro quidem Concilia et Patres, ubi loquuntur de impotentia ad observandam Dei legem, adhibent eumdem tenorem loquendi quo utuntur in locis ubi propugnant impotentiam naturae ad salutariter operandum. Verum eos loqui de observatione *salutari,* patet tum quia haec a Deo postulatur precibus fidelium, tum quia ex statu controversiae manifestum est agi de ea observatione legis divinae quae nectitur cum justitia et salute; tum quia in aliis locis denegant hominem lapsum affici potentia physica ad legis Dei observationem, quod verum non est nisi de observatione salutari, uti constabit ex probandis de observatione Dei legis quoad substantiam.

Obj. 7°. *Prob. 2ª pars min.* In sententia Vasquezii *cogitatio congrua est gratia Dei distincta a gratia externa.* Etenim a) ratio doni novi et distincti potest consistere in nova vivacitate et intensione quam Deus superaddit cogitationi naturali a causis secundis immissae, supra exigentiam earum. Ergo datur beneficium internum distinctum a gratia externa. — b) Supposito ministerio externo creaturarum, seu gratia externa, supposita etiam cogitatione congrua, enascitur in voluntate affectio entitative naturalis quae est simplex et indeliberata; jamvero ista affectio sancta est novum Dei donum, distinctum a gratia externa.

Resp. Ad 1ᵐ rationem : Ratio gratiae specialis distinctae a gratia externa nequit reponi in aliquo gradu intensitatis a Deo immediate effecto in cogitatione aut motione voluntatis, tum quia nullus gradus intensitatis exigitur ad actum supernaturalem, tum quia Patres et Concilia docent ministerium externum, etiamsi est aptum ex se ad gignendam cogitationem valde intensam, nihil conferre ad actum salutarem, nisi Deus immediate operetur in anima. Ergo operatio Dei exigitur ad elevandum actum, non vero ad vivaciorem reddendum.

Ad 2ᵐ rationem : Ut pia motio nascatur in voluntate, consequenter ad cogitationem congruam, non exigitur specialis Dei operatio, siqui-

dem connaturaliter sequi solet. Si Deus dicitur intervenire ad reddendam motionem vivaciorem, respondetur, ob rationes modo datas, in hac vivacitate non posse reponi rationem gratiae specialis.

Inde distinguitur utraque probatio minoris : Ratio doni specialis *cujus necessitatem vindicant Patres et Concilia* contra pelagianos et semipelagianos consistit in nova vivacitate quam Deus impertit cogitationi naturali causis secundis immissae et in affectione voluntatis ad hanc cogitationem consequente, *Neg.;* eis potest inesse ratio doni divini, licet de eo non injiciant sermonem Concilia et Patres, *Conc.*

Obj. 8°. c) Externa creaturarum ministeria non sunt nata excitare cogitationem congruam, proindeque practicam, sed tantum speculativam. Atque hoc dato, quod cogitatio sit congrua et practica, debetur operationi divinae, ac proin praeter gratiam externam infundit Deus gratiam internam. Ergo.

Resp. a) *Negatur major.* Experientia enim liquido constat plerosque homines efficaciter induci ad actus virtutem entitative naturales ex sola cogitatione honestatis quam ipsis ministrant creaturae rationales et irrationales. Profecto earum ministerium non modo deservit ad excitandas cogitationes speculativas, sed etiam practicas. Speciatim praedicatio verbi Dei ex se tendit ad suadendas cogitationes practicas. — b) *Negatur suppositum,* nempe requiri cogitationem practicam honestatis internae, neque sufficere speculativam.

Quare cum Patres et Concilia requirunt cogitationem a Deo effectam, ultra eam quam gignit causa externa, utut magna et efficax supponatur, superest ut dicatur necessariam esse cogitationem entitative supernaturalem.

Obj. 9°. Omnis motus gratiae praevenientis non est supernaturalis quoad substantiam. Probatur cum Torres (1), ex libro Augustini *de patientia,* ubi asseritur non modo filios Dei accipere dona, sed et haereticum et schismaticum a Deo accipere donum patientiae quo patiuntur poenas temporales pro veritate tuenda ; quod confirmat ex eo quod Abraham alia dona dedit filio Isaac, alia Ismael filio concubinae. — Unde sic : Haereticus et schismaticus recipiunt gratias. Atqui non recipiunt dona entitative supernaturalia. Ergo omnis gratia non est entitative supernaturalis. Alia sunt dona filiorum alia haereticorum. Ergo.

Resp. Infideles *negative,* quibus numquam fides fuit praedicata, reci-

(1) Tores : Opusc. X, dub. III.

piunt gratias medicinales ad observandam Dei legem ; hae gratiae dici possunt saepe reponi in cogitatione congrua ; infideles consentiendo his gratiis se disponunt negative ad receptionem gratiae supernaturalis. — Infideles *positive,* qui audierunt evangelium et credere noluerunt, haeretici, schismatici, recipiunt gratias supernaturales. Secundum Augustinum differunt a gratiis filiorum duplici capite, sc. non sunt dona heredum, siquidem quandiu haeretici extra Ecclesiae claustra manent, regnum caelorum sibi comparare horum donorum ope nequeunt, deinde opera salutaria perficiunt haeretici non quidem dilectione Dei quemadmodum filii, sed timore poenarum quemadmodum servi.

Obj. 10°. Ex Arausicano, canone 11°, asserente : « Quidquid Deo recte vovemus, ex Dei munere habetur. » — Unde sic : Quod dicitur ex Dei munere haberi, id juxta Arausicanum est salutare et oritur ex gratia praeveniente. Atqui ex Deo habemus votum intrinsece naturale. Etenim omne votum est ex munere Dei ; sed ex fine honesto possumus actu entitative naturali edere vota Deo. Ergo.

Resp. Arausicanum in omnibus canonibus loquitur de gratia entitative supernaturali, uti ex argumentis constat ; quare non excipiendus est canon 11. Votum igitur, quod Dei gratiae attribuitur, aut est virtutis religionis infusae aut est virtutis quidem acquisitae religionis, verum elicitum cum auxilio entitative supernaturali. Quare *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist. maj.* Omne votum, quod est *sicut oportet, conducitque ad salutem,* habemus ex Deo, *Conc.;* omne votum *simpliciter* et *absolute* loquendo, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 11° Cum Torres : Auxilia gratiae, contra Pelagium asserta, sunt fide certa ; auxilia et opera intrinsece supernaturalia sunt tantum probabilia, utpote sola theologorum opinione cognita. Ergo auxilia gratiae, contra Pelagium asserta, non sunt intrinsece supernaturalia ; secus res omnino certa definitur re incerta.

Resp. Concilia et Patres definiunt ad actum salutarem requiri cogitationem et inspirationem quae omnino superant vires naturae. Naturam auxilii non definiverunt Patres, sed in eam inquirunt theologi, utrum nempe definitis fiat satis per auxilium naturale, an opus sit supernaturali. Eadem ratione definiunt Patres et Concilia praedestinationem, unionem Verbi cum humanitate secundum hypostasim, inquirunt theologi quaenam sit essentia praedestinationis et unionis hypostaticae. Itaque *Dist. cons.* Ergo Patres *non asserunt explicite* contra Pelagium auxilia gratiae esse entitative supernaturalia, *Conc.;* ex his quae dicunt Concilia et Patres *non valet erui* entitativa supernaturalitas, *Neg.*

§ 3. De objectivo discrimine inter actum supernaturalem et naturalem.

Ripalda, *De ente*, d. xlv et xlvi.

81. — Actus naturalis ille est qui elicitur viribus naturae sibi permissis; actus vero supernaturalis ille est qui elicitur viribus naturae et viribus gratiae divinae in eo supernaturalitatem operantibus. — Eliciuntur ab homine varii actus salutares supernaturales quibus peccator se disponit ad infusionem gratiae sanctificantis et quibus justus meretur augmentum gratiae et gloriae; praeterea eliciuntur praevie ad hos actus salutares cogitationes bonae seu illustrationes et piae voluntatis motiones seu inspirationes. Hi vero actus salutares et motus gratiae praevenientis sunt supernaturales quoad substantiam, adeoque specifice diversi ab actibus naturalibus, uti modo probatum est.

Si actus supernaturales comparantur inter se, patet eos distingui penes objectum formale singulis proprium : Sic actus supernaturales fidei, spei, caritatis versantur circa eumdem Deum ratione diversi objecti formalis. — Pariter actus naturales, si inter se comparantur, distinguuntur suo objecto formali proprio.

Porro quaeritur *quomodo specifice inter se differant actus naturales universim considerati et actus supernaturales universim considerati.* Quae quaestio sic proponi potest : *An dantur actus naturales virtutum theologicarum,* haud secus atque actus supernaturales; posito eos dari, quomodo differunt inter se. Eadem quaestio agitari potest circa virtutes morales. — Solutio sequentibus constat.

A. Actus ordinis naturalis et actus ordinis supernaturalis differunt inter se *causaliter* et *objective.*

1. Differunt *causaliter,* h. e. alia est causa, sive adaequata sive partialis, actus naturalis, alia actus supernaturalis. Hoc enim manifestum est quia actus supernaturalis est essentialiter perfectior actu naturali; habet autem omnem suam perfectionem a suis causis; exigit ergo ut causa, sive adaequate sive partialis, sit essentialiter perfectior.

2. Differunt *objective.* Tota enim essentia actus consistit in eo quod facultas facit objectum sibi intraneum. Itaque si actus supernaturalis est essentialiter perfectior, objectum, uti est in facultate, debet esse essentialiter perfectius.

B. Si ulterius inquiritur in quonam consistat objectivum istud discrimen, doctores abeunt in sententias tres.

82. — I^a **sententia** constat parte negativa et parte positiva :

1. Actus naturales et actus supernaturales universim considerati non differunt universaliter : a) *objecto materiali,* h. e. actus naturalis et actus supernaturalis possunt terminari ad eamdem rem, puta Deum, angelos, homines. — b) Neque differunt *objecto formali-quod.* Asserit quidem haec sententia, quam longe probabiliorum ducimus, dari actus supernaturales qui ab actibus naturalibus differunt objecto formali : sic visio Dei pro objecto habet essentiam divinam secundum se, actus vero naturalis intellectus essentiam rei materialis ; — verum negat actus supernaturales *universim* inspectos differre ab actibus naturalibus ratione objecti formalis-quod, adeoque tenet idem per se esse posse objectum formale actus naturalis et actus supernaturalis.

2. Quare concludit ista sententia hos actus differre penes rationem *formalem-sub-qua* tum intrinsecam objecto formali-quod tum extrinsecam eidem objecto.

a) *Differunt ratione formali-sub-qua intrinseca.* — Hoc nomine intelligitur attingibilitas objecti formalis-quod, puta cognoscibilitas si agitur de objectio formali intellectus, amabilitas si agitur de objecto formali voluntatis. Porro idem objectum formale-quod potest habere diversa objecta formalia-sub-quibus, seu diversas attingibilitates. Sic, si agitur de intellectu, idem objectum formale est cognoscibile diversis modis seu potest esse menti intraneum diversis modis : Quemadmodum in caelo essentia divina secundum se est objectum formale intellectus divini, intellectus angelici et intellectus hominis beati, diverso tamen modo est attingibilis et attingitur a triplici intellectu ; quemadmodum etiam idem objectum formale, naturaliter attingibile ab intellectu humano, attingitur a diversis intellectibus modis accidentaliter diversis, puta diversa claritate aut diversa intensitate ; — ita etiam actus naturalis et actus supernaturalis ejusdem intellectus attingere possunt idem objectum formale secundum modos essentialiter diversos, adeo ut idem objectum fiat intraneum facultati modis essentialiter diversis, quorum unus quidem commensuratur capacitati naturali facultatis, alter vero hanc capacitatem superat estque supernaturalis, proindeque attingitur a facultate cum auxilio gratiae.

b) *Differunt ratione formali-sub-qua extrinseca.* Isto objecto intelligitur ratio extrinseca objecto, se tenens ex parte potentiae tamquam conditio ut potentia in objectum tendat, quin realiter attingatur per actum. Tales sunt conformitas objecti cum regula rationis respectu judicii, relatio objecti ad finem supernaturalem respectu actus supernaturalis;

talis etiam est cognoscibilitas et cognitio respectu actus voluntatis, appetibilitas enim et volitio objecti praesupponunt cognoscibilitatem objecti et cognitionem. Hae non attinguntur ipsis actibus qui heic considerantur; tamen sunt conditio requisita ad hoc ut potentia eliciat suum actum. — Porro omnis actus supernaturalis differt ab actu naturali quia prae hoc actu est ex se referibilis ad finem supernaturalem. Insuper inspiratio differt a motione naturali voluntatis, quia illa quidem praesupponit illustrationem supernaturalem, haec vero intellectionem naturalem. Denique actus salutaris differt ab actu honesto naturali, quia illa quidem praesupponit inspirationem supernaturalem, hic vero motionem naturalem voluntatis. — Patet haec varia esse quidem extrinseca objectis formalibus quae attinguntur actibus qui considerantur, esse autem conditiones requisitas ad hoc ut potentia actum suum efficere valeat. — Haec est sententia quae in sequenti thesi propugnabitur.

IIa sententia asserit hos actus differe ratione *objecti formalis-quod*, seu facultatem versari circa idem objectum materiale ratione diversi objecti formalis-quod, prouti adjuvatur gratia vel viribus naturalibus derelinquitur. Ex hac sententia fluit impossibile esse ut natura sine gratia eliciat non modo actus *salutares* fidei, spei, caritatis, sed etiam hos actus *quod substantiam*. Ita Arrubal (1), Ruiz (2), Cajetanus (3), Medina (4), Bañez (5), Salmanticenses.

IIIa sententia affirmat actum naturalem posse habere objectum formale supernaturale, actum supernaturalem objectum formale naturale. Ita Scotus (6), Gabriel, Paludanus, Molina (7), Aegidius (8) etc. Haec sententia reduci potest ad primam quam jam defendendam suscipimus.

THESIS XIa. — Actus intrinsecus et entitative supernaturales universaliter discrepant ab actibus per solas vires naturae elicitis, non tantum principio effectivo, sed adhuc objecto; non quidem objecto materiali, neque objecto formali-quod; verum ratione-sub-qua attingitur objectum-formale-quod, eaque tum intrinseca huic objecto, tum ei extrinseca.

83. — PRIMA PARS. Non ratione objecti materialis.

Prob. 1. Homo stipatus auxilio gratiae amat Deum et proximum,

(1) In Im part. d. xiv, c. xvi. — (2) *De praed.* d. xlvi, s. 2, n. 3. — (3) In Im IIae, q. lxiii, a. 3. — (4) In Im IIae q. lxii, art. 2. — (5) In IIm IIae, q. i, art. 2; q. vi, art. 1; q. xxiv, art. 2. — (6) *Quodl.* XI § *Alia differentia* et in 3 d. 31, q. unica, § *Sed adhuc.* — (7) *Conc.* q. xiv, art. 13, d. vii, xiii, xiv, xxxii. — (8) *De supernaturalitate*, d. v, dub. 3; *de fide*, d. xiv, n. 7.

amore tum benevolentiae tum concupiscentiae. Per solas suas vires potest amare Deum super omnia amore affective efficaci, quaedam opera moraliter bona peragere, diligere proximum etc. (Cfr. tractanda inferius). Atqui omnes hi actus versantur circa idem objectum materiale. Ergo.

2. Quae veritates de Deo demonstrantur philosophice, eaedem revelatione innotescunt. Ea quae naturaliter sunt nota, possunt profecto pro veris admitti, citra auxilium gratiae. Ergo scientia et habitus fidei versantur circa idem objectum materiale.

84. — SECUNDA PARS. ACTUI NATURALI ET SUPERNATURALI IDEM ESSE POTEST OBJECTUM FORMALE-QUOD :

Probatur I°. Ratione theologica. A. DE ACTIBUS INTELLECTUS. Fides salutaris, ad quam homo excitatur motibus gratiae praevenientis et quae elicitur cum gratia adjuvante, habet pro objecto formali-quod auctoritatem Dei revelantis, uti constat ex disputatis in tractatu *de fide*. Atqui homo potest ob idem motivum adhaerere non paucis propositionibus veluti revelatis, sine auxilio gratiae. Ergo actui naturali et actui supernaturali potest esse idem objectum formale-quod. — *Prop. min.* 1. Haereticus immo fidelis rudis possunt imprudenter existimare a Deo fuisse revelatum id quod reapse revelatum non est; ob auctoritatem Dei, quem locutum esse existimant, assensum praestant propositioni. Itaque eliciunt actum ob auctoritatem Dei revelantis. Atqui ille actus non est supernaturalis. Ut enim ex explicatis in disputatione de fide liquet, illi actui non concurrit habitus fidei, neque auxilium Dei gratiae. — 2. Per actus saepe repetitos credendi mysterium Incarnationis ob Dei auctoritatem, acquiri potest habitus naturalis eliciendi hujusmodi actus. Si quis postea, ob alium articulum fidei denegatum privatur habitu supernaturali, nihil sane impedit quin ob idem motivum assentiatur Incarnationi, neque videtur quare talis assensus praestari non possit sine auxilio speciali Dei, defectum habitus supplente.

B. DE ACTIBUS VOLUNTATIS. **I^m Arg.** Voluntas potest tum actu naturali tum actu supernaturali amare Deum supra omnia ratione bonitatis suae sive absolutae sive respectivae, uti haec bonitas est cognita consideratione rerum creatarum citra revelationem. Atqui hac bonitate continetur objectum formale voluntatis. Ergo. — Deum posse amari *naturaliter* ob hoc motivum constat ex iis quae probabuntur decursu tractatus. — Deum posse diligi *supernaturaliter* ex hoc motivo suadetur quia nulla apparet ratio ob quam denegaretur Deum posse tribuere auxilium gratiae actualis ad elevandum hujusmodi

actum. Idem confirmatur exemplo sanctorum quorum corda inflammabantur amore Dei, aspectis operibus mirabilibus Dei.

II^m Arg. Voluntas potest tum actu naturali tum actu supernaturali amare Deum ex motivo bonitatis sive absolutae sive respectivae, prouti bonitas ista innotescit revelatione. Atqui iterum haec bonitas est objectum formale actus. Ergo. — Deum posse amari *supernaturaliter* ob hoc motivum, constat quia bonitas absoluta est objectum formale caritatis, respectiva vero spei; utraque autem ista virtus innititur fidei adeoque revelationi hanc bonitatem proponenti. — Deum posse diligi ex his motivis actibus *naturalibus* sine gratia elicitis, suadetur quia nulla ratio ostendit vires voluntatis non esse sufficientes ad amandum Deum ob praefatum motivum, postquam perspicue ipsi fuerit propositum ab intellectu.

Probatur II°. Auctoritate. A. Auctoritate ANGELICI : 1. Juxta s. Thomam non possumus distinguere actum supernaturalem a caritate elicitum et actum naturalem a voluntate elicitum sine auxilio gratiae; et ratio assignatur quia *utrique actui ex parte objecti nulla differentia est.* Atqui si objectum formale esset diversum, a) discernibilis foret actus naturalis ab actu supernaturali; b) ratio impotentiae discernendi inter hos non posset ex identitate objecti repeti. Ergo. — Doctrinam istam proponit Angelicus a) in 1 d. 17, q. 1, art. 4 (1); b) *De ver.* q. x, art. 10, ad 1^m; c) *Quodl.* I, q. III, a. 3.

2. Aquinas in II^a II^ae, q. CLXXI, art. 2, ad 3^m docet actum caritatis quantum ad substantiam non esse supernaturalem, sed quantum ad modum : « Est aliquid supra naturam humanam quantum ad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius : sicut diligere Deum et cognoscere eum in speculo creaturarum. » Jamvero his verbis non negat s. Thomas actus salutares esse entitative supernaturales. Ergo dicendus est affirmare actum esse supernaturalem non ratione objecti formalis, sed ex modo in illud tendendi; sive nomine substantiae actus intelligit Aquinas objectum formale uti est in facultate, secundum rationem loquendi philosophis familiarem; nomine modi diversi intelligit diversum objectum formale-sub-quo intrinsecum seu diversum modum quo objectum formale (substantia) est in facultate : secus enim dicendus esset Acquinas censere actum caritatis non esse supernaturalem entitative, sed nonnisi quoad modum.

(1) S. TH. « Si igitur accipiamus actum caritatis, qui est diligere Deum et proximum, ex specie actus non discernitur, utrum sit a potentia imperfecta vel perfecta per habitum gratuitum, quia ad idem objectum ordinatur potentia et habitus. »

3. Aquinas (in 1 d. 17, q. I, art. 4; in 2 d. 5, q. II, art. 1 in corp. et ad 1m; in 4 d. 17, q. II, art. 1, solut. I, ad 6m) docet actum caritatis et contritionem esse posse a facultate citra auxilium gratiae. Jamvero intelligi nequit Aquinas asserere hominem disponi posse ad gratiam viribus naturae, sic enim pelagianismi insimularetur. Intelligi itaque debet asserere cum auxilio gratiae fieri posse actum qui cum actu naturali conveniat in eodem objecto formali.

4. In 3 d. 23, q. III, art. 3, quaestiunc. II, solut. II, affirmat Aquinas sine habitu fidei (adeoque sine gratia actuali supplente defectum habitus) hominem posse adhibere fidem in revelatis ([1]). Ergo actus naturales et supernaturales valent habere idem objectum formale.

B. Script. et PP. 1. Deum posse amari naturaliter ob bonitatem absolutam consideratione naturae cognitam constat ex testimoniis relatis in thesi XXVI. — Eum posse supernaturaliter amari constat ex testimoniis Augustini et auctoris libri *de vocatione gentium*. Ambo enim perspicue asserunt Deum vocare hominem per creaturas, creaturas hominem exhortari ut diligat Deum, eumque colat; ex modo loquendi omnino patet agi de actibus supernaturalibus ([2]). Atqui hoc perinde est atque affirmare motivum actus supernaturalis peti ex ordine naturali proindeque non esse diversum a motivo actus naturalis. Ergo.

2. Deus potest amari naturaliter et supernaturaliter ob bonitatem revelatione cognitam. De actu supernaturali hoc constat testimoniis quae exponuntur in tractatu de virtute spei et caritatis; de actu naturali hoc probatur quia juxta Concilia et Patres homo indiget gratia ut credat, speret, diligat, paeniteat etc. *sicut oportet*. Atqui hoc adjectum tam saepe repetitum « sicut oportet, » indicat clare ex eodem motivo elici posse duos actus, alterum quidem naturalem et moraliter bonum, alterum vero supernaturalem. — *Confirmatur* quia Pelagiani asserebant hominem solis naturae viribus utentem posse credere,

---

([1]) S. Th. « Habitus fidei infusus in duobus nos adjuvat, scilicet ut credamus quae credenda sunt, et ut eis, quae non sunt credenda, nullo modo assentiamus. Primum autem potest homo sine habitu infuso, sed secundum, scilicet ut discrete in hoc et in illo inclinetur, habet ex habitu infuso tantum. »

([2]) August. « Ecce dicunt mihi omnes creaturae ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. » *Confess.* l. I, c. viii. — « Multis modis Deus per creaturam, sibi Domino servientem, aversum ad se vocat. » *De lib. arb.* l. III, c. xix. — « Caelum quippe, ac terra, et mare, omnisque creatura, quae videri ac intelligi potest, ad hanc praecipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum et dilectionem se imbueret auctoris, implente omnia spiritu Dei, in quo vivimus, movemur, et sumus. » L. II, *de vocat. gent.* c. iv.

sperare, amare Deum : profecto agebant de motivo ex revelatione noto. Patres vero nullatenus dicunt impossibile esse ut ullus actus eliciatur ex his motivis, sed affirmant actum salutarem, aut actum sicut oportet ad salutem, ex his motivis ordinis supernaturalis non fieri sine gratia.

85. — TERTIA PARS. Discrepant penes objectum formale sub-quo.

A. Distinguuntur ratione-sub-qua intrinseca. — Actus supernaturalis universim considerati non distinguuntur tantum ab actibus naturalibus ratione principii effectivi, sed adhuc ratione objecti, proindeque vel ratione objecti materialis, vel objecti formalis-quod, vel objecti formalis-sub-quo intrinseci. Atqui ex probatis non distinguuntur objecto materiali, neque objecto formali-quod. Ergo manet ut distinguantur diversa ratione sub-qua intrinseca, seu diverso modo quo idem objectum formale-quod attingitur et intraneum fit facultati ; adeoque diversa attingibilitate ejusdem objecti formalis, diversa cognoscibilitate et amabilitate. — *Prob. maj.* Actus salutaris, illustratio et inspiratio non sunt tantum supernaturales quoad modum in fieri, sed adhuc quoad substantiam seu entitate. Atqui intellectio tota quanta est vitalis rei apprehensio aut judicium, statque formaliter in eo quod objectum menti intraneum est. Ergo vel aliud objectum est intraneum menti prout actus est naturalis aut supernaturalis, aut idem objectum est in mente alio modo. — Eodem modo arguitur de actu voluntatis.

B. Distinguuntur objecto formali-sub-quo extrinseco. — Illi actus distinguuntur objecto formali-sub-quo extrinseco, qui essentialiter alligantur alii conditioni. Atqui actus supernaturales et actus naturales essentialiter alligantur aliis conditionibus. Ergo. — *Prob min.* a) Omnis et solus actus supernaturalis per se refertur ad finem supernaturalem et haec relatio est conditio sine qua Deus non praestat auxilium gratiae actualis, uti patet ex definitione gratiae. b) Omnis et sola inspiratio essentialiter praesupponit illustrationem supernaturalem. c) Omnis et solus actus salutaris praesupponit essentialiter illustrationem et inspirationem supernaturalem.

86. — Scholion. Ad modos loquendi supra expositos et defensos reducuntur sequentes vulgo occurrentes : a) Dilectio Dei naturalis respicit Deum ut auctorem naturae, supernaturalis ut auctorem gratiae. Sensus enim est : aliud est utrique actui objectum formale-sub-quo extrinsecum, siquidem actus naturalis refertur ad Deum tamquam auctorem naturae, supernaturalis vero tamquam ad auctorem gratiae. b) Actus naturalis et supernaturalis possunt habere idem objectum,

sed non eamdem rationem formalem : Locutionem ducimus veram, si rationis formalis nomine intelligitur objectum formale-sub-quo intrinsecum, falsam si intelligitur objectum formale-quod.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

87. — EX RATIONE. Obj. 1°. Eo quod actus naturalis et supernaturalis non distinguerentur objecto formali, consequens esset objectum supernaturale etiam in hac vita posse attingi actu naturali. Atque hoc est falsum. Ergo. — *Prob. min.* Objectum supernaturale excedit vim cognoscitivam. Atqui quod sic se habet, non valet attingi actu naturali. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Consequens foret objectum supernaturale posse attingi actu naturali *modo naturali,* seu ratione objecti formalis-sub-quo quod non excedat capacitatem naturalem, *Conc.; modo supernaturali,* seu ratione objecti formalis-sub-quo intrinseci, quod aliter attingi nequit a facultate nisi cum auxilio gratiae, *Neg.* — b) *Dist. maj.* Objectum supernaturale posset attingi actu naturali, h. e. sine gratia interna et *sine gratia externa revelationis, Neg.; sine gratia interna,* supposita revelatione, *Conc.* aut *Subd.* si agitur *de veritate supernaturali,* posset cognosci ab intellectu sine auxilio gratiae internae, *Conc.;* si agitur de *bono supernaturali* voluntatis, *Subd.* posset sine gratia interna *actu possideri* a voluntate, *Neg.; desiderari inefficaciter, Conc.* — Ad prob. *Dist. maj.* Objectum supernaturale excedit vim naturalem, h. e. *sine gratia externa revelationis* attingi nequit ab intellectu, neque a voluntate, *Conc.; sine gratia interna,* supposita revelatione, *Neg.* aut *Subd.* uti supra.

OBSERVA. Objectum supernaturale habet ordinem aut ad voluntatem aut ad intellectum. a) Objectum supernaturale *intellectus* est veritas quae non valet cognosci nisi per gratiam externam revelationis. Ubi semel veritas est revelata, potest attingi ab intellectu duobus modis : α) *cum auxilio gratiae internae,* tunc autem actus est objective et subjective supernaturalis ; β) *sine auxilio gratiae internae,* tunc est subjective naturalis. — b) Objectum supernaturale *voluntatis* est bonum quod superat exigentiam naturae ; non potest actu possideri nisi cum auxilio gratiae ; ubi tamen semel est cognitum revelatione, potest desiderari etiam per solas vires naturae, sed desiderium est inefficax.

Inst. Atqui objectum supernaturale nequit attingi ab intellectu aut voluntate sine auxilio gratiae. Etenim objectum et potentia debent

esse proportionata. Atqui nulla proportio inter objectum supernaturale et potentiam naturalem. Ergo potentia naturalis nequit viribus suis attingere objectum supernaturale.

Resp. *Dist. maj.* Objectum, *uti est in se,* et potentia debent esse proportiona seu exigitur *proportio entitativa, Neg.;* objectum *uti est in facultate* et potentia debent esse proportionata, seu exigitur *proportio habitudinis, Conc. — Cdt. min.*

Actus naturalis intellectus est proportionatus objecto supernaturali *uti est in mente modo abstracto.* Patet quia non cognoscitur nisi secundum notas positivas ex rebus naturalibus. Actus naturalis voluntatis desiderans bonum supernaturale est etiam proportionatus huic bono *imperfecte cognito* ab intellectu *et volito* a voluntate; voluntas enim sequitur intellectum.

Inst. Atqui nulla datur proportio inter potentiam naturalem et objectum supernaturale, seu facultas nullo modo valet sine gratia attingere objectum supernaturale, illud sibi intraneum faciendo. Etenim a) sequeretur objectum supernaturale esse debitum naturae, quod involvit contradictionem. Patet sequela quia omni actui debitum est suum objectum; ergo actui naturali tendenti in objectum supernaturale debitum esset illud objectum. Ergo.

Resp. *Neg. maj.* Ratio negandi est quia revelatio, sine qua cognosci nequit objectum supernaturale, non est debita homini. Ad probationem *distinguitur antecedens :* Actui debitum est suum objectum hoc sensu : actus qui cognoscit aut qui amat *debet objectum sibi intraneum habere, Conc.;* si sensus est : potentia *exigit* attingere objectum, *Subd.* exigit attingere posse objectum *cognoscibile naturaliter* seu *sine gratia externa revelationis, Conc.;* objectum ad cujus cognitionem deveniri nequit *sine revelatione, Neg.*

Objectum supernaturale non est debitum naturae. Patet quia non tantum indebita est gratia interna, sed etiam gratia externa; igitur naturae debitum non est ut possit modo subjective naturali attingere objectum supernaturale. Cum actus supponitur adesse, objectum est debitum; sed ideo potentia non exigit facere actum, ubi necessaria est ad hoc gratia externa.

Obj. 2°. b) Effectus supernaturalis secundum nullum modum potest effici viribus naturae sibi permissis, tum quia deest omnis proportio, tum quia hic effectus foret simul naturalis, siquidem fieret solis viribus naturae, et supernaturalis ex supposito. Habitus supernaturalis nullo modo valet effici viribus naturalibus. Ergo objectum supernaturale

nullo modo valet intraneum fieri facultati operanti sine auxilio gratiae.

Resp. *Conc. ant. Neg. cons. et conseq.* Effectus supernaturalis neque habitus supernaturalis possunt fieri solis viribus naturalibus. Ratio est quia effectus non potest superare causam; hic enim effectus et habitus secundum omnem modum sui superant vires naturales. — Contra, objectum entitative supernaturale, ubi semel est revelatum, valet attingi actu naturali, quia duplici modo valet esse in facultate; unus quidem modus, seu unum objectum sub-quo, superat vires naturae, alter vero modus iis proportionatur.

Obj. 3°. Eo quod idem ponitur esse objectum formale actus naturalis et actus supernaturalis, destruitur supernaturalitas actuum salutarium. Illud enim est destructivum supernaturalitatis, e quo sequitur eamdem esse speciem actuum naturalium et actuum supernaturalium. Atqui hoc sequitur ex eo quod actus utriusque ordinis ponuntur habere idem objectum formale : actus enim specificantur objecto suo formali. Ergo.

Eadem objectio sic etiam proponitur : Ubi actus specie diversi, ibi objecta formalia specifice diversa, siquidem actus specificantur objectis. Atqui actus naturales et supernaturales sunt specie diversi. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ubi actus specie diversi *ejusdem ordinis,* sive sit naturalis sive supernaturalis, ibi objecta diversa, *Conc.;* ubi dantur duo actus specie diversi, unus quidem naturalis alter vero supernaturalis, *Subdist.* ibi aliud objectum formale *sub-quo, Conc.;* ibi necessario et universaliter aliud objectum *formale-quod, Neg.* Ad rationem additam respondetur eodem modo. — *Conc. min.-Dist. cons.*

Inst. Atqui actus diversorum ordinum non specificantur objecto formali-sub-quo, sed objecto formali-quod. Probatur tripliciter : a) Actus sive naturales sive supernaturales a diversis intellectibus eliciti, habentes idem objectum-quod, sunt ejusdem speciei; attamen objectum formale-sub-quo potest esse valde diversum : uno enim actu attingitur objectum clare, distincte, certitudinaliter; alio autem actu obscure, confuse, sine certitudine. Ergo a pari actus naturales et supernaturales non specificantur ratione diversi modi quo attingitur idem objectum formale.

Resp. *Conc. ant. Neg. cons. et conseq.* Datur enim disparitas. Modi enim, in antecedenti relati, sunt accidentales, neque elevant actum ad ordinem excelsiorem; contra modus, quo attingitur objectum formale-quod sub concursu gratiae, elevat actum facultatis ad excelsiorem ordinem adeoque eum constituit in alia specie.

Obj. 4°. b) Eo quod actus naturalis et supernaturalis habere possent idem objectum formale, sequeretur Deum posse quidditative attingi actu naturali. Atqui hoc est prorsus falsum. Ergo — *Prob. maj.* In visione Dei objectum formale est Dei essentia secundum se; illa essentia a beatis attingitur actu supernaturali. Atqui ponitur idem esse universim objectum formale actus naturalis et actus supernaturalis. Ergo essentia Dei secundum se, quae attingitur actu supernaturali, posset etiam attingi actu naturali.

Resp. *Neg. maj.* Ad prob. *Conc. maj. Dist. min.* Ponitur *nullum* actum supernaturalem differe ab actu naturali penes *objectum-formale-quod, Neg.;* asseritur *plerosque* actus supernaturales a viatoribus elicitos non differre ab actibus naturalibus penes objectum formale-quod, *Conc.* — Actus potest esse supenaturalis dupliciter : a) ratione *objecti formalis-quod* essentialiter superantis vires naturae. Talis est visio essentiae divinae. Id enim constat quia objectum formale naturale intellectus humani est essentia rei materialis: itaque per solam gratiam valet mens evehi ad cognitionem intuitivam essentiae Dei secundum se. b) Ratione *objecti formalis-sub-quo,* seu ratione modi attingendi objectum quod. Tales sunt omnes aut saltem plerique actus supernaturales in via. Ex eo igitur quod actus supernaturales et naturales asseruntur universim differre ratione-sub-qua, non sequitur nullum esse actum qui differat objecto formali.

Obj. 5° c) Ex principiis theseos sequitur actum fidei naturalis esse specifice tam perfectum quam actum fidei supernaturalis. Atqui hoc est falsum. Ergo. — *Prob. min.* A pari dici posset visionem divinam sine gratia seu sine lumine gloriae habitam posse esse tam perfectam quam visionem ex gratia; attamen priorem non beare hominem, quia est sine gratia. Atqui hoc est falsum. Ergo.

Resp. *Negatur major* aut *distinguitur:* Sequeretur actum fidei naturalis esse ejusdem perfectionis specificae atque actum fidei supernaturalis, si per perfectionem specificam intelligitur *unio facultatis cum objecto, cum praecisione modi unionis, Conc.;* si hoc nomine intelligitur *modus unionis,* seu *modus quo objectum est facultati intraneum, Neg.* — Ad probationem minoris respondetur *negando suppositum:* supponitur enim dari posse visionem intuitivam Dei sine gratiae auxilio, intelligendo hoc nomine sive lumen gloriae sive concusum Dei specialem qui supplet defectum luminis gloriae; manifeste autem falsa est suppositio.

Observa. Fides naturalis non est ejusdem perfectionis specificae, siquidem ex thesi sequitur actus non tantum specificari objecto formali-

quod, sed adhuc, si agitur de actibus diversorum ordinum, objecto sub-quo. — Actus enim supernaturales, cum sint ordinis excelsioris, sunt specie diversi ab actibus naturalibus; ex alia parte constat objectum formale non esse per se diversum, haberi tamen discrimen ratione objecti. Concluditur itaque actus naturales et actus supernaturales, quibus commune est idem objectum formale, specificari *ratione sub qua*.

Obj. 6°. Assensus naturalis fidei non potest esse obscurus et certus. Atqui talis foret, si posset habere objectum formale fidei salutaris. Esset *obscurus,* siquidem actus supernaturalis fidei talis est; a fortiori actus naturalis. Esset *certus:* assensus enim innixus motivo infallibili, qualis est auctoritas Dei revelantis, non potest esse incertus.

Resp. Actus fidei, sive naturalis sive supernaturalis, est liber, proindeque elicitur, imperante voluntate; quare firmitas debetur influxui voluntatis, voluntas enim dignitate motivi formalis movetur ad excludendum firmissime formidinem actualem oppositi. Insuper si agitur de actu supernaturali, specialis firmitas debetur influxui habitus fidei. Talis autem firmitas optime secum patitur obscuritatem; immo obscuritas est ratio libertatis, proindeque est ratio ob quam certitudo a voluntate imperatur. Quare *distinguitur major :* Assensus naturalis non potest esse obscurus et certus *ob influxum voluntatis, Neg.;* non potest esse certus citra hunc influxum, certitudine scilicet ad quam *intellectus necessitaretur evidentia intrinseca, Conc.* — *Conc. min.*

Obj. 7°. Actus voluntatis intendens bonum supernaturale sub ratione formali supernaturali est conducens in salutem supernaturalem. Atqui actus conducens in salutem supernaturalem est necessario supernaturalis, siquidem elicitur necessario cum auxilio gratiae. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Actus voluntatis intendens bonum supernaturale *modo efficaci,* seu ratione formali-sub-qua-intrinseca supernaturali, est conducens in salutem, *Conc.;* nullus actus voluntatis valet modo inefficaci, seu ratione formali-sub-qua-intrinseca naturali, tendere in objectum supernaturale quod cognoscitur revelatione, adeoque creditur ob motivum objective supernaturale, *Neg.* — *Conc. min.*

Obj. 8°. Objectum formale-sub-quo, seu modus quo objectum formale est in facultate, non est specificativum actus supernaturalis. Etenim hic modus reponitur vel in claritate vel in firmitate. Atqui neuter modus valet elevare actum adeoque eum reddere specifice diversum ab actu naturali. Hoc manifestum est ex eo quod major est firmitas et claritas in actu naturali doctorum quam in actu supernaturali rudium.

Resp. *Negatur major*. Nescitur in quonam consistat modus supernaturalis attingendi objectum formale. Neque mirum : Si enim intima essentia rerum naturalium nos latet, a fortiori rerum supernaturalium essentia nos latet.

Inst. Atqui cognosceretur indoles hujus modi supernaturalis, si daretur : Foret enim factum internum. Ergo cognosci posset vel directe vel reflexe.

Resp. a) Difficultas, si qua est, communis est omni sententiae. Immo major est in sententia opposita. Si enim actui supernaturali suum est objectum formale proprium, facile erit cuique experiri se supernaturaliter esse operatum ; jamvero in confesso est supernaturalitatem non cadere sub conscientia. — b) *Distinguitur* id quod opponitur in instantia : Conscientia refert intellectiones volitionesque ratione objecti *materialis* et objecti *formalis-quod, Conc. ;* ratione objecti *formalis-sub-quo, Neg.*

Inst. Atqui, stante hac responsione, inanis est quaestio modo instituta : instituitur quaestio scholastica de natura actuum supernaturalium ; conclusio autem est nesciri horum naturam. Ergo.

Resp. Quaesitum est in quonam *non consistat* supernaturalitas actuum et in quonam *positive consistat*. Probatum est actus supernaturales universim inspectos non differre ab actibus naturalibus ratione objecti formalis-quod. In hoc autem offenditur punctum praecipuum controversiae; quamobrem disquisitio instituta non caret utilitate. Consequens ex eo est non aliud dari discrimen universale nisi ratione diversi modi quo objectum formale est intraneum facultati ; iste tamen modus non continetur facilitate aut intensitate, quod ex revelatione ipsa jam manifestum est ; quamobrem fatendum est intimam naturam supernaturalitatis ignorari ; haec autem ignorantia datur de plerisque rebus supernaturalibus.

88. — EX AUCTORITATE. Obj. 9°. Patres et Concilia exigunt gratiam ad actus fidei. Ergo actus fidei supernaturalis distinguitur objecto formali ab actu naturali.

Resp. *Dist. ant.* Exigunt gratiam ad fidem *salutarem* quae sit « sicut oportet, » *Conc. ;* ad omnem fidem, *Neg.*

Inst. Atqui exigunt gratiam ad quamlibet fidem. Secus sensus foret : « Ad fidem cum gratia (seu ad fidem sicut oportet) requiritur gratia. » Atqui hoc videtur esse ineptum. Ergo.

Resp. Patres pro synonimis habent haec duo « sicut *oportet* et *salutare,* » quare sensus istius effati est : « Ut fides sit salutaris, requiritur gratia. »

Obj. 10°. Ex I Thess. II, 13 : « Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, ut verbum Dei, qui operatur in vobis (fidem). » Unde sic : Accipere verbum Dei, ut est verbum Dei, est credere ob auctoritatem Dei ; est etiam donum supernaturale, siquidem Paulus de hoc gratias agit. Ergo non datur actus naturalis quo mens adhaeret ex motivo fidei.

Resp. Paulus in h. l. asserit verbum Dei esse acceptum uti Dei verbum, seu fidem esse praestitam Dei verbo ; praeterea Deum esse operatum in cordibus, seu elicitam fuisse fidem salutarem. Gratias agit de utroque. Utrum impossibile an possibile sit accipere Dei verbum ut Dei verbum, seu revelata habere pro veris ob Dei auctoritatem, ex solis naturae viribus, adeoque nisi interius operetur Deus in cordibus ut actum elevet ad ordinem supernaturalem, id neque affirmat Paulus neque negat, quare ex ejus verbis nihil colligi potest contra thesim.

Obj. 11°. Ex propositione damnata Baii 34ª : « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata » (Denz. n. 914). — Inde arguitur dupliciter : a) Vera est propositio quae contradictorie opponitur huic propositioni damnatae. Ergo datur duplex amor, unus quidem naturalis cujus objectum formale est Deus auctor naturae, alter vero supernaturalis cujus objectum formale est Deus beatificator. Ergo actus naturalis et actus supernaturalis habent diversa objecta formalia. — b) Baius ducebat istam distinctionem esse vanam, quia volebat amorem Dei auctoris naturae esse gratuitum et supernaturalem. Ergo damnatum est dogma asserens actum supernaturalem habere pro objecto formali id quod naturaliter est notum proindeque est per se objectum formale actus naturalis.

Resp. Ad a) : *Conc. ant. Dist. cons.* Ergo datur duplex amor Dei, unus naturalis cujus *objectum formale-quod* est Deus auctor naturae, alter vero supernaturalis cujus *objectum formale-quod* est Deus beatificator, *Neg.* ; unus naturalis cujus *objectum formale-sub-quo-extrinsecum* est Deus auctor naturae, alter cujus *objectum formale-sub-quo-extrinsecum* est Deus beatificator, *Conc.* — In propositione Baii non agitur de *objecto formali-quod* amoris Dei, sed de *objecto formali-sub-quo-extrinseco.* Amor scilicet naturalis tendit in finem naturae ; supernaturalis vero in finem supernaturalem ; porro haec tendentia est conditio requisita ad actum naturalem et ad actum supernaturalem, non vero motivum.

Ad b): Communis theologorum consensus affirmabat possibile esse ut homo solis naturae viribus diligeret Deum, actu qui tendit in Deum uti finem naturae. Baius autem affirmabat hoc esse impossibile ideoque damnabat distinctionem fieri solitam inter amorem Dei qua auctoris naturae et qua auctoris gratiae : ob illud motivum damnata fuit ista propositio. Contra affirmamus Deum auctorem naturae, diligi posse tum viribus naturae sibi relictae, tum his viribus adjutis gratia. — Quare *distinguitur antecedens :* Et ideo volebat Baius hunc amorem esse gratuitum, quia tenebat naturam esse impotentem ad amandum Deum ex hoc motivo, *Conc.;* secus, *Neg.*

Obj. 12°. Ex s. Thoma in Ia IIae, q. LXIII, a. 4. Quaerit utrum virtus acquisita *ex assuetudine operum sit ejusdem speciei* cum virtute *infusa ?* Respondet : « Dupliciter habitus distinguuntur specie. Uno modo *...secundum speciales et formales rationes objectorum...* Temperantiae objectum est bonum delectabilium in concupiscentiis tactus. Cujus quidem objecti formalis ratio est a ratione quae instituit modum in his concupiscentiis... Manifestum est autem quod alterius rationis est modus qui imponitur in hujusmodi concupiscentiis secundum regulam rationis humanae et secundum regulam divinam. Puta in sumptione ciborum, ratione humana modus statuitur *ut non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum ;* secundum autem regulam legis divinae requiritur quod *homo castiget corpus suum* et in servitutum redigat. » — Unde sic : Juxta s. Thomam virtus acquisita temperantiae et virtus infusa eo discriminantur quod acquisita respicit in objectum materiale « ne noceat valetudini ; » virtus autem infusa « ut castigetur corpus. » Atqui his continetur duplex objectum-formale-quod. Ergo.

Resp. 1. S. Thomas asserit virtutem naturalem et supernaturalem distingui ratione *objecti formalis-sub-quo extrinseci,* non vero ratione objecti *formalis-quod.* Docet nempe Aquinas utramque virtutem, acquisitam et infusam, distingui cognitionibus practicis, quae actus virtutum moralium praecedunt ; has cognitiones ex parte objecti recenset, quia iis applicantur et proponuntur objecta. Jamvero eodem modo distinguimus actus virtutis naturalis et infusae ratione objecti sub-quo-extrinseci ; cognitiones enim quae dirigunt acquisitas sunt naturales.

2. S. Thomas fortassis indicat quonam motivo ducantur hi qui virtutem naturalem temperantiae et hi qui virtutem infusam sectentur. Describit communiter contingentia. Non indicari objectum formale virtutis naturalis et virtutis supernaturalis ex eo est perspicuum quia

non videtur cur quis sine auxilio gratiae, actu ergo naturali, non valeat uti bono delectabili ut castigetur corpus suum.

Obj. 13°. Ex eod. I^a II^ae, q. CIX, a. 3 : Inquiritur utrum homo possit Deum diligere super omnia ex solis naturalibus, sine gratia. Primo sibi objicit Acquinas : « Videtur quod homo non possit.... Diligere enim Deum super omnia est proprius et principalis caritatis actus. Sed caritatem homo non potest habere per seipsum.... » Sic respondet : « Ad primum ergo dicendum quod caritas diligit Deum super omnia eminentius quam natura. Natura enim diligit Deum supra omnia, prout est principium et finis naturalis boni ; caritas autem secundum quod est objectum beatitudinis, et secundum quod homo habet quamdam societatem spiritualem cum Deo. » Unde sic : Amor naturalis a caritate differt eo quod unus Deum diligit qua *finem naturalem*, altero qua *finem supernaturalem*. Atqui his continentur duo objecta *formalia-quae*. Ergo.

Resp. *Neg. maj.* aut *Dist. maj.* Amor naturalis diligit Deum qua finem naturalem qui finis est objectum *formale-quod* dilectionis, *Neg.;* objectum *formale-sub-quo-extrinsecum, Conc.* Motivum caritatis non est Deus qua finis supernaturalis ; Deus enim ratione istius objecti formalis attingitur per virtutem *spei*. Quare dicendum est Aquinatem non comparare caritatem et dilectionem naturalem secundum objecta sua formalia-quae, sed secundum objecta *sub-quibus*. Scilicet actus caritatis habet proportionem cum beatudine supernaturali ; itaque fertur in Deum prout est objectum beatitudinis supernaturalis. Dilectio naturalis habet proportionem cum fine naturali ; quare sub hac ratione Deum respicit.

ARTICULUS II.

De vitalitate actuum supernaturalium.

MOLINA : *Concordia*, d. XLV ; SUAR l. III, c. III, IV ; RIP. d. CVII, XXIX, XXX.

§ I. STATUS QUAESTIONIS.

89. — Postquam de entitativa perfectione actuum supernaturalium dictum est, jam agendum est de eorum causis. Porro duplex est causa : altera, quae est naturalis, facultate hominis continetur, scilicet intellectu aut voluntate ; altera, quae est supernaturalis, auxilio gratiae. Itaque art. 2° ostendetur illustrationem et inspirationem vitaliter effici a facultate ; in art 3° inquiretur quodnam sit principium super-

naturalitatem causans in motibus gratiae praevenientis et in actu salutari; in art. seq. inquiremus quomodo associentur vires causae partialis hujusce duplicis.

Liquet actum salutarem vitaliter effici a voluntate tamquam causa partiali : hic enim actus est principium quo homo meretur praemium apud Deum; jamvero manifestum est hominem non posse mereri nisi egerit, neque actum posse imputari homini nisi hic activitatem exsererit in eo efficiendo. Attamen activitas hominis in actu salutari in disceptationem est adducta, haud secus atque in actibus indeliberatis.

De vitalitate motuum gratiae excitantis. Duae sunt sententiae.

I^a^ tenet *intellectum et voluntatem se habere passivos respectu illustrationis et inspirationis,* hosque actus *effici a solo Deo,* qui interdum utitur ministerio angelorum, *recipi vero in facultate.* Ita Capreolus (1), Marsilius (2), Dionysius Cisterciencis (3), Richardus (4), et alii plures prisci theologi, quos sequitur Vega (5).

II^a^ sententia tenet intellectum et voluntatem *active concurrere in motus indeliberatos gratiae,* haud secus ac in deliberatos. Ita inter veteres theologos Adam (6), Major, Almainus, Henricus (7), Cajetanus (8), Ferrariensis (9). — Inter modernos Bellarminus (10), Molina l. c., Valentia (11), Suarez l. c., Vasquez (12), Tannerus (13), Ripalda l. c., aliique bene multi.

Hi auctores in duas abeunt sententias : alii nempe asserunt facultatem hominis non attingere actum nisi *mediate* et *remote,* nempe mediante qualitate a Deo infusa aut habitu, quatenus nempe ea sustentat. Ita Thomistae communiter (14). Alii contra dicunt facultatem efficere actum *immediate;* quod dupliciter explicari potest : dicendo nempe facultatem elevari extrinsecus seu ei agenti assistere Spiritum Sanctum qui concursu speciali actum facit supernaturalem ; aut dicendo facultatem ante actum elevari quidem intrinsecus, infusa qualitate supernaturali, verum hoc principium uniri intrinsecus facultati ut ex his enascatur principium stricte unum quod efficit actum. Hac enim explicatione posita, perspicuum est actum immediate attingi tum a facultate tum a qualitate infusa.

---

(1) In 2 d. 23, unic. art. 3, ad. 7^m^ et ult. arg. cont 1^m^ concl. ; d. 24, art. 3, ad 8^m^ arg. cont. 5^m^ concl. — (2) In II, q. XVI, art. 3, concl. 2, 3, 5. — (3) In 2 d. 27, q. un., art. 2, concl. III. — (4) In 2 d. 26, art 2, q. V. — (5) L VI *in Trid.* c. VIII. — (6) In 1 d. 1, q. VI, art. 1 et q. X, concl. 2 et 7. — (7) *Quodl.* XII, q. XXVI circa finem. — (8) In I^m^ II^ae^, q. IX, art. 4 prope finem, et q. CXI, art. 2. — (9) In l. I *C. G.* c. XXIII ; et in l. III, c. LXXXIX. — (10) L. I *de gr.* c. XV, sent. 6 et l. III, c. XIV. — (11) In I^m^ II^ae^, d. VIII, q. III, punct. 3. — (12) In I^m^ d. LXXXIII, c. IX et XII ; d. CLXXXV, c. IX. — (13) In I^m^ II^ae^, d. IV, q. 1, n. 37. — (14) Cf. RIP. d. XXX, s. 2.

Observa. Omnes doctores conveniunt activitatem naturae in operibus supernaturalibus esse remotam, eo sensu quod natura sibi relicta est remota ab actu seu essentialiter incapax actum efficiendi.

De vitalitate actus salutaris. *Negant haeretici liberi arbitrii cooperationem,* quae sententia est damnata a Tridentino in sess. VI, c. v, can. 4. Quare sententia affirmans voluntatis activitatem in actu salutari gignendo nonnullis videtur esse *de fide.* Alii tamen merito ducunt id non esse definitum a Tridentino, quia scilicet haeretici non sunt damnati ratione antecedentis, h. e. quod negabant activitatem voluntatis, sed ratione consequentis, seu quod *libertatem* negabant; hic censent activitatem voluntatis in actu salutari esse *proximam fidei.*

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XIIa. — Non modo actus salutaris, verum etiam illustratio et inspiratio efficienter procedunt a facultate tamquam a causa partiali et immediata; quare dicendi sunt actus vitales.

90. — PRIMA PARS. Voluntas efficienter influit in actus salutares.

Prob. Im Arg. Ex Tridentino, sess. VI, c. v. : Adulti dicuntur ad justificationem disponi gratiae excitanti et adjuvanti libere assentiendo et cooperando, « ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, *neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens.* » Ibid. can. 4 : « Si quis dixerit liberum *hominis arbitrium* a Deo motum et excitatum nihil *cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti...* sed veluti inanime quoddam *nihil omnino agere,* mereque passive se habere, A. S. » — Itaque si scopus Tridentini non fuit definire activitatem liberi arbitrii, cum fit actus salutaris, luce clarius tamen eam ut indubitatam affirmat.

IIm Arg. Ex locutionibus Scripturae et Patrum.

A. Homo dicitur *agere, laborare, operari, petere* in negotio salutis. Ergo active producit actum salutarem.

Prob. ant. a) Phil. II; 12 : « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. » — b) Joh. XIV, 13 : « Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. » — c) Augustinus in h. l. « In hoc opere *faciamus* opera Christi, quia et ipsum credere in Christum opus est Christi. Hoc operatur in nobis, utique *non sine nobis* (1). »

(1) August. Tract. LXXII in *Joh.* n. 2. M. XXXV. 1823.

B. Homo dicitur *cooperator et adjutor* Dei, Deus hominis ; iterum hoc est falsum, nisi homo sit activus in actu salutari. Ergo.

Prob. ant. a) Rom. VIII, 26 : « Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam, quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus pro nobis postulat. » — b) I Cor. XV, 10 : « Gratia Dei sum id quod sum ; gratia ejus in me vacua non fuit ; abundantius illis omnibus laboravi ; non ego autem, sed gratia Dei mecum (ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί). » Loquitur quidem Paulus in hoc loco de gratia « quae data est ei a Deo ut esset minister Jesu in gentibus, » uti ex praecedentibus et subsequentibus constat; dono gratiae attribuit quod ad munus apostolicum fuerit vocatus; asserit hanc gratiam non fuisse vacuam seu carentem fructibus; se plures sustinuisse labores quam ceteros apostolos ; ne videatur transgressus limites modestiae, dicendo se laborasse abundantius, se quasi corrigit praecipuas partes laboris attribuendo gratiae : « non ego autem, sed gratia Dei quae mecum est. » — S. Augustinus intellexit verba Pauli de gratia gratum faciente qua Paulus ad fidem et ad justitiam est vocatus. Licet heic non dicat s. Paulus se per Dei gratiam, sine merito sui, ad fidem fuisse vocatum, id tamen ex ejus verbis colligi potest, siquidem saepe s. Paulus eadem ratione dono gratiae attribuit fidem et caritatem, atque successum in apostolatu. – c) Augustinus in h. l. « Non ego autem, sed gratia Dei mecum, i. e. non solus, sed gratia Dei mecum ; ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo » (1). Eodem modo loquitur idem sermone CLVI *de verbis Apostoli,* in haec verba : « Quotquot Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei » (2) ; tum alibi passim (3). — d) Bernardus in I Cor. XV, 10 : « Potuit, ait, dicere *per me,* sed quia minus erat, maluit dicere *mecum,* praesumens se non solum operis esse ministrum per effectum, sed operantis quodammodo *socium* per consensum » (4). —

(1) AUG. *De gr. et lib arb.* c. V, n. 12. M XLIV, 889.

(2) AUGUST. « Dicit mihi aliquis : ergo agimur, non agimus. Immo et agis, et ageris; et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris praescribit tibi quia *et tu ipse aliquid agis*. Agnosce quid poscas, agnosce quid confitearis quando dicis : « Adjutor meus esto, ne derelinquas me » (Ps. XXVI, 9). Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur si ab illo nihil agatur... Si non esses operator, ille non esset cooperator. » (Rom. VIII, 28). c. XI, n. 11. M. XXXVIII, 855.

(3) Id. *De pecc. mer. et remiss.* l. II, c. V, n. 6. M. XLIV, 154. — In libro *De gratia Christi :* « Si consenserit (Pelagius) etiam ipsam voluntatem et actionem *divinitus adjuvari* et sic adjuvari ut sine illo adjutorio nihil bene velimus et agamus, eamque esse gratiam Dei per J. C. D. N., nihil de adjutorio gratiae Dei, quantum arbitror, inter nos controversiae relinquetur. » c. XLVII, n. 52. M. XLIV, 383.

(4) BERN. « Utitur ergo Deus in salutem suorum... angelis et hominibus bonae voluntatis, tamquam commilitonibus et coadjutoribus suis, quos, peracta victoria, amplissime remunerabit. Denique et Paulus, de se, suisque similibus, audaciter praenunciat :

e) Gregorius M. de eodem loco : « Ut se, ait, cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret » (1). Neque aliter loquuntur Chrysostomus (2), Theodoretus (3), Cyrillus Alex. (4), Isidorus Pelusiota (5), Damascenus (6), Hieronymus (7), Anselmus (8), Concilium Senonense (9).

Dices cum Calvino : Sensus verborum Pauli « gratia Dei *mecum* » est : « Gratia Dei, haec gratia, quae fuit in me, omnia fecit. » Hunc sensum vindicat textus graecus ob articulum (ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοί), h. e. non ego sum qui laboravi, sed gratia haec nempe gratia quae fuit in me. Diserte negat Paulus se esse operatum : *non ego;* profecto sibi non contradicit ultimis verbis, eo vel magis quod sensus obvius adscribit omnem efficientiam gratiae (10).

Resp. 1. Multi codices graeci omittunt articulum (11) ; itaque stante

« *Coadjutores* enim Dei sumus » (I Cor. III, 9). Ibi itaque Deus homini benigne merita constituit, ubi per ipsum et cum ipso boni quidpiam operari instituit. Hinc adjutores Dei, *cooperatores* Spiritus Sancti, promeritores Dei nos esse praesumimus, quod per consensum, utique *voluntarium,* divinae voluntati *conjungimur.* » *De gr. et lib. arb.* c. XIII, n. 44. M. CLXXXII, 1025. Cfr. ib. n. 45.

(1) GREG. M. *Moral.* l. XVI, c. XXV. M. LXXV, 1135.

(2) CHRYS. Non *suum* esse *totum* voluit Deus, ne videretur nos temere coronare ; neque rursus nostrum, ne incidamus in arrogantiam. » *In Hebr.* c. VII, *hom.* XVII, n. 3. M. LXIII, 100 et *hom.* XXXIX *in Matth.* n. 4. M. LIX, 438.

(3) THEODORETUS declarans illa verba : « Dabo eis cor novum et spiritum novum, » ait : « His non liberi arbitrii eversionem declaravit, sed futurum ab ipso auxilium, *societatemque* (συμμαχίαν) ad efficienda bona opera. » *In Ezech.* XI, 19. M. LXXXI, 900.

(4) CYR. ALEX. « Cum humana natura non satis valida est, neque per se sufficit ut malum effugere queat, *junctis quodammodo copiis,* nobiscum contendit Deus. » *De lapsu hominis.*

(5) ISID. PELUS. « Divina gratia mixta (κιρνωμένη) *industria* animique promptitudine salvum facit hominem... non enim *sola vocatio,* sed etiam propositum voluntatis in vocatis salutem operatur. » (L. IV, *epist.* LI. M P. G. t. LXXVIII, 1101.

(6) DAMASC. « Deus et recte agendi nobis potestatem dedit, ac nostrae potestatis procreavit. ut *tum ab ipso, tum a nobis* praeclarae actiones oriantur, quippe omni qui bonum eligit, *adjutor* est in bonum. » *De duab volunt. Chr.* § 19. M. XCV, 149.

(7) HIER. in illud : « Meliores duo quam unus : » « Si adversus hominem robustior in expugnando diabolus exstiterit, stabit homo, stabit et Christus pro homine suo, *pro sodali suo,* non quod solius Christi adversus diabolum virtus infirma sit, sed quod annitentibus nobis ipse in praeliando fortior fiat. » *In Eccl.* IV. M. XXIII, 1047.

(8) ANSELM. « Sicut ergo, quamvis naturalis usus non procreet prolem sine patre, neque nisi per matrem, non tamen removet ullus intellectus aut patrem aut matrem agere actione prolis. Ita gratia et liberum arbitrium non discordant, sed conveniunt ad salvandum hominem. » *De conc. praesc. Dei cum lib. arb.* c. V. M. CLVIII, 526.

(9) CONC. Senon. « In errorem Manichaei Lutherus incidit, dum nimis anxie devitat Pelagium... Debuerat certe Lutherus ex Apostolo nosse, ita necessariam esse divinam gratiam ad bene operandum, ut *cum ea tamen liberum arbitrium* bonum opus efficiat. » Cf. LABBE, t. XIV, p. 434.

(10) CALVIN. *Instit.* l. II, c. III, § 12.

(11) Articulum adhibent Athan., Chrysost., Theodoretus, Damascenus, Theophilact., Oecum., Hieron., et interpres Origenis ; omittunt praeter Vulgatam, Itala, Orig. (graece), Patres latini passim, cum codd. Vatic., Cantabrig., Augiensis, etc. (V. Tischendorf).

hac lectione, sensus est : « gratia Dei mecum operata est. » Secundum hanc interpretationem Paulus probabiliter respexit ad Sap. IX, 10 : « Mitte illam (sapientiam) de caelis,... *ut mecum sit et mecum laboret.* »

2. Licet probabilius legendus sit articulus, ita nempe ut sensus sit : *non ego, sed gratia quae mecum est,* nullatenus inde dicenda est excludi cooperatio hominis : Etenim a) contexta oratio manifestum facit Paulum adscribere gratiae partes principaliores et sibi partem secundariam, uti constat ex argumento; b) usus loquendi Scripturae ostendit negationem « non ego autem » sumendam esse, non quidem sensu absoluto, sed sensu relativo pro « non ego solus, non ego principaliter. » Usus Scripturae, inquam : eodem enim sensu occurrit similis locutio apud Matth. X, 20 : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. »

C. Scriptura hortatur et imperat ut homo opera pietatis faciat. Atqui nemo jubetur facere nisi id quod ab ejus activitate pendet. Ergo. Patet major a) ex Joh. VI, 27 : « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam ;» hunc cibum, hominibus operandum, esse fidem in Christum, declarat Christus : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. » b) Ezech. XVIII, 31 : « Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras. »

III^m Arg. *Ratione theologica.* Opera salutaria sunt libera, meritoria gratiae et vitae aeternae, proindeque hominem faciunt dignum laude et praemio. Atqui hisce proprietatibus instrui nequeunt, nisi *active* producantur ab homine. Ergo.

91. — SECUNDA PARS. AD MOTUS GRATIAE PRAEVENIENTIS EFFICIENTER CONCURRUNT INTELLECTUS ET VOLUNTAS.

Prob. I^m Arg. Illuminationes sunt cogitationes de re ad salutem spectante, inspirationes sunt indeliberatae piaeque affectiones et motiones voluntatis; *hae cognitiones et affectiones in facultate exsistunt,* licet sint supernaturales ob auxilium gratiae. Atqui istae cogitationes et volitiones non sunt in facultate, nisi ad earum effectionem concurrerit facultas. Ergo.

Prob. min. 1. Juxta multos philosophos intrinsece repugnat ut intellectus intelligat et voluntas velit, amet, timeat, delectetur etc. per actus quos non active elicuerint. Saltem non potest contingere hujusmodi cogitatio et volitio sine extraordinario miraculo, nulla autem datur ratio admittendi miraculum : non enim petitur ratio ex revelatione, uti responsis ad difficultates manifestum erit ; neque ex pricipio theologico, nempe ex supernaturalitate aut gratuitate gratiae; neque

ex experientia, siquidem numquam experimur cogitationes aut volitiones quae non pendeant ab activitate facultatum. — 2. Deus influxu suae gratiae non tollit naturam, sed juvat et perficit naturam in operationibus suis, adeoque efficit ut actio, quae sine suo influxu foret naturalis, evadat supernaturalis,

II^m Arg. Comprobatur simul prima pars thesis. Sequenti analysi actuum fidei, spei, caritatis, contritionis, attritionis apparet activitas intellectus et voluntatis, sub motione et auxilio gratiae.

1. Cum cogitatio excitatur a concionatore aut ab alia causa, cum intellectus cogitat et expendit veritates credendas ministerio concionatoris expositas, Deus se inserit hisce operationibus, non quidem ut impediat intellectum ne agat, sed ut influat in teminum vitaliter ab intellectu productum, ita nempe ut res melius et dilucidius expendatur et penetretur, praesertim ut notitia illa attingat limites notitiae supernaturalis, accommodatae suo ordine ac gradu ad fidem supernaturalem. — Ex cognitione rerum ad fidem spectantium, cum cogitatur quam dignae sint quibus praebeatur assensus, oritur sponte et naturaliter in voluntate motus affectionis ad res cognitas, quo voluntas allicitur et incitatur ad imperandum assensum intellectui. Iterum Deus se huic motui inserit non ad eum cohibendum, sed ad urgendum et elevandum in altiorem statum. — Si voluntas actum fidei imperat, hoc imperium vitaliter elicit, adjuvante gratia; simul intellectus hoc imperio motus elicit assensum supernaturalem fidei, iterum auxiliante gratia; cum homo rite dispositus sit per duos istos actus supernaturales, infundit ei Deus habitum supernaturalem fidei, quo deinceps similes actus eliciantur; hic porro habitus, multorum theologorum judicio, complectitur duas partes, quarum una in voluntate residens dat supernaturalitatem piis imperiis voluntatis, altera vero, in intellectu residens et proprie appellata habitus fidei, assensibus intellectualibus a voluntate imperatis.

2. Cum intellectus perpendit sempiternam beatitudinem homini a Deo praeparatam, beneficia Dei, puta incarnationem et passionem dominicam, reliqua media in salutem disposita, oritur naturaliter affectus quo voluntas allicitur et invitatur ut amore concupiscentiae Deum qua objectum beatificum velit et amet, et ut imperet judicium quo intellectus ob Dei misericordiam et potentiam judicet ad beatitudinem perveniri posse, licet adeptio sit ardua, adeoque obtinenda a Deo esse media requisita. Deus se ingerit hisce actibus, acuit desiderium, supernaturales efficit hos actus et proportionatos fini. Voluntas, gratia

praeventa, se libere determinat ad amandum finem et ad speranda media requisita; iterum praesto est auxilium gratiae quo hi actus eleventur ad ordinem supernaturalem.

3. Cum intellectus considerat Dei excellentiam innumeraque beneficia quibus nos praevenit, naturaliter excitatur in voluntate motio amoris amicitiae erga Deum, huic actui intellectus et motioni voluntatis iterum se inserit gratia ad eos acuendos et elevandos, ita nempe ut detur illustratio et inspiratio. Si voluntas libere Deum amat amore amicitiae, ejus actus iterum elevatur auxilio gratiae. Si vero accedit cognitio magnitudinis et multitudinis peccatorum, liberum arbitrium, gratia adjutum, elicere poterit actum veri doloris de peccatis quia bono divino contrariantur.

4. Cum intellectus considerat hominem per peccatum amisisse jus in regnum caelorum et promeruisse gehennam, naturaliter exsurgit in voluntate aversio ab his malis et a peccato quatenus inducit haec mala. Huic motui se inserere potest gratia ad eum purgandum, stimulandum et elevandum. — Liberum arbitrium adjutum gratia potest elicere actum supernaturalem attritionis.

92. — TERTIA PARS ACTIVITAS FACULTATIS NON EST REMOTA SED PROXIMA (1). Motus gratiae praevenientis effici *immediate* a facultate veluti a causa partiali probatur eodem argumento quod supra primo loco fuit propositum ad probandam activitatem facultatum : impossibilis enim videtur intellectio et pia voluntatis motio, nisi immediate procedant a facultate veluti a causa partiali. — Speciatim probatur voluntatem esse immediate activam in productione actus salutaris.

Prob. I^m Arg. Admittenda est ea activitas voluntatis in eliciendis actibus salutaribus, quam haeretici negabant. Atqui haeretici, cum negabant activitatem voluntatis, nullatenus negabant qualitatem, e qua procedit actio, a facultate sustentari, sed tantum negabant voluntatem libere agentem viribus suis attingere effectum in se productum (2). Ergo.

II^m Arg. *Ex locutionibus Scripturae et Patrum.* ll. cc. 1. Dicitur homo

(1) Cfr. RIPALDA, d. XXX, sect. 3 sq.

(2) CALVINUS, de verbis Domini « sine me nihil potestis facere, » sic ait : « (Papistae) *aliquid facultatis* suppetere somniant, quod per se quidem non sufficiat, sed Dei gratia adjutum cooperetur : nec enim hominem ita exinaniri sustinent quin *aliquid ex se* conferat... Tale est papistarum comentum, nos sine Christo nihil posse, ab eo tamen adjutos *habere aliquid ex nobis praeter gratiam.* Christus vero contra... non tantum cooperantis suae gratiae auxilium hic commendat, sed nos penitus privat omni virtute, *nisi quam suppeditat ipse nobis.* » *Inst.* l. II, c. III. ap. MALDONAT *In Joh.* XV, 5.

agere, cooperari Deo, praestare *opera pietatis;* Deus dicitur *adjuvare* hominem. Atqui hujusmodi locutiones significant hominem proxime et immediate efficere actum. Si enim tantum *sustentat* qualitatem infusam et si ab ea efficitur terminus, quomodo proprie dicetur homo agere opus ? — 2. Actus salutares dicuntur a Scripturis et a Patribus esse *operationes* nostrae, ideo nos praemio dignos efficere : Sic a) Joh. XV, 16 : fructus *vester* maneat; b) Matth. IX, 22; Marc. V, 34; Luc. VII, 50; VIII, 48; XVII, 19; XVIII, 42 : Fides *tua* te salvum fecit. Sic etiam Gregorius (1), Augustinus (2), Irenaeus (3). Atqui hoc nonnisi valde improprie affirmari potest, posito hominem tantum sustentare qualitatem caelitus immissam. Ergo.

III^m Arg. *Ratione.* Actus salutaris est vitalis et liber. Atqui nec vitalis est nec liber, nisi facultas immediate attingat effectum. Ergo. — *Prob. 1^a pars min.* Ut sit vitalis, exigitur ut recipiatur in causa qua immediate est effectus. Atqui hoc non habetur, ubi facultas ponitur tantum sustentare qualitatem quae est activa. Ergo. — *Prob. 2^a pars min.* Voluntas non est libera, nisi in se determinando ad volendum aut ad nolendum et in elicienda volitione aut nolitione consequenter ad determinationem. Atqui ubi voluntas tantum sustentat qualitatem, non elicit volitionem aut nolitionem. Ergo non exercet libertatem.

Satisfit difficultatibus.

93. — Ad objectiones contra I^m partem ex Scriptura motas. Nisi homo praeveniatur et adjuvetur gratia, immo nisi vocetur modo congruo, nihil potest in ordine ad salutem, seu nullum actum salutarem edere valet. Deinde Deus est qui dat supernaturalitatem consensui a voluntate praestito. Hoc sensu affirmatur opus salutare a solo Deo effici et pendere : nisi enim hoc sensu intelligatur Scriptura, non conciliantur inter se varia loca.

S. Anselmus, cum advertisset modo Scripturam loqui quasi opus salutare nullatenus ab arbitrio penderet, modo quasi totum ab eodem

(1) Greg. M. « Bonum quod agimus et Dei est *et nostrum,* Dei per praevenientem gratiam, *nostrum per obsequentem voluntatem.* Si enim Dei non est, unde ei gratias in aeternum agimus; rursus, si nostrum non est, unde nobis retribui praemia speramus ? » *Mor.* l. XXXIII, c. XXI, n. 40. M. LXXVI, 699.

(2) August. « Ut velimus, et suum esse voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. » *Ad Simplic.* l. I, q. II, n. 10. M. XL, 117.

(3) Iren. « Secundum fidem tuam fiat tibi : propriam fidem hominis ostendens, quoniam suam habet sententiam (libertatem). Et propterea is, qui credit. habet vitam aeternam, et qui non credit Filio, ira Dei manet super eum. » *Haer.* l. IV, c. XXXVII, n. 15. M. VII, 1102.

penderet, ostendit quomodo inter se concilianda sint dicta scripturistica : « Ita quippe, ait, intelligenda sunt dicta divina, ut neque sola gratia, neque solum liberum arbitrium salutem hominis operetur. Quippe cum dicit Dominus : sine me nihil potestis facere, non ait : nihil valet vobis libertas, sed nihil potestis sine mea gratia » (1).

Obj. 1°. Juxta effata Scripturae homo nihil absolute potest facere in ordine ad salutem. Atqui hoc falsificaretur eo quod homo libere activitatem suam exsereret in actu salutari. Ratio est quia ab eo penderet ut actus salutaris *exsistat* potius quam non. Ergo. — *Constat major* multis Scripturae effatis, quibus homines dicuntur esse tenebrae (Matth. VI, 23), arbores malae (Matth. VII, 18), caeci (Luc. IV, 18), animales (I Cor. II, 14), nihil posse ex se ipsis (II Cor. III, 5), mortui in peccatis (Eph. II, 1); constat insuper ex Joh. XV, 5 : « Sine me nihil potestis facere. »

Resp. *Dist. maj.* Homo nihil potest, h. e. homo *destitutus gratia* praeveniente et adjuvante proindeque *permissus viribus naturae,* nullum valet edere opus salutare, *Conc.;* homo gratia praeventus et adjutus *non cooperatur gratiae, Neg.* — *Cdt. min.* — Ad probationem minoris : *Dist.* Ab arbitrio penderet *unice* exsistentia actus, aut penderet quoad ipsius *supernaturalitatem, Neg.;* quoad *vitalitatem, Conc.* — Ad probationem majoris respondetur eadem distinctione. — Effata Scripturae habent duplicem interpretationem, eam nempe quam tuetur objectio, et eam quam tuetur responsio praejacta. Posteriorem interpretationem esse praeferendam, constat quia per eam solam fit concordia inter testimonia quae inter argumenta theseos sunt adducta et ea e quibus movetur objectio.

Obj. 2°. Deus dicitur solus agere in homine opera salutaria eique soli attribuuntur opera nostra bona. Atqui in tantum vera sunt ista effata, in quantum Deus non partitur causalitatem operum bonorum cum libero arbitrio. Ergo. — *Constat major* quia Deus dicitur operari in nobis (Is. XVI, 12); operari omnia in omnibus (I Cor. XII, 6; Eph. I, 11); incipere et perficere (Phil. I, 6); hominem convertere (Ps. LXXIX, 8; Ps. LXXXIV, 5); cor immutare (I Reg. X, 9), inclinare (III Reg. VIII, 58), aperire et circumcidere (Deut. XXX, 6), novum facere et creare (Ps. L, 12; Ezech. XXXVI, 26, 27); scribere legem in cordibus (Jer. XXXI, 33); potissimum constat ex Rom. IX, 16 : « Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. »

(1) ANSELM. *De concordia Dei praescientiae cum libero arbitrio.* c. V. M. CLVIII, 526.

Resp. a) *Dist. maj.* Deus dicitur agere solus cum *praecisione causae secundae, Conc.;* cum *exclusione* ejusdem, *Neg.* — *Cdt. min.* — b) *Dist. maj.* Deus dicitur solus efficere opera salutaria, quatenus solus operatur *supernaturalitatem* in actu salutari, quatenus exigitur gratia praeveniens non qualiscumque, sed quae *praescitur esse congrua* et libere a Deo eligitur potius quam gratia praevisa inefficax, *Conc.;* quatenus *nulla cooperatio voluntatis* vocationi congruae praestatur, *Neg.*

Effata Scripturae sic esse intelligenda patet non tantum argumentis allatis, sed insuper quia alibi ipse homo dicitur cor aperire (Apoc. III, 20), cor circumcidere (Deut. X, 16), sibi facere cor novum (Ezech. XVIII, 31), cor immutare (Eccle. II, 3) et inclinare (Ps. CXVIII, 112), legem scribere in corde suo (Prov. VII, 3), se convertere ad Deum (Zach. I, 3). — In specie sic intelligi Rom. IX, 16 constat ex Augustino qui eam interpretationem laudat, postquam non paucas alias rejecerat (1).

Obj. 3°. Juxta Augustinum in opere salutari nihil nostrum, sed totum est a Deo, volitio nostra in nobis fit a Deo solo sine nobis, solum opus externum nobis attribui potest (2). Atqui non potest clarius denegari activitas voluntatis in opere salutari. Ergo.

Resp. Alibi clare indicat Augustinus voluntatem non esse passivam, ubi opera salutaria fiunt. Loca autem objecta facili negotio trahuntur in concordiam cum alibi dictis. In his enim operibus scribit Augustinus adversus pelagianos et semipelagianos qui viribus naturae tribuebant opera salutaria; contendit autem Augustinus hominem sine gratia nihil facere posse quod ad salutem conducat, sed omnem rationem meriti in operibus nostris dimanare a Deo. Ceterum implicite asseritur activitas hominis non modo in opere externo, sed etiam in opere interno in ipsis locis objectis. — Quare *Dist. maj.* Juxta Augustinum quod opus sit *salutare,* quod volitio sit *sicut oportet,* hoc est attribuendum soli Deo; neque possibile est ut homo salutare opus operetur, nisi praeveniatur gratia quae praescita est *congrua, Conc.;* opus salutare ita fit a Deo ut arbitrium non operetur, *Neg.* — *Cdt. min.*

---

(1) AUGUST. « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita *vocat quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* » *Ad Simplic.* l. I, q. II, n. 13. M. XL, 118.

(2) AUGUST. « Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur et velle : nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur et operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit et credere et dicere, hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis et submissa confessio et totum detur Deo. » *De dono persev.* c. XIII, n. 33. M. XLV, 1013. — « Laborant homines invenire in nostra voluntate quid boni sit nostrum, et quomodo inveniri possit ignoro. » *De pecc. mer. et remiss.* l. II, c. XVII, n. 28. M. XLIV, 168. — « Ut velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. » *De gr. et lib. arb.* c. XVII, n. 33. M. XLIV, 901.

Obj. 4°. Ratione. Opus salutare efficit sola gratia. Antequam datur a Deo gratia, nulla est homini capacitas edendi opus salutare. Ergo tota capacitas est a gratia, adeoque haec sola agit.

Resp. Principium adaequatum actus salutaris constat duobus principiis partialibus, nempe facultate quae tribuit actui quod sit vitalis et quod sit intellectio aut volitio, de hac aut de illa re, et auxilio gratiae quo actus supernaturalisatur. Deficiente uno ex his principiis, deficit actus salutaris. Quare facultas est partialiter et conditionate capax efficiendi opus salutare, conditionate, inquam sc. dum adjuvetur gratia. Quare *Neg. ant.* Ad prob.: Ante infusionem gratiae deest homini capacitas *adaequata* et *absoluta, Conc.; partialis* et *conditionata, Neg.*

94. — CONTRA II^m PARTEM. Obj. 5°. Ex Arausicano c. XX: « Multa facit Deus in homine bona, quae non facit homo » (Denz. n. 164); eodem modo loquuntur Patres haud pauci; profecto ad illustrationem et inspirationem alludunt ista verba. Ergo fiunt a Deo sine homine.

Resp. Duplici sensu dici potest donum a Deo dari aut effici sine homine: a) *sine ulla* effectione hominis: sic infunduntur gratia sanctificans et habitus virtutum; b) sine efficientia *morali* et *libera* hominis, licet adfuerit efficientia physica indeliberate agens. Tali modo dicuntur a Deo fieri motus gratiae excitantis.

Obj. 6°. Ex Apoc. III, 20: « Sto ad ostium et pulso. » Unde sic: Illustratio et inspiratio dicuntur pulsatio. Atqui pulsatio procedit quidem a Deo qui heic vocatur pulsans, non vero a facultate, cujus ostium pulsatur a Deo.

Resp. Aperitur ostium cordis, cum elicitur consensus salutaris; inde voluntas est ostium aperiendum; quare pulsatione ad ostium intelligi potest id quo homo movetur et allicitur ad consentiendum; movetur autem illustratione et inspiratione; cum autem Deus veluti causa principalis determinet facultatem ad agendum et actui ipsius tribuat supernaturalitatem, ideo recte dicitur pulsare; verum non excluditur pulsatio profecta ab intellectu et a voluntate indeliberate agente. — Quare *Dist. maj.* Illustratio et inspiratio vocantur pulsatio *materialis* et *proprie dicta, Neg.; metaphorcia,* improprie dicta et *spiritualis,* sita in motione facultatis spiritualis, *Conc.* — *Cdt. min.* Pulsatio ad cor, si foret sensu *proprio* accipienda, procederet a solo Deo, *Trans.;* si sensu *metaphorico* accipitur, *Subdist.* procedit a solo Deo ceu *causa principali* qua pulsatio determinatur et accipit supernaturalitatem, *Conc.; exclusa facultatum causalitate instrumentali, Neg.*

Obj. 7°. Gratia actualis refertur in Deum tamquam largitorem et auctorem haud secus ac gratia habitualis. Atqui habitualis a Deo solo fit. Ergo.

Resp. Actualis gratia refertur in Deum, eumque solum, tum quia solus supernaturalitatem gratiae causat, tum quia incipit, tum quia sine injustitia posset nullam gratiam homini conferre. — Gratia habitualis refertur in Deum non modo quia est donum gratuitum, sed insuper quia a Deo solo producitur. Quare *Dist. maj.* Scriptura et traditio utramque gratiam attribuunt efficientiae Dei et praeterea asserunt utramque *eodem modo* a Deo pendere aut fieri, *Neg.;* utramque adscribunt Deo et *faciunt abstractionem a modo* quo utraque procedit a Deo, *Conc.* — *Conc. min.* — *Neg. cons.*

Obj. 8°. Si illustratio et inspiratio a nobis active procederent, essent auxilia nostra haud secus ac Dei, proindeque non solus Deus juvaret potentias vitales, sed adhuc nos ipsi eas juvaremus. Atqui hoc non potest dici theologice. Ergo.

Resp. Si moraliter considerantur, auxilia gratiae sunt solius Dei, quia gratuita sunt, et Deus incipit operando. Si physice considerantur, eorum causa principalis est solus Deus, siquidem movet facultatem ad agendum et perfectionem principalem in effectu causat. — Itaque *Dist. maj.* Essent auxilia nostra haud secus ac Dei *moraliter, Neg.; physice, Subd.* h. e. aeque principaliter penderent a nobis et a Deo, *Neg.;* efficerentur a duplici causa, una quidem *principali,* altera vero *instrumentali, Conc.*

Obj. 9°. Patres ita extollunt gratiam veluti donum Dei, ut omnia quae non repugnant sint attribuenda soli Deo. Atqui non repugnat motus gratiae praevenientis fieri a solo Deo, sine ulla cooperatione facultatum hominis. Ergo.

Resp. a) *Trasm. maj. Neg. min.* Non deest enim ratio affirmandi impossibilem esse cogitationem mentis et piam motionem voluntatis ad quas efficiendas non concurrerent active facultates. — b) *Dist. maj.* Ex locutionibus Patrum consequitur omnia, *praeter absentiam cooperationis facultatum,* quae etiam affirmatur a Patribus, esse adscribenda Dei efficientiae, *Conc.;* omnia esse adscribenda Deo ita ut etiam *deneganda sit haec cooperatio, Neg.* — *Transm. min.*

95. — CONTRA III^m PARTEM. Obj. 10°. **Ratione.** Si voluntas immediate activa est in elicitione actus salutaris, virtus, qua immediate efficit hunc actum supernaturalem, foret identificata cum natura. Atqui hoc sapit semipelagianismum, adeoque rejici oportet. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Et haec virtus, identificata cum natura, foret *completa* et *sufficiens* ad efficiendum actum salutarem, *Neg.;* foret *incompleta, insufficiens, elevanda* sive extrinsecus, sive extrinsecus beneficio qualitatis infusae, *Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui si facultas non attingit terminum supernaturalem, nisi ut elevata, ergo qualitas est sola activa.

Resp. *Negatur sequela.* Argumentum falso supponit facultatem non posse elevari nisi per additionem qualitatis quae maneat distincta a facultate et sola sit activa immediate. Ceterum etiamsi facultas intrinsecus elevaretur, adhuc attingeret actum immediate.

Obj. 11° Scripturis. Rom. VIII, 14 : « Quicumque spiritu Dei *aguntur,* ii sunt filii Dei. » Si homo non agit nisi mediate, quadamtenus dici potest agi ; at si immediate efficit terminum supernaturalem, nullatenus dici potest *agi spiritu Dei.* Ergo.

Resp. a) Si his verbis excluditur activitas immediata facultatis, non minus certo excluditur activitas mediata, nisi intelligatur de passiva sustentatione. b) Verum hoc effato nulla hominis activitas excluditur, sed tantum asseritur activitas (impulsus) Spiritus Sancti; Spiritus Sanctus autem impellit, agit, movet, immittendo illustrationes et inspirationes. Eodem sensu de Christo dicitur : « Agebatur in desertum a Spiritu, » ubi profecto non excluditur Christi cooperatio. Quae explicatio confirmatur verbis Augustini : » Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant (1). » Cfr. Denz. n. 92.

Quare *distinguitur :* Si homo agit immediate non potest dici *simpliciter* agi, *Conc.; secundum quid, Neg.*

Obj. 12°. Ex Patribus. Saepe inculcant SS. PP. negotium salutis *totum* Deo et gratiae ejus tribuendum, non dividi posse inter Deum et liberum arbitrium. Atqui hoc est falsum, ubi homo ponitur immediate efficere opus salutare. Ergo. — Major constat multis testimoniis quae congessit Alvarez (2). Sic Augustinus (3), Chrysostomus (4), Basilius (5), Cyprianus (6), Anselmus (7), Caelestinus I (8), Fulgentius (9).

Resp. *Dist. maj.* Saepe Patres inculcant negotium salutis esse totum tribuendum Deo nec dividi posse inter hominem et Deum, h. e. non *solum augmentum* fidei esse tribuendum gratiae, sed eamdem gratiam

(1) *De corr. et gr.* c. II, n. 4 — (2) *De aux.* d. LXII, n. 4; d. LXXXV, n. 3. — (3) *De praed. SS.* c XVI, n. 32. M. t. XLIV, col. 983 ; *De dono pers.* c. VI, n. 12 et c. XIII. n. 33. P. L. XLV, 1002, 1013. — (4) In II Cor. III, 5, *hom.* VIII, n. 3. P. G. LXI, 71, *hom.* XV *in Act. Ap.* n. 3. P. G. LX, 124. — (5) *Hom.* XX *de humilitate,* n. 3, sq. P. G. XXXI, 532. — (6) *De orat. Dom.* n. 26. P. L. IV. 537. — (7) *De concord. grat et praedest. cum lib. arb.* q. II, c. III. P. L. CLVIII, 520 — (8) Denz. n 95, fine. — (9) *Ad Monim.* l. I, c. XXI. P. L. LXV, 168.

esse necessariam *initio fidei, Conc.;* inculcant Patres actus, quibus continetur initium fidei et augmentum fidei, fieri *sola operatione Dei,* rejecta activitate immediata hominis ad singulos actus, *Neg.* — *Cdt. min.* — Ad probationem majoris respondetur loca objecta esse exponenda secundum unum ex his tribus modis :

1. Deus dicitur causa totalis, quatenus est causa *principalis;* talis est quia tribuit gratiam congruam et ponit in effectu supernaturalitatem. Sic ferme artifex vocatur causa totalis operis. Istam explicationem tribuunt huic effato a) Magister (1), b) Chrys (2), c) Theophylact. (3).

2. Opus salutare dicitur esse totum a Deo, quia Deus, immittendo cogitationem et affectionem salutarem, illud semper *incipit* voluntatem alliciendo. Sic Augustinus cum in ep. ad Rom. c. LX dixisset : « Quod credimus, nostrum est, quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat spiritum, » illud sic retractat : « Utrumque Dei est, quia ipse *praeparat voluntatem,* et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. »

3. Totum datur Deo, quia nulla pars debetur viribus naturae *sine auxilio gratiae.* Ita excluditur semipelagianismus.

ARTICULUS III.

De principio supernaturalitatis motuum gratiae praevenientis.

96. — Prologus. Dari principium supernaturale physice efficiens quemlibet actum supernaturalem, illud consistere in viribus physicis facultati superadditis et attingentibus immediate illustrationem, inspirationem et actum salutarem, manifeste colligitur ex iis quae hactenus fuerunt comprobata. Cum enim tres isti actus sint entitative supernaturales, constat eos actus produci non posse nisi immediate attingantura causa entitative supernaturali, cujus proinde vires superaddantur viribus facultatis; secus enim deesset proportio inter causam immediatam et effectum. Item colligitur ex formulis de gratia adhiberi

(1) MAGISTER : « Bona merita quando *ex sola gratia* esse dicuntur, non excluditur liberum arbitrium : quia nullum meritum est in homine quod non est per liberum arbitrium. Sed in bonis merendis causae principalitas gratiae attribuitur qua excitatur liberum arbitrium et sanatur atque juvatur voluntas hominis ut sit bona. » *Sent.* l. II, d. XXVII.

(2) CHRYSOSTOMUS : « Quia illius est quod amplius est, ejus dixit esse universum secundum consuetudinem hominum » *Hom.* XII *in Hebr.* c. VII. M. LXIII, 100.

(3) THEOPHYLACTUS : « Quemadmodum de domo dicimus totum esse artificis cum interim opus habeat cooperatoribus ipsum adjuvantibus. » *In Rom.* IX, 16.

solitis. Juxta Scripturam, Patres et Concilia, homo physice impotens est aliquid salutariter cogitandi, volendi, perficiendi, per vigorem naturae nihil potest in ordine ad salutem; quare Deus praeparat voluntatem per gratiam, praebet vires efficacissimas, operatur velle et perficere, ita ut omnis bonus motus sit ab eo, efficit ut valeamus cognoscere, ut cognita facere valeamus, ut impleamus mandata divina. Atqui his verbis clare indicatur vires physicas superaddi facultati; multae ex formulis nequeunt intelligi de solis viribus moralibus, de his nempe quibus homo invitaretur quidem ad agendum (puta de propositione legis, de subsidiis externis), verum ita ut volitio, sive indeliberata sive deliberata, a sola facultate procederet. Si enim sufficeret vis moralis, falsum foret hominem per naturalem vigorem nihil posse, eum esse prorsus insufficientem ad cogitandum salutariter, etc. — Denique colligitur *ex controversia pelagiana*. Non negabant pelagiani vires morales a Deo conferri; immo in ultimo stadio admiserunt operationem Dei immediate in intellectum; Patres tamen adhuc exigebant operationem immediatam in voluntatem. Ergo Patrum judicio vires physicae a Deo superadduntur tum intellectui tum voluntati.

Porro in hoc articulo quaeretur in quonam sita sit gratia active sumpta, seu quodnam sit principium a quo motus gratiae praevenientis mutuent suam entitativam supernaturalitatem, tum apud eos qui ornantur habitibus per se infusis, tum apud eos qui hisce habitibus carent. — In articulo sequenti agetur de principio quo causatur supernaturalitas in actu salutari.

§ 1. De principio supernaturali gratiae excitantis apud justos.

Ripalda, *De ente*, d. cvii, s. 3; d. cxxii.

Justo intelligitur lato sensu is omnis qui habitu per se infuso ornatur. Quaeritur itaque quodnam sit principium supernaturale e quo profluit supernaturalitas illustrationis et inspirationis in eo qui pollet habitu correspondente, sive theologico sive morali.

97. — **Sententiae.** Alii, nullo facto discrimine, docent omnes motus praevenientis gratiae fieri auxilio *qualitatis mortuae et transeuntis* de qua postea. Sic Alvarez, Zumel, etc. — Alii sine discrimine docent omnes motus fieri *elevatione extrinseca*. Sic Henriquez, Suarez, Tannerus etc. — Ripalda censet quotiescumque adest habitus e quo motus deliberati procedunt, toties motus gratiae praevenientis procedere efficienter

ab eodem habitu, qui, Deo efficaciter volente, intrat in exercitium quin ei infundatur nova entitas creata.

THESIS XIII^a^. — Ubi adest habitus per se infusus quod sit principium actus salutaris, ab eodem habitu divinitus excitato proficiscuntur motus gratiae excitantis, dummodo utriusque actus sit idem objectum formale.

98. — Prob. Non sunt multiplicanda sine necessitate entia creata supernaturalia. Atqui multiplicantur sine necessitate, si habitus in praefatis adjunctis non elicit motum gratiae excitantis, sed insuper exigitur aliud principium. — *Prob. min.* Entia supernaturalia a Deo multiplicari manifestum est; nullam esse necessitatem ostenditur : In tantum necesse foret novum principium creatum, in quantum habitus, a Deo excitatus, non esset natus elicere motum excitantem ad actum salutarem. Atqui prorsus est aptus ad hoc, quotiescumque idem supponitur esse objectum formale (quale habetur pro actu deliberato et indeliberato voluntatis). — *Prob. min.* Habitus est potentia in actu primo. Atqui potentia in actu primo est apta ad efficiendum actum secundum, quoties convenienter excitatur et adest ejus objectum formale. Ergo. — *Decl.* Habitus specificantur ex objectis formalibus contentis sub objecto formali facultatis, quod respectu ipsorum se habet ut genus respectu speciei; quare ubicumque habitus invenit objectum formale sibi proprium, aptus est ad agendum.

Idem argumentum sic adhuc proponitur : Habitus supernaturales continent virtute sua hos motus gratiae; caritas enim non modo dilectionem efficacem Dei, verum etiam simplicem et indeliberatam complacentiam continet; obedientia tum absolutum affectum parendi superiori tum inefficacem et indeliberatum. Ergo uterque actus ab eodem habitu proficiscitur. — *Prob. ant.* Habitus continent virtute actus qui habent idem objectum formale ; sive aliter : plures actus respicientes idem ojectum formale, licet non eodem modo, fiunt ab eodem habitu. Atqui actus efficax et simplex complacentia habent idem objectum formale ; pariter simplex apprehensio et judicium.

Conf. Habitus naturalis influit in actus indeliberatos haud secus atque in deliberatos. Ergo idem dici potest de habitu supernaturali, dummodo a Deo excitetur ad agendum. — *Prob. ant.* Intellectus qui prius difficile intellexit objectum, per consuetudinem et habitum facilius postea illud apprehendit et de eo judicat. Voluntas quae prius difficilius amavit bonum arduum, deinde per consuetudinem facilius et promp-

tius eo delectatur et vult. Atqui hoc est signum simplicem affectionem, haud secus atque actum perfectum, ex habitu procedere : secus habitus nonnisi actum perfectum facilitaret. — *Ad cons.* Disparitas inter habitum naturalem et supernaturalem est quia habitus infusus a Deo, prae habitu acquisito, a Deo est excitandus ut operetur et tribuit facultati posse simpliciter, non autem posse facilius. — Quia gratia non destruit naturam, sed eam juvat se ipsi accommodando, ideo habitus infusus dicendus est influere in actibus indeliberatis supernaturalibus, siquidem habitus acquisitus influit in actibus indeliberatis naturalibus.

Satisfit difficultatibus.

99. — **Obj. 1°.** Virtutes infusae non influunt nisi in id in quod potentiae vitales influunt. Atqui hae non influunt in auxilia gratiae excitantis; haec enim fiunt in nobis sine nobis. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist.* Auxilia gratiae fiunt sine operatione *libera* hominis, *Conc.;* sine *ulla* operatione, *Neg.*

Obj. 2°. Posita apprehensione objecti credibilis, potest fieri dissensus ab eo, siquidem actus fidei est liber; posita simplici complacentia objecti honesti, potest elici actus odii et amoris de contrario. Atqui si habitus infusus efficeret has cogitationes et complacentias, non posset cum his componi dissensus aut amor contrarius. Etenim ex lege Dei non potest componi dissensus fidei cum habitu fidei, neque amor efficax intemperantiae cum habitu infuso temperantiae; ac proinde neque potest componi cum eo quod habitum infusum supponit. Ergo apprehensiones et affectiones simplices non procedunt ab habitibus infusis.

Respondent alii aliter : 1. Deus per scientiam suam futurorum contingentium praescit utrum conjungendus sit consensus cum motu gratiae praevenientis, an dissensus; si praescit consensum, efficit ut actus imperfectus ab habitu procedat; contra si praescit dissensum, cum dissensus componi nequeat cum habitu operante, efficit ut motus gratiae fiat alio principio supernaturali. — 2. Nihil vetat quin dissensus deliberatus a natura effectus succedat motioni indeliberatae ab habitu effectae. Habitus quidem amittitur per dissensum liberum, at quo instanti amittitur, jam cessat motus praeveniens. Quare *Conc. maj. Dist. min.* Dissensus, qui fieret *simul natura* cum actu qui ab habitu proficiscitur, non potest componi cum habitu, *Conc.;* dissensus qui fit *posterius natura,* licet fortassis simul tempore, nequit componi cum habitu, *Neg.*

§ 2. Defectum habitus infusi non supplet deus intrinsecus elevando facultates.

Ripalda d. civ; Suarez l. III, c. iv, xiii, xiv, xv.

100. — Quaeritur *quodnam principium causet supernaturalitatem illustrationis et inspirationis, ubi desunt habitus per se infusi*. Quaestio sic etiam saepe proponitur : Num praeter sanctas cogitationes et pios affectus agnoscenda sit *alia gratia actualis a Deo infusa* proindeque ex potentia obedientiali animae educta.

Iª sententia ponit a Deo infundi *qualitatem physicam, mortuam et fluentem,* quae cum facultate constituit principium adaequatum illustrationis et inspirationis. — Ista qualitas fit a solo Deo sine concursu potentiae vitaliter agentis, quare dicitur *mortua;* movet physice ad agendum, non vero per tendentiam ex apprehensione ortam, quare vocatur *physica;* non permanenter inhaeret facultati, sed eo dumtaxat tempore quo fit actio, quare vocatur *fluens*. — Ab aliis vocantur qualitates reales, ab aliis modales essentialiter affixae potentiis.

Duae dantur auxiliorum hujusmodi species : a) Alia horum nempe sunt auxilia *sufficientia,* praevenientia voluntatem eamque excitantia; eorum beneficio fiunt actus indeliberati proindeque voluntas constituitur in actu primo proximo ad consensum salutarem. Hae qualitates sunt compossibiles cum dissensu. — b) Alia vero sunt auxilia *efficacia;* supponunt actum primum completum voluntatis, infunduntur ut eorum ope fiat actus secundus, ita vero ad eum physice movent ut dissensus actualis imcompossibilis sit cum iis. Quare merito vocantur praemotiones physicae. — Itaque triplex offenditur discrimen inter utramque speciem : α) Ex parte illius quod supponunt : sufficientia nempe auxilia supponunt imbecillitatem potentiae et tribuunt virtutem; efficacia contra supponunt virtutem sufficientem completam. β) Ex parte effectus : priora dant actum indeliberatum, posteriora deliberatum. γ) Ex parte modi quo potentiam afficiunt et actum deliberatum respiciunt : sufficientia relinquunt voluntatem indifferentem ad consensum salutarem et componi possunt cum dissensu opposito; efficacia determinant voluntatem et cum actu deliberato connectuntur ex natura sua seu ab intrinseco. — Notandum est omnem qualitatem esse reapse in hac sententia physice praedeterminantem; sufficiens nempe determinat ad actum qui vocatur indeliberatus, efficax ad actum qui dicitur deliberatus et liber. — In sequentibus non considerabimus nisi auxilia suffi-

cientia. Argumenta tamen attingunt etiam auxilia efficacia in quantum sunt physice praemoventia.

Praefatam sententiam defendunt Zumel (1), Bañez (2), Gonzalez (3), Alvarez (4), Salas (5), Lemos, Gonet, Billuart, Salmanticenses (6).

Attamen nonnulli sunt doctores qui a praefata sententia partialiter discedunt, quatenus nempe affirmant aut non infundi qualitates ad consensum salutarem, aut saltem has qualitates non tollere indifferentiam voluntatis. — Deinde quoad auxilia ab intrinseco efficacia, nonnulli ex thomistis censent ea non distingui realiter ab actibus intellectus et voluntatis productis ope auxilii sufficientis. Sic Medina (7), Cajetanus (8), Ferrariensis (9), Sotus (10), Zumel (11), Capreolus (12).

IIa sententia est Palmieri, cujus judicio habitus supernaturalis, sive sit ornativus sive sit operativus, non est qualitas realiter distincta a natura aut a facultate, sed est *modus indistinctus a facultate,* a Deo productus ut sit principium excitans et adjuvans. Si deficit habitus, Deus educit ex potentia animae *modum consimilem* qui non remanet nisi pro tempore actionis — Sic explicat cl. auctor mentem suam :

Facultas est ex se expedita ad actus ad quos exigentiam habet : quare hi actus dicuntur *naturales;* est autem ex se impedita ad actus qui superant exigentiam, eique perfectionem conferunt supra ordinem naturae; ad hos actus supernaturales fit expedita per nutum divinae voluntatis ad extra efficacis. — Vi hujus nutus facultas se habet alio modo, eo nempe quo jam proxime et complete potens sit elicere actum supernaturalem. Ipse autem hic modus, cum non exigatur ab anima et sit principium actus supernaturalis, est ex se supernaturalis. Porro, ita cl. Palmieri, anima sic modificata et elevata agit immediate et proxime, neque est distinguere duplicem causam, alteram nempe secundum vires naturae insitas agentem, alteram vero supernaturalem (13).

---

(1) *De aux.* d. I et II, concl. 4. — (2) In I p. q. XII, a. 5, dub. 3 ; in IIm IIae, q. XXIII, art. 2, dub. 2. — (3) In I p. d. LVIII, sect. 5. — (4) *De aux.* d. LXXIV, n. 4. — (5) T. I in Im IIae, q. III, tr. II, d. V, n. 70. — (6) T. I *de gr.* p. 438-454. — (7) In Im IIae, q. CXIX, art. 2. – (8) Q. IX, art. 4. — (9) In III C. G. c CIL. — (10) L. I *de nat. et gr.* c. XVI. — (11) L. I, d. 2. – (12) In 2. d. 25, q. 1, art. 1 et 3.

(13) Cf. PALMIERI. *De gratia divina actuali*, Thesis XVI et XVII. Ad hanc sententiam duo sunt observanda. *Alterum* est quod cl. auctor adstringitur ad adhaerendum hisce placitis, vi sententiae quam mente gerit circa concursum Dei, sive naturalem, sive supernaturalem. Juxta eum enim Deus non aliter concurrit nisi sustentando facultatem dum agit, seu dum ab uno termino motus ad alium tendit; inde actus facultatis, sive sit intellectio sive sit volitio, non erit entitative supernaturalis, nisi prius facultas fuerit intrinsecus modificata; quare ex ejus potentia prius educitur modus supernaturalis, quo educto, Deus sustentat facultatem in agendo. — *Alterum* est quod cl. Palmieri supponit nullam

III^a sententia *negat ullam qualitatem infundi* quae defectum habitus suppleat. Sic Henriquez (1), Suarez (2), Arrubal (3), Tanner (4), Mascarenas (5), Ledesma, Vasquez, Molina, Vega, Ripalda. — Inter eos alii defendunt repugnare hanc qualitatem transeuntem seu non vitalem; alii negant ejus exsistentiam, admittunt tamen eam non repugnare. In quonam reponant principium supernaturale gratiae excitantis explicabitur § seq.

THESIS XIV^a. — Rejicienda est sententia Neothomistarum asserentium infundi a Deo qualitatem mortuam, physicam, et fluentem, quae sit principium supernaturalitatis motuum gratiae praevenientis. Rejicienda etiam est sententia reponens illud principium in modo ab anima indistincto et in ea divinitus producto ante actum.

101. — PRIMA PARS. REJICI OPORTET QUALITAS MORTUA, PHYSICA, FLUENS.

Prob. I^m Arg. Entia supernaturalia non sunt multiplicanda sine necessitate. Atqui sine necessitate ponitur qualitas non vitalis quae sit principium supernaturalitatis gratiae praevenientis. Ergo. — *Prob. min.* Necessitas peteretur aut ex natura actus supernaturalis producendi ab eo qui habitu caret, aut ex revelatione qua constaret harum qualitatum exsistentia. Atqui necessitas *non petitur ex natura rei :* Etenim Deus, qui asseritur infundere hanc qualitatem ut eliciatur motus gratiae praevenientis ab eo qui principio connaturali caret, potest per seipsum immediate conferre supernaturalitatem huic motui; potest enim efficere immediate omne id quod causae secundae natae sunt producere, praeter vitalitatem (6). Ergo natura actus non exigit infusionem qualitatis mortuae. — Neque necessitas petitur *ex revelatione,* uti ex sequenti argumento constabit.

Si ais : Pertinet ad Dei providentiam dare operantibus virtutem

dari distinctionem realem nisi duo entia maneant actu distincta in composito, adeoque habitum infusum per se non valere distingui realiter a facultate, nisi maneat actu distinctus a facultate. Illud autem falsum esse ducimus : Contendimus enim salvari distinctionem realem, ubi ponuntur duo entia sibi mutuo communicare realitatem, ita ut enascatur ens tertium ex utroque compositum; hoc enim dato, unum ens non est alterum proindeque ab eo distinguitur realiter, attamen non manent inter se distincta actu in composito. Talem autem unionem fieri inter habitum infusum et facultatem pro certo habemus. Quare cadit omnis ratio ob quam cl. auctor rejicit distinctionem realem virtutum et animae.

(1) *De fine hominis,* c. XIV, § 5, litt. D. — (2) L. III *de aux.* c. IV, n. 15. — (3) In I p. d. XX, c. III et IV. — (4) T. II, d. VI, q. III, n. 268. — (5) *De aux.* d. I, p. IV, n. 9. — (6) Cf. D. TH. I, q. CV, a. 2.

intrincecam ; secus actus non fiunt modo connaturali. Atqui haec non potest esse nisi qualitas fluens. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Si sermo sit de operationibus *naturalibus, Conc.;* de *supernaturalibus, Subd.* quando homo est per justitiam aut fidem jam *elevatus ad statum supernaturalem, Conc.;* quando propria culpa se constituit *extra hunc statum, Neg. Conc. min.* — b) *Transm. maj. Neg. min.* Ratio negandi est, quia qualitas fluens et mortua non confertur connaturaliter peccatori; contra enim is, qui habitu supernaturali caret, modo connaturali operatur potius per elevationem extrinsecam. Si actus supernaturales fieri non possent connaturaliter absque principio intrinseco, et si qualitas mortua ac fluens secum non traheret magna incommoda, tunc dicenda esset infundi a Deo.

II^m Arg. Patres adversus pelagianos et semipelagianos studiose inquirunt et stabiliunt necessitatem, gratuitatem, exellentiam gratiae praevenientis et adjuvantis ; saepe dicunt Deum donis suis incipere processum justificationis, eum agere et operari in homine ; ubi vero explicant quid Deus in homine agat et infundat, de illustratione et inspiratione loquuntur, quas dicunt esse Dei donum et gratiam, de cogitatione bona caelitus immissa, de pia voluntatis motione, de suavitate et jucunditate, de ipsa volitione sicut oportet a Deo data ; altum vero tenent silentium de qualitate mortua : haec tamen praecise foret donum a Deo primo infusum et principium supernaturalitatis, ac proinde sola foret gratia, uti fatetur Gotti (1). Atqui hujusmodi silentium est argumentum Patres adversari isti qualitati, nedum ei faveant. Ergo. — Constat major ex multis testimoniis quae adducta sunt cum probatum est illustrationem et inspirationem a Patribus cohonestari nomine gratiae. Sufficiat citasse Tridentinum in sessione XIV, c. IV, ubi actus attritionis asseritur esse impulsus Spiritus Sancti nondum inhabitantis, sed tantum moventis, quo paenitens adjutus viam sibi parat ad justitiam.

Si ais : Patres etiam nullibi dicunt actum supernaturalem differre ab actu naturali penes diversum objectum formale-sub-quo, et, non obstante hoc silentio, vindicatur illud discrimen. Ergo a pari ex silentio SS. Patrum de qualitate mortua nequit concludi non dari hujusmodi qualitatem.

Resp. *Negatur paritas.* Quaestio enim de objecto formali-sub-quo est *mere scholastica* quam Concilia et Patres nullo pacto agitaverunt. Con-

(1) Gotti : In II p. tract. VI, q. II, § 2, n. 4.

tra quaestio an actus supernaturalis efficiatur beneficio qualitatis mortuae est quidem scholastica, verum non est mere scholastica : est, inquam, scholastica, siquidem investigat naturam gratiae active sumptae ; non est mere scholastica, nam in hac qualitate reponeretur donum supernaturale distinctum ab omni alio dono, cujus exsistentia revelatione innotesceret. Ita etiam quaestio an dentur habitus infusi est scholastica, cum inquirat de causa actuum salutarium ; at non est mere scholastica, ideoque habituum exsistentia commonstratur testimoniis revelationis.

III^m Arg. Repugnare videtur qualitas suapte natura postulans interitum sui. Atqui qualitas non potest esse suapte natura mortua et fluere, quin suapte natura postulet interitum sui. Ergo. — Constare videtur major quia natura entis cui inest positiva entitas, videtur non posse inclinari positive in tantum sui malum : « satis enim apparet, ait Augustinus (1), quantum refugit natura non esse, » quod deinde idem doctor longa inductione ostendit.

Prob. min. Si enim ex natura sua non postulat interitum, dicendum est eam interire, citra hujusmodi exigentiam, vel operatione divina, vel operatione causae secundae, vel defectu subjecti aut conditionis ad permanentiam requisitae. Atqui *non primum :* Deus enim se conformat naturae rerum ; quare quod ex natura sua postulat permanere, id non corrumpitur a Deo. — *Non secundum :* causa enim secunda corrumpens qualitatem foret qualitas contraria. Atqui nullum hujusmodi contrarium assignari potest. — *Non tertium :* α) subjectum enim qualitatis est anima quae permanet ; β) a nulla conditione pendet : non enim pendet a cogitatione aut affectione cujus principium fuit : causa enim non pendet ab effectu ; deinde uti hos effectus produxit, ita et alios similes producere posset. Ergo (2).

Si ais 1°. Species intelligibiles diu servatae suapte natura paulatim deficiunt absque praesentia contrarii et absentia causae, uti experientia testatur. Ergo non repugnat qualitas deficiens suapte natura absque exigentia alterius creaturae.

Resp. *Neg. ant.* Species intelligibiles probabiliter exstinguuntur quia extinguuntur species phantasiae ; vel etiam non extinguuntur, sed intellectus jam impotens fit omnibus speciebus acquisitis uti ad efformandas ideas actuales.

Si ais 2°. Non est absurdum ut qualitas indirecte exigat desitionem

(1) Aug. l. XI *de civ. Dei*. c. xxvii. — (2) Cf. Ripalda l. c. s. 3.

sui. Spes enim postulat consecutionem boni, qua comparata, ipsa spes evanescit; duratio postulat effectum formalem successivum, quo ipsa fluit. Ergo a pari potest qualitas fluens destinari ad actum, quo posito, ipsa deficit.

Resp. a) Sunt qui negant antecedens : eorum judicio spes et desiderium non pereunt boni consecutione, sed componi possunt cum possessione boni. Iidem negant suppositum, nempe durationem esse realiter distinctam a re durante. — b) *Neg. conseq.* et *negatur paritas :* Nulla datur ratio ab quam consecutio effectus, seu positio actus, secum traheret corruptionem qualitatis.

Si ais 3°. Ut alicui qualitati ulterior duratio connaturaliter repugnet, non requiritur exigentia positiva qualitatis, aut causa extrinseca, sed sufficit limitatio perfectionis. Limitatio rei limitat exigentiam perfectionum ad certam quantitatem; ut major perfectio denegetur, sufficit quod desit naturalis exigentia. Ergo sola absentia exigentiae diuturnioris conservationis a Deo potest esse ratio ob quam Deus subtrahat naturalem influxum, adeoque corrumpat qualitatem.

Resp. Ista ratio facit *probabilem* opinionem asserentium non offendi implicantiam contradictionis in sententia thomistarum. Attamen non certo aufert repugnantiam ob seq. rationem : Ut Deus neget formam non exsistentem, sufficit absentia exigentiae; sed ut exsistentem destruat, exigitur positiva illius exigentia. Jamvero in praesenti casu deficit exigentia positiva, nam qualitas servat suam capacitatem efficiendi alios actus : ejus enim virtus non exhausta fuit unico actu. Ergo non positive exigit corrumpi.

102. — SECUNDA PARS. ADMITTI NEQUIT SENTENTIA REPONENS PRINCIPIUM SUPERNATURALITATIS MOTUUM GRATIAE PRAEVENIENTIS IN MODO AB ANIMA REALITER INDISTINCTO.

Haec sententia refutata manet plerisque rationibus modo tactis. Praeterea refutatur sequenti argumento. Si reapse daretur iste modus ad quam connaturaliter sequeretur motus gratiae praevenientis, tunc in isto modo consisteret gratia active sumpta a Deo data ad salutariter operandum. Atqui admitti nequit hanc gratiam stare in modo indistincto a facultatibus animae. Ergo. — *Prob. min.* Per gratiam a Deo infusam superadduntur vires physicae viribus facultatis, quibus nempe suppletur intrinseca et physica impotentia facultatis ad operandum et tollitur entitativa improportio potentiae ad actum. Atqui hujusmodi vires non consistunt in modo indistincto a facultatibus animae; verum aut consistunt in entitate nova, qualis est habitus per se infusus, in

perfectione nova, potentia nova, intrinsecus quidem unita facultatibus et ex eis educta nutu Dei omnipotentis, sed eis realiter superaddita adeoque ab eis distincta, aut consistunt in speciali Dei concursu quo suppletur defectus habitus infusi. Ergo.

Si ais : Modus non dat quidem realitatem novam, verum tribuit *novam vim;* amplificat enim potentiam naturalem, actuando scilicet obedientialem potentiam. Atqui hoc sufficit ut verificentur formulae ecclesiasticae. Ergo.

Resp. a) Impossibile est ut detur naturae vis nova, nisi ei conferatur perfectio seu entitas nova; quare tollitur implicite id quod explicite ponitur. — b) Sensus obvius Patrum et Conciliorum exigit ut dicantur conferri naturae vires entitative distinctae a viribus naturalibus.

Satisfit difficultatibus.

103. — Obj. 1°. Patres admittunt a Deo infundi qualitatem non vitalem, quae principimm sit illustrationis et volitionis. Dicunt enim gratiam nobis sine nobis infundi. Atqui hoc convenit qualitati mortuae eique soli. Ergo.

Resp. a) Manifestum est Patres haec asserere de *illustratione et inspiratione formaliter* non vero causaliter inspectis. Illud enim constat quia Augustinus in libris ad Bonifacium *contra duas epistolas Pelagii* ait : « Ut *velimus* sine nobis operatur, » et ad Simplicianum : « Quod autem voluerimus, praestat, » et Bernardus : « Tria Deus operatur in nobis, bonum cogitare, velle et perficere, primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos » (1). — Porro b) sic explicatur ista formula : Gratia fit in nobis sine nobis prius merentibus gratiam, nos ad eam positive disponentibus, libere ac deliberate agentibus; fit etiam sine nobis supernaturalitas motus gratiae praevenientis, sed non fit *integer* actus sine nobis *indeliberate* agentibus. Inde patet quomodo distinguatur argumentum quod oppositum fuit.

Obj. 2°. Patres affirmant Deum per gratiam excitare, pulsare, tangere, vocare hominem. Atqui haec optime conveniunt qualitati mortuae, est enim id quo Deus excitat, pulsat; aegre conveniunt actibus intellectus et voluntatis : secus enim dicendum est pulsationem non esse totaliter a pulsante sed etiam a pulsato. Ergo.

---

(1) Aug. *Contra duas epist. Pelagii,* l. II, c. iii. *Ad Simplic.* l. I, q. a circa med. Bernard. *De gr. et lib. arb.* c. xiv, n. 46. M. CLXXXII, 1026.

Resp. 1. Actus vitalis illustrationis et inspirationis, si earum natura attenditur, convenientissime, licet metaphorice, appellantur hoc nomine. Etenim motus gratiae praevenientis sunt causa moralis actus salutaris, seu movent, excitant hominem ad actum bonum; cum in hunc finem a Deo tamquam causa principali efficiantur, convenienter dicitur Deus pulsare cor earum infusione. Confirmatur quia in Apocalypsi consensus salutaris vocatur *aperitio* cordis; ergo motus gratiae praevenientis vocatur convenienter *pulsatio* cordis. — 2. Talem esse reapse mentem ss. Patrum hanc locutionem usurpantium, manifestum est quia non raro naturam hujusce divinae pulsationis explicant dicendo Deum corda hominum pulsare aut tangere docendo, illuminando, inspirando etc. Sic Augustinus : « Vocat undique ad correctionem... vocat per intimam cogitationem » (1); « Videte quomodo trahit Pater : *docendo* delectat » (2); « Quis potest credere nisi aliqua vocatione, h. e. aliqua *rerum testificatione tangatur ?* Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem » (3)? Sic etiam episcopi afri ad Zosimum P. scribentes aiunt Deum *tangere* corda filiorum *inspirationibus* (Denz. n. 92). Sic etiam Tridentinum ait Deum corda tangere per *illuminationem* et *inspirationem*.

Obj. 3°. Eo quod rejiceretur qualitas mortua, consequeretur primam gratiam a Deo datam reponi in illustratione et inspiratione. Atqui hoc admitti nequit. Ergo. — *Prob. min.* Quod supponit gratiam praeviam, non est gratia primo a Deo data. Atqui illustratio et inspiratio supponunt gratiam praeviam. Ergo. — *Prob. min.* Illustratio et inspiratio, cum sint entitative supernaturales, supponunt auxilium supernaturale a Deo collatum. Atqui in hoc auxilio verificatur notio gratiae praeviae ad hos actus. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ex rejecta qualitate mortua consequitur primam gratiam homini *intrinsecam* reponi in illustratione et inspiratione, *Conc.;* primum donum gratuitum *quocumque modo acceptum, Neg.* aut *Subd.* primam gratiam quae disertis verbis commemoratur a Scripturis, Patribus, Conciliis, *Conc.* (cfr. thesim de nominibus gratiae); primam gratiam quae potest erui ratiocinio ex revelatione, *Neg.* Patet responsio quia in sententia quam tuemur primum donum Dei reponitur in concursu Dei speciali qui est natura prior quam illustratio et inspiratio utpote earum causa. — *Cdt. min.* Admitti nequit primam gratiam *quocum-*

(1) Aug. *In Ps.* cii, n. 16. M. XXXVII, 1330. — (2) Id. *Tract.* xxvi *in Joh.* n. 7. M. XXXV, 1610. — (3) Id. *Ad Simplic.* l. I, q. ii, n. 21. M. XL, 126.

que modo acceptam contineri illustratione et inspiratione, *Conc.;* primam gratiam homini *intrinsecam, Subd.* admitti nequit primam gratiam intrinsecam collatam ei qui ornatur habitu *per se infuso* contineri hisce actibus, *Conc.;* primam gratiam intrinsecam collatam ei qui *caret habitu per se infuso, Neg.* — Ad probationem minoris respondetur *concedendo majorem* et *distinguendo minorem* eadem ratione. — Ad prob. min. resp. *distinguendo majorem :* Illustratio et inspiratio supponunt Dei auxilium illudque *intrinsecum homini aut extrinsecum, Conc.;* supponunt auxilium *intrinsecum, Subd.* in eo *qui habitu per se infuso instruitur, Conc.;* in eo qui habitu infuso caret, *Neg.* — Nomine gratiae externae intelligi solent revelatio, Ecclesia, praedicatio verbi divini et alia id genus. Concursus Dei specialis annumerari solet intra gratias *internas;* vocari tamen potest gratia externa, quatenus, uti est activus, non unitur intrinsecus homini, licet tamen non sit proprie externus homini. Hic concursus, cum sit causa actus, est eodem natura prior, dummodo consideretur in actu primo, seu uti est *oblatus;* in actu enim secundo est natura simul atque effectus.

Obj. 4° Natura ex se est physice impotens eliciendi actum supernaturalem. Atqui talis natura nequit actum supernaturalem elicere, nisi ei conferatur principium supernaturale quo potens fiat ; hujusmodi autem principium est qualitas thomistica. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Natura relicta sibi h. e. *neque intrinsecus neque extrinsecus elevata,* est impotens physice etc., *Conc.;* natura relicta sibi h. e. *non elevata intrinsecus,* attamen extrinsecus elevata, est physice impotens, *Neg.* — b) *Transm. maj. Dist. min.* Natura ex se physice impotens eliciendi actum supernaturalem nequit hunc actum elicere, nisi ei conferatur principium *intrinsecus aut extrinsecus* elevans facultates, *Conc.;* nisi ei conferatur principium *intrinsecus* elevans facultates, *Neg.* Instantiae fient ad thesim sequentem.

§ 3. Defectum habitus infusi supplet Deus elevando extrinsecus facultates, seu de potentia obedientiali activa.

Suar. *Met.* d. xliii, sect. 4; *in III part. s. Th.* t. I, d. xxxi, s. 6. Rip. d. xxxiv.

104. — NOTIONES. Ad hunc locum servavimus notionem potentiae obedientialis, quae passim in praejactis fuit insinuata.

A. Descriptio. Deus vi omnipotentiae habet plenum dominium in creaturam, adeoque in ea et per eam producere potest quidquid est

absolute possibile in ea aut per eam fieri. Isti Dei dominio respondet in creatura potentia qua plane Deo subjicitur ad recipiendum aut agendum, sub influxu Dei virtutis, quidquid est possibile. Ista potentia merito vocatur *obedientialis,* siquidem vi illius creatura obedit Deo. Patet eam dispesci in passivam seu receptivam et in activam. Essentialiter inesse cuilibet creaturae utramque potentiam, liquido constat ex natura Dei et creaturae.

B. Definitio potentiae obedientialis passivae. Est capacitas quam res creatae habent ad recipiendos aliquos actus divinae et supernaturalis virtutis quos per naturales causas recipere non possunt. Isti actus sunt accidentia, qualitates, habitus sive ornativi sive operativi, ad quae creatura nullam exigentiam habet, quae transcendunt naturalem ejus capacitatem, adeoque a solo Deo efficienter ex creaturae potentia educi valent. — Vi istius potentiae beati recipiunt lumen gloriae quo roboratur intellectus in ordine ad Deum contemplandum facie ad faciem ; vi ejusdem potentiae anima recipit gratiam sanctificantem et habitus virtutum. Juxta non paucos auctores, uti dictum est, ubi deest habitus operativus, Deus infundit, pro tempore actionis, qualitatem supernaturalem qua defectus habitus suppletur. Multi tenent similem qualitatem infundi sacramentis, qua nempe haec nata sint instrumentaliter attingere gratiam. — Creatura dicitur receptione horum donorum *elevari.* Attamen *elevatio* solet sumi active pro auxilio superioris agentis rei indebito quo haec ultra ordinem naturalem evehitur (1).

C. Definitio potentiae obedientialis activae. Haec potentia duplicitur sumitur, generice et specifice.

1. *Generice* sumpta definitur capacitas ad efficiendas, ex virtute Dei, certas actiones, quae naturaliter a natura procedere nequeunt. Aut cum Ripalda : aptitudo rerum creatarum ut, pro arbitro agentis superioris ejusque auxilio ipsis indebito, munus impleant quod nativa

(1) Quod nomen, vox *potentia obedientialis* vel *potentia obedientiae* jam usu recepta erat tempore s. Thomae. Ait enim in III, q. XI, a. 1 : « In anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva : una quidem per comparationem ad agens naturale ; alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum altiorem actu in quem reducitur per agens naturale ; et haec *consuevit* vocari *potentia obedientiae.* » — Item *de potentia* q. VI, a. 2, ad 18 : « Quanto aliqua virtus activa est altior, tanto eamdem rem potest perducere in altiorem effectum... unde nihil prohibet quin natura sit in potentia ad aliqua fienda per divinam potentiam quae inferior potentia facere non potest. Et ista vocatur *potentia obedientiae,* secundum quod quaelibet creatura Creatori obedit. » Cfr. ib. q. I, a. 3, ad 1 ; *de Virtutibus,* q. un. a. 10, ad 13 ; *C. Gent.* l. III, c. I, prooem. ; *de Verit.* q. VIII, a. 4, ad 13 et q. XXIX, a. 3, ad 3 ; III, q. I, a. 3, ad 3 ; in I dist. 42, q. II, a. 2, ad 4

virtute et concursu sibi debito implere non possunt ([1]). — Huic potentiae respondet in Deo elevatio activa quod est auxilium superioris agentis naturae creatae indebitum, quo haec munus exsequitur quod propria virtute cum concursu Dei debito exsequi non potest. — Ex iis quae supra fuerunt ostensa, perspicuum est hominem in hac terra insigniri potentia obedientiali activa generice sumpta. Ostensum enim est hominis facultates esse activas in eliciendis actibus supernaturalibus, adeoque ipsis concedi a Deo auxilium supernaturale. — Qui negant actus ordinis salutaris esse entitative supernaturales et solum supernaturalitatem quoad modum tuentur, tamen potentiam obedientialem activam retinent, siquidem haec se porrigit ad omnes actus supernaturales sive entitate sive *modo*. — Vi ejusdem potentiae eliciuntur a comprehensoribus actus vitales quibus Deum intuentur et, eo viso, beatificantur. Demum non desunt auctores qui asserunt thaumaturgum esse causam efficientem physicam miraculorum, ritusque sacramentales esse causas physicas gratiae sanctificantis, adeoque instrui potentia obedientiali activa.

2. *Specifice*. Sub hoc genere potentiae obedientialis activae continetur duplex species, pro duplici specie auxilii a Deo praestiti, vive pro duplici elevatione.

a) Vel enim facultatibus praevie ad actum, vi potentiae obedientialis passivae, infunditur habitus aut qualitas supernaturalis quae tribuat supernaturalitatem actui vitaliter a facultate eliciendo. Porro aptitudo qua instruitur natura ad eliciendum actum supernaturalem, vi elevationis intrinsecae, aut cum concursu qualitatis habitusve, vocatur *potentia obedientialis activa lato sensu*, et a non paucis auctoribus reducitur ad *passivam*. Vi istius potentiae eliciuntur actus supernaturales, ubi infusi fuerunt a Deo habitus supernaturales; vi ejusdem potentiae, juxta neothomistas, eliciuntur actus supernaturales ab his qui habitibus carent, siquidem praevie ad actum iis infunditur qualitas fluens.

b) Vel facultati ante actum supernaturalem nulla infunditur qualitas adeoque haec exserit vires suas naturales, verum Deus facultati agenti praestat concursum nobiliorem indebitumque, quo fit ut terminus, qui ex activitate utriusque causae procedit et in facultate recipitur, transcendat ordinem naturalem. — Concursus iste Dei vocatur *elevatio extrinseca*, est enim id quo facultas elevatur, estque facultati extrin-

([1]) Ripalda, *De ente*, d. xxiv, n. 4.

secum. — Aptitudo eliciendi actum supernaturalem vi elevationis extrinsecae vocatur *potentia obedientialis activa sensu presso.*

Qui tuentur causalitatem physicam thaumaturgi in productione miraculi, et sacramentorum in productione gratiae, abeunt in duas sententias circa quaestionem num potentia ista obedientialis activa sit stricto sensu talis an lato sensu.

Observa. Si quaeritur utrum potentia obedientialis activa sensu presso realiter differat a potentia *naturali,* cum distinctione respondetur : differt nempe *extrinsecus,* siquidem prae naturali stipatur concursu Dei indebito ; deinde differt intrinsecus *terminative,* siquidem immanenter proindeque intrinsecus recipit, prae naturali, terminum supernaturalem ; verum non differt intrinsecus, si *principiative* inspicitur : idem scilicet principium easdem vires exserit et tendit in idem objectum materiale ac formale, at diverso modo concurrit Deus, ideoque fit ut alio modo attingatur objectum formale, ut diversum sit objectum formale-sub-quo, ita ut actus modo sit naturalis, modo supernaturalis.

QUAESTIO. Quaeritur quodnam sit principium conferens supernaturalitatem actibus, ubi desunt habitus per se infusi correspondentes. Omnes qui negant infundi a Deo qualitates fluentes, affirmant defectum habitus suppleri *per concursum Dei specialem indebitumque* citra elevationem intrinsecam, adeoque facultates humanas instrui *potentia obedientiali activa sensu presso.* — Contra qui tuentur qualitates fluentes, asserunt repugnare ut actus supernaturalis fiat sine auxilio intrinseco, per solam elevationem extrinsecam.

THESIS XV^a^. — Defectum habitus per se infusi non modo supplere potest Deus, sed reapse supplet, praebendo facultati indeliberate agenti concursum specialem indebitumque quo fit ut actus vitaliter a facultate elicitus ordinem naturalem transcendat.

105. — PRIMA PARS. Possibilis est potentia obedientialis activa sensu presso. — Patet eum esse sensum hujus partis : Deus potest tribuere supernaturalitatem motui gratiae praevenientis speciali modo concurrendo operationi facultatis, quo nempe concursu efficit in actu id quod in eo efficitur concursu habitus, ubi hic adest.

Prob. I^m^ Arg. Deus potest facere immediate per se quidquid potest facere per causam secundam, excepta vitalitate actus (1). Atqui per

(1) D. Th. I, q. cv, a. 2.

causam secundam, scilicet per habitum infusum, valet conferre supernaturalitatem illustrationi et inspirationi. Ergo potest eam producere immediate. *Ad majorem :* a) Deus, qui solo nutu voluntatis efficacis ad extra creat, conservat, infundit gratiam sanctificantem, valet profecto eodem nutu, citra interventum causae secundae, producere supernaturalitatem in actu. b) Excipitur vitalitas, siquidem contradictionem involvit quod vitalitas producatur ab eo qui terminum productum non immanenter recipit.

II^m Arg. In tantum impossibilis foret potentia obedientialis activa, in quantum ejus actus, a facultate extrinsecus elevata elicitus, vel non posset esse vitalis, vel non posset esse supernaturalis. Atqui neutrum dici potest. Ergo. — *Prob. 1ª pars min.* a) Ad vitalitatem actus non exigitur ut omnia ejus principia vitaliter agant, sed sufficit ut unum, intrinsecus aut extrinsecus adjutum, sic operetur ; respectu hujusce principii actus dicendus est vitalis, et merito : idem enim principium agit et recipit terminum actionis ; non officit vitalitati quod idem terminus fuerit effectus ab alia causa. b) Si vitalis non esset actus effectus a facultate quia Deus eum elevat beneficio concursus specialis, eodem jure negaretur vitalem esse actum ad quem Deus concurrit concursu naturali. — *Prob. 2ª pars min.* 1. Ille actus est supernaturalis quo natura elevatur ultra ordinem suum ; sive aliter qui ex una parte perficit naturam, ex altera transcendit naturalem capacitatem, ac proinde fieri nequit a natura sibi permissa cum concursu debito Dei. Atqui talis est actus elicitus vi potentiae obedientialis activae ; facultas enim sibi permissa, et stipata concursu Dei generali ac debito, est physice impotens producendi talem perfectionem immanenten, neque ullam exigentiam habet sive ad concursum Dei specialem sive ad hunc terminum. Ergo reapse erit supernaturalis. — 2. Supernaturalis est actus qui efficitur a facultate cum concursu habitus per se infusi. Ergo supernaturalis est actus qui efficitur a facultate cum concursu Dei speciali, siquidem Deus ita concurrendo supponitur efficere immediate omne id quod efficit mediante habitu, quoties hic adest.

106. — SECUNDA PARS. De facto illustratio et inspiratio eliciuntur beneficio concursus Dei specialis et indebiti, quoties deest habitus per se infusus.

Prob. A. De illustratione. Intellectus efficit immediate illustrationem ; cum hoc actu contineatur prima gratia praeveniens, ad eum efficiendum facultas naturaliter agens est physice impotens ; itaque complenda est virtus aut per elevationem extrinsecam aut per intrin-

secam. Atqui facultas non elevatur intrinsecus. Ergo elevatur extrinsecus, seu actus fiunt potentia obedientiali activa. — *Prob. min.* Elevatio intrinseca fieret per habitum aut per qualitatem fluentem, aut per aliam illustrationem quae intrinsecus inhaereret facultati et physice concurreret ad actum. Atqui a) habitus supponitur deesse; b) rejecta est qualitas mortua thomistarum; c) recurri nequit ad illustrationem praeviam, siquidem circa eam rediret quaestio et dilaberemur in infinitum. Ergo.

B. De inspiratione. In superiori capite probatum est in praesenti ordine ad actum salutarem non sufficere inspirationem mediatam, seu motum pium voluntatis connaturaliter consequentem ad illustrationem a Deo intellectui immissam, sed exigi ut Deus immediate in voluntate operetur efficiendo in ea inspirationem immediatam. Atqui novum istud Dei auxilium non reponitur in habitu a Deo vehementius moto ad agendum, siquidem hic habitus supponitur deesse; neque reponitur in qualitate mortua, neque in modo a voluntate indistincto a Deo in voluntate producto. Ergo restat ut dicatur consistere in concursu speciali indebitoque quem Deus praestat voluntati indeliberate agenti.

Addatur argumentum s. Thomae, quod proponetur in capite VI°, ubi de gratia efficaci ad mentem Angelici dicetur.

Satisfit difficultatibus.

107. — **Obj.** 1°. Concursus Dei specialis non confert supernaturalitatem motibus gratiae praevenientis; sed principium supernaturalitatis est qualitas aut modus. Etenim natura secundum se est intrinsece impotens ad efficiendum actum supernaturalem. Atqui natura intrinsecus impotens nequit efficere suum actum, nisi reddatur intrinsecus potens (secus dicendum esset effectum procedere a causa intrinsecus impotente, quod est absurdum; jam vero ab intrinsecus impotente non redditur intrinsecus potens, nisi intrinsecus mutetur, proindeque, si agitur de actu supernaturali, nisi intrinsecus elevetur. Ergo.

Resp. 1. Cum adversus pelagianos probatur naturam esse physice impotentem ad eliciendum actum salutarem et motus gratiae praevenientis, sensus est eam non valere efficere actum *per facultatem naturalem stipatam concursu Dei generali;* proindeque eam esse elevandam sive intrinsecus, Deo connaturaliter concurrente, sive extrinsecus per assistentiam specialem Dei. — 2. Intrinseca impotentia sumitur dupliciter : a) pro *physica* impotentia, absoluta impotentia, quae opponitur morali

impotentiae. Sic sumitur in superioribus thesibus. b) Pro incapacitate agentis *considerati secundum intrinseca sua*, nempe secundum essentiam et ea quae ipsi inhaerent. — Physica impotentia tolli potest auxilio intrinsecus infuso aut auxilio extrinseco, aliis verbis elevatione intrinseca aut extrinseca. Si tollitur elevatione extrinseca, remanet impotentia intrinseca posteriori sensu accepta, siquidem natura secundum essentialia remanet impar eliciendo actui. — Quare *Conc. maj. Dist. min.* Natura ex se intrinsecus impotens eliciendi actum supernaturalem nequit efficere actum nisi fiat intrinsecus potens h. e. nisi reddatur *physice* potens beneficio elevationis *intrinsecae, aut extrinsecae, Conc.;* nisi reddatur physice potens beneficio elevationis *intrinsecae, Neg.* Ad rationem respondetur distinguendo eodem modo.

Inst. Atqui facultas intrinsecus impotens eliciendi actum supernaturalem non redditur physice potens nisi per elevationem intrinsecam. Etenim :

Obj. 2°. Actus supernaturalis est vitalis. Atqui facultas ab intrinseco impotente eliciendi actum vitalem supernaturalem non fit physice potens nisi intrinsecus elevetur. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Actus supernaturalis deliberatus seu *salutaris* est vitalis secundum omnia elementa sua, *Conc.* (Cfr. postea dicenda) ; actus supernaturalis *indeliberatus*, seu *motus gratiae praevenientis, Subd.* hic actus sumptus *formaliter qua supernaturalis* dicendus est vitalis, seu *modus supernaturalitatis* vitaliter debet produci a facultate, non tantum ubi datur habitus per se infusus huic actui correspondens, sed etiam ubi hic habitus deest, *Neg.;* hic actus *materialiter* acceptus est vitalis ratione aliarum formalitatum adeoque quoad substantiam, *Conc.* — *Cdt. min.* Facultas intrinsecus impotens actum vitalem eliciendi *ratione omnium formalitatum* hujusce actus non redditur physice potens nisi intrinsecus mutetur, *Conc.;* facultas intrinsecus quidem impotens vitaliter eliciendi actum *ratione alicujus modi qui aliter produci valet*, intrinsecus vero potens vitaliter eliciendi actum *secundam substantiam*, non fit physice potens nisi intrinsecus elevetur, *Neg.*

Inst. Atqui illustratio et inspiratio vel vitaliter eliciuntur secundum omnes formalitates in ea considerabiles, vel secundum nullas. Nam illustratio et inspiratio, haud secus ac quilibet actus intellectualis aut volitivus, sunt simplices. Atqui ens simplex vel vitaliter elicitur secundum omnes formalitates quibus constituitur, vel vitalitas est nulla. E.

Resp. *Dist. maj.* Hi actus sunt *quantitative* simplices, *Conc.;* non valent affici modo qui *distinctione modali* ab iisdem distinguatur, et a

Deo inducatur, *Neg.* — *Cdt. min.* Actus qui *nullo afficitur modo,* vel vitaliter elicitur secundum omnes formalitates, vel nulla ei est vitalitas, *Conc.;* actus quantitative quidem simplex, verum *ornatus modo a Deo producibili, Neg.*

Inst. Atqui supernaturalitas motuum gratiae praevenientis non distinguitur modaliter a ceteris formalitatibus vitaliter productis a facultate. Etenim a) sic dantur in mente et in voluntate duo, unum naturale, alterum supernaturale, quod sane falsum est. b) Illustratio et inspiratio jam dicendae erunt supernaturales quoad modum, contra id quod supra probatum est.

Resp. *Neg. min. subs.* Ad 1^{m} prob. *distinguitur :* Darentur duo *manentia inter se distincta, Neg.; intrinsecus unita* et constituentia unum actum qui est compositus ex duabus formalitatibus, ratione quarum pendet tum a speciali Dei concursu tum a facultate, *Conc.* — Ad 2^{m} probat. *distinguitur :* Actus foret supernaturalis quoad modum qui est *entitative supernaturalis* et qui elevat totum actum ad ordinem excelsiorem, *Conc.;* quoad modum qui est *entitative naturalis, Neg.*

Explic. In actu supernaturali distinguitur duplex formalitas : formalitas intellectionis et volitionis, qua nempe facultas intraneum sibi facit objectum formale, et supernaturalitas seu modus supernaturalis secundum quem objectum formale est intraneum facultati. Nil obstat quin in omni actu supernaturali, sive productus fuerit per elevationem intrinsecam, sive per extrinsecam, supernaturalitas dicatur modaliter distincta ab essentia actus, eodem modo quo actus quilibet distinguitur a facultate. — Hoc autem posito, facultas cum concursu Dei generali producit essentiam intellectionis et volitionis; supernaturalitas illustrationis et inspirationis producitur a solo Deo qui per concursum specialem elevat actum vitaliter a facultate productum, adeoque efficit ut objectum formale-sub-quo intrinsecum sit supernaturale, seu ut objectum formale-quod inhaereat facultati modo supernaturali. Quamobrem actus supernaturalis illustrationis et inspirationis, productus elevatione extrinseca, est vitalis, non quidem secundum supernaturalitatem ipsius, sed secundum ceteras formalitates ; actus supernaturalis, licet non constet partibus quantitativis, constat tamen partibus accidentalibus. — Et re quidem vera Deus post elicitionem actus supernaturalis posset de potentia absoluta eum modificare in deterius, corrumpendo modum supernaturalem : remaneret id praecise quod a facultate fuit immanenter productum. Quo momento facultas hunc actum efficiebat, Deus eum elevabat superaddendo supernaturalitatem.

Observa. In omni actu *salutari*, supernaturalitas procedit a principio intrinseco naturae, adeoque totus est vitalis (Cf. th. XVII); idem est dicendum de motu gratiae excitantis, ubi datur habitus per se infusus.

Obj. 3°. Natura est causa principalis actus supernaturalis. Si enim Deus esset causa principalis, natura vero causa instrumentalis, sequeretur Deum esse qui intelligit et vult, siquidem causa principalis est quae denominatur intelligens et volens. — Atqui natura esse nequit causa principalis actus supernaturalis, nisi agat per elevationem intrinsecam. Ergo. — *Prob. min.* a) Causa principalis agere debet per virtutem sibi intrinsecam et effectui proportionatam. Atqui talis virtus, si agitur de actu supernaturali, est elevatio intrinseca. Ergo. — b) Actio non potest oriri a causa principali, nisi haec sit constituta in actu primo ad agendum. Atqui natura non est in actu primo, nisi intrinsecus elevetur; non enim est in actu primo per entitatem naturalem, neque per virtutem Dei sibi prorsus extraneam. Ergo.

Resp. Natura *secundum quid* est causa principalis, si nempe actus consideratur uti est vitalis intellectio aut volitio; hoc enim principaliter habet actus a natura; quare sub hoc respectu tum concursus Dei, sive generalis si agitur de actu naturali, sive specialis si sermo fit de actu supernaturali, tum habitus infusus, habent tantum rationem causae instrumentalis. — Verum si actus consideratur ut *praecise supernaturalis*, causa ejus principalis dicenda est sive habitus infusus, sive Deus extrinsecus assistens, causa autem instrumentalis est natura. — Manifestum est syllogismum principalem et primam probationem supponere naturam dicendam esse causam principalem actus qua praecise est supernaturalis. Quod si verum esset, sequeretur eam intrinsecus esse elevandam priusquam agit, siquidem causa principalis debet esse proportionata effectui. — Quare respondetur *distinguendo majorem:* Natura est causa principalis actus supernaturalis si *materialiter* sumitur, aut uti est formaliter *vitalis intellectio, Conc.;* si sumitur uti *formaliter supernaturalis* est, *Nég. Cdt. min.* — Ad 1m prob. *Conc. maj. Dist. min.* Virtus intrinseca naturae et proportionata actui *qua supernaturali*, est sola elevatio intrinseca, *Conc.;* qua vitali *intellectioni et volitioni, Neg.* Virtus enim intrinseca et proportionata est natura cum facultatibus. — Ad 2m prob.: Causa quaelibet, sive principalis sive instrumentalis, debet constituta esse in actu primo ut valeat transire ad actum secundum; ad actum primum pertinet Dei concursus non quidem reapse jam collatus (daretur enim actus secundus), sed *oblatus* et *paratus*. Quare ad actum naturalem praesto esse debet concursus generalis; ad actum

supernaturalem praesto esse debet concursus specialis, ubi deest habitus infusus. Quare *Conc. maj. Neg. min.* Ad actum primum sufficit ut elevatio extrinseca sit parata et oblata.

Obj. 4°. Actus procedentes a facultate extrinsecus elevata essent ejusdem speciei atque actus procedentes a facultate intrinsecus elevata. Atqui hoc est impossibile. Ergo. — *Prob. min.* Actus procedentes a causis specifice diversis sunt et ipsi specifice diversi. Atqui facultas intrinsecus elevata et facultas extrinsecus elevata differunt specifice. Ergo.

Resp. a) Alii *negant majorem.* Concedunt causas citatas specifice differre; at asserunt actus sumere speciem non tantum ab objecto, sed etiam ex causa; quare concludunt hos actus specie differre. — b) Alii dicunt actum supernaturalem sumere speciem a principio supernaturali, praescindendo utrum sit intrinsecum an extrinsecum; hi concedunt actus de quibus agitur esse ejusdem speciei; negant specie differre causas e quibus procedunt, *si respiciuntur secundum quod actus essentialem ordinem ad eas habent;* quare non differunt specifice nisi secundum quod elemento communi additur duplex differentia specifica ad quam actus non essentialiter ordinatur. Itaque *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist. maj.* Specifice differunt actus procedentes a causis specifice diversis ad quarum *genus et differentiam specificam* hi actus habent ordinem omnino essentialem, *Conc.;* ad quarum *genus utrique commune* dumtaxat habent ordinem essentialem, *Neg.* — c) Potest etiam negari specifice differre causas proximas. Causa enim est facultas et elevatio; jamvero elevationem intrinsecam et extrinsecam non differre specifice patet quia concursus specialis a Deo praestitus supplet defectum habitus infusi, adeoque ei perfecte proportionatur. — Ceterum difficultas eadem fieri potest quoties Deus immediate producit effectum ordinis naturalis supplendo defectum causae connaturalis.

Obj. 5°. Modus naturalis agendi causae primae est ut non efficiat sola, tamquam causa particularis, id quod efficere potest per causas secundas. Atqui Deus potest efficere actus supernaturales per auxilia supernaturalia creata. Ergo.

Resp. *Dist. maj. Ubi exsistunt* causae secundae natae effectum producere, *Conc.; ubi desunt,* potissimum ubi causae prius producendae, deinde corrumpendae forent, transacto actu, *Neg. Cdt. min.* — Ubi dantur habitus infusi per se, Deus eos excitat ut operentur, non autem solus agit, uti probatur principio allato; verum ubi desunt, nihil est ex parte modi agendi Deo consueti quod exigat ut producatur causa

intrinsecus inhaerens facultati ut ex ea procedat supernaturalitas actus.

Obj. 6°. Secundum Concilia et Patres Deus incipit negotium salutis. Atqui hoc verissimum quidem est, si actus supernaturalis fit beneficio elevationis intrinsecae, divinitus infusa qualitate mortua; falsum autem est si facultas nonnisi extrinsecus elevatur : tunc enim homo et gratia simul agunt. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus incipit negotium salutis, h. e. *Deus non exspectat* actum naturalem voluntatis ad dandam primam gratiam quam hic actus meruerit, *Conc.;* Deus dat gratiam *ante omnem actum etiam indeliberatum* hominis, *Neg.*

ARTICULUS IV.

De principio supernaturalitatis actus salutaris.

RIPALDA, *De ente supernaturali,* d. CIX, CX.

108. — Successive inquiremus 1° utrum motus gratiae excitantis, qui producti fuerunt a facultate sive intrinsecus elevata beneficio habitus per se infusi, sive extrinsecus elevata beneficio specialis Dei cooperationis supplentis defectum habitus, concurrant ad actum salutarem efficiendum, adeoque sint adaequatum aut inadaequatum principium supernaturalitatis actuum salutarium. Deinde 2° utrum in justo habitus supernaturalis ad eosdem actus concurrat. Per modum appendicis quaeremus 3° quodnam discrimen intercedat inter gratiam excitantem et gratiam adjuvantem.

Non inquiremus heic utrum praeterea Deus natura posterius ad motus gratiae praevenientis, et natura prius ad salutarem operationem, infundat qualitatem sive in solo injusto sive etiam in justo. Non infundi qualitatem qua voluntas determinetur ad unum ostendetur ubi tractabitur quaestio undenam gratia efficax habeat efficacitatem; non infundi qualitatem quae voluntatem indifferentem relinquat ad agendum, probatur argumentis supra propositis contra qualitatem mortuam quam neothomistae dicunt esse principium motuum gratiae praevenientis.

§ 1. AN GRATIA PRAEVENIENS SIT CAUSA ACTUS SALUTARIS.

109. — Quadruplex distinguitur causa : materialis et formalis, efficiens et finalis. Manifestum est gratiam excitantem non esse causam *materialem* neque *finalem* actus salutaris : causa enim materialis est anima

et facultas, e quarum potentia educuntur termini immanenter producti, causa vero *finalis* est hominis justificatio et salus, Deique gloria. Quare restat ut inquiratur de causalitate *formali* et de *efficiente*. — Causalitas formalis datur per unionem intrinsecam formae cum subjecto; quod nempe per unionem sui cum materia determinat exsistentiam compositi, est causa formalis compositi et materiae. — Duplex distinguitur causa efficiens, intelligendo hoc nomine causam quae actione influit in exsistentiam effectus : altera, quae est *physica*, actione *physica* sua attingit effectum ipsum, altera, quae est *moralis*, dignitate, petitione, merito, propositione etc., adeoque actione *morali*, movet alteram causam ut haec physice efficiat effectum. Porro quaeritur tum de causalitate physica motuum gratiae praevenientis, tum de causalitate *morali*.

I. *De causalitate physica motuum gratiae praevenientis.*

110. — Circa quaestionem num motibus gratiae praevenientis attribuenda sit causalitas physica respectu actuum salutarium, duae dantur sententiae.

Iª negat. Ei adhaerent Suarez (1), Tanner (2), Zumel (3); inter recentes, Palmieri.

IIª affirmat. Sic Bellarminus (4), Molina (5), Lessius (6), Vasquez (7), Valentia (8), Arrubal (9), Henriquez (10), Becanus (11), Stapletonius (12), Sotus (13), Ripalda l. c. Hanc sententiam probabilem putat Suarez (14).

Porro causalitas physica motuum gratiae praevenientis sic explicatur. Actus salutaris procedit a voluntate in quantum haec est informata gratia praeveniente seu entitativa perfectione quam gratia naturae tribuit; quare principium homini intrinsecum, e quo procedit actus salutaris, componitur duobus principiis partialibus intrinsecus unitis, ex facultate nempe et ex gratia praeveniente.

THESIS XVIª. — Motibus gratiae praevenientis non deest causalitas physica respectu actus salutaris, quoties deest habitus a quo hic actus connaturaliter procederet.

Abstrahimus a quaestione utrum gratia praeveniens physice influat in actum salutarem, quando *adest habitus* infusus; abstrahimus etiam a

(1) *De aux.* l. III, c. IV, n. 11. — (2) In Im IIae, d. VI, q. III, n. 265. — (3) *De aux.* d. II, concl. 1. — (4) L. I, *de gr.* c. XIII, ad Im. — (5) *Conc.* q. XIV, a. 13, d. 37. — (6) *De aux.* c. XV, n. 3 et c. XVII, n. 10. — (7) In Im IIae, d. CLXXXV, c. IX. — (8) In Im IIae, d VIII, punct. 3. — (9) In I p. d. XX, n. 27. — (10) *De fine hominis*, c. XVIII, § 8. — (11) Opusc. *de aux.* c. II. — (12) *De lib. arb.* l. IV, c. XII; in *Antidot. ad Joh.* XV, n. 15. — (13) *De nat. et gr.* c. XVI — (14) *De aux.* l. III, c. IV, n. 10.

quaestione utrum *uterque* motus praeveniens influat, *an sola inspiratio.*

111. — **Prob. I^m Arg.** *Ratione theologica.* Actus salutaris meretur praemium aliquod supernaturale : secus enim non conduceret ad salutem. Atqui ad hoc exigitur ut uterque motus gratiae praevenientis, vel saltem inspiratio, physice influat in actum salutarem quoties deest habitus. Ergo. — *Prob. min.* Actus salutaris meretur praemium ratione determinationis active et libere a voluntate procedentis, ad quam posterius natura consequitur volitio passiva immanenter recepta in voluntate. In ea enim consistit exercitium formale libertatis; quare non sufficit ut terminus, immanenter receptus, sit supernaturalis ob influxum alterius causae. Itaque necesse est ut supernaturalis sit ista activa determinatio praecise sumpta, seu praecisione facta a termino quem in voluntate producit. Atqui determinatio activa voluntatis non est supernaturalis in eo qui caret habitu per se infuso, nisi motus gratiae praevenientis physice concurrat. Ergo. — *Prob. min.* Supernaturalitatem suam non mutuatur ex habitu infuso, quippe qui deest, neque ex qualitate fluente, quippe quae rejecta fuit, neque ex elevatione extrinseca : Deus enim non concurrit nisi ad effectionem termini de novo producendo ; jamvero ista determinatio voluntatis non est hujusmodi terminus, nam ad termini cujusvis liberam productionem praerequireretur voluntatis determinatio circa quam rediret quaestio sine fine. Ergo restat ut voluntas elevata intrinsecus per gratiam praevenientem active et libere se determinet.

II^m Arg. *Ex locutionibus Conciliorum.* Si sermo sit de eo quod affirmant ac definiunt Concilia, tenendus omnino est sensus obvius verborum, nisi obstet evidenter cogens ratio. Atqui Concilia sensu obvio intellecta asserunt motus gratiae praevenientis esse gratiam adjuvantem, adeoque physice concurrere ad actum salutarem ; nulla autem ratio cogit ad deserendum sensum obvium, uti ex solutione difficultatum constat; immo cogens datur ratio tenendi sensum obvium, uti ex primo argumento est manifestum. Ergo.

Prob. min. variis modis : 1. Qui dicit hominem quasi unica gratia excitari et adjuvari, cognoscere et facere, qui praeterea hanc gratiam vocat illustrationem et inspirationem ; ille tenet motus gratiae praevenientis esse gratiam adjuvantem. Atqui sic loquuntur tum *Milevitanum* asserens in canone quarto hominem per gratiam Dei cognoscere quid appetere et vitare debeat, eumque per eamdem gratiam diligere rem cognitam eamque valere efficere ; tum *Moguntinum* asserens justificationis initium ex Dei gratia provenire qua homines excitati et adjuti,

eidem gratiae excitanti et adjuvanti consentientes et cooperantes, ad justificationem disponuntur ; tum *Tridentinum* cum in sessione VI[a], cap. V°, eamdem gratiam appellat excitantem et adjuvantem, asserit arbitrium sine illa gratia non posse se movere ad justitiam et posse se movere cum illa, declarat denique gratiam illuminationis, qua Deus tangit cor hominis, non ita efficere opus salutare, ut homo nihil omnino agat siquidem homo illam gratiam recipiens est etiam activus. Ergo. — 2. Qui propugnat necessitatem gratiae adjuvantis, saepiusque illustrationem et inspirationem vocat Dei gratiam et numquam indicat aliud Dei auxilium adjuvans, ille sensu obvio intellectus tenet motus gratiae praevenientis esse gratiam adjuvantem. Atqui sic speciatim loquitur Tridentinum l. c. Ergo. — 3. Qui dicit infusionem Spiritus Sancti et ejus illustrationem dari homini ut possit credere et ut credat, ille tenet motus gratiae praevenientis esse gratiam adjuvantem. Atqui haec est ratio loquendi Arausicani canone quarto. Ergo.

III[m] Arg. *Ex Patribus* obvie intellectis, e quibus colligenda est non modo exsistentia sed etiam essentia et efficacia auxiliorum gratiae.

1. Patres, quorum multa testimonia in primis thesibus fuerunt adducta, contra pelagianos et semipelagianos, vindicant hominem viribus naturae nullum elicere posse actum qui ad salutem conducat, sed exigi auxilium gratiae, quo insufficientia virium suppleatur. Ubi vero mentionem faciunt de gratia a Deo concessa, non afferunt nisi illustrationem et inspirationem. Atqui hic loquendi modus indicat judicio Patrum supernaturalitatem actus salutaris, in eo qui destituitur habitibus per se infusis, deberi influxui physico a motibus praevenientibus exercito. Etenim Patres sane in medio proposuerunt istas vires quas pelagiani negabant esse addendas naturae, cum ageretur de iis qui non erant justi, et de modo quo ad justitiam eis erat perveniendum; itaque si de solis gratiis praevenientibus sunt locuti, concludendum est vires physicas naturae superadditas et beneficio quarum elicitur actus salutaris, reponendas esse in gratia praeveniente.

2. Adversos Pelagium contendit Augustinus in ultimo stadio controversiae non modo dari gratiam internam quae illuminet mentem, sed eamdem gratiam inspirare voluntatem et eam adjuvare ut salutariter agat. Augustinum vindicare huic gratiae illustrationis concursum physicum ex eo est manifestum quia Pelagius non negabat gratiae illuminantis influxum moralem in actum voluntatis (1).

(1) August. « Haec autem gratia, qua virtus in infirmitate perficitur, praedestinatos te secundum propositum vocatos ad summam perfectionem glorificationemque perducit. Qua

Conf. 1. Si admittitur causalitas physica illustrationis et inspirationis, optime intelligitur earum necessitas; secus vero vix intelligitur. Quare enim non potest homo elicere atum salutarem post actum solis naturae viribus elicitum quo intellectus objectum apprehendit et voluntas in illud movetur? Datur sane ratio, si auxilium supernaturale quo elicitur actus salutaris reponitur in illustratione et inspiratione; deesse videtur ratio, si istud auxilium consistit in alio divino dono, quod a Deo infunderetur homini ad eliciendum actum salutarem, siquidem illud donum poterat etiam conferri a Deo post illustrationem naturalem.

2. *Ratione congrua.* Actio quae convenienter potest adscribi causis secundis, non est immediate Deo attribuenda, siquidem Deus solet operari effectus per causas secundas, ubi praesto sunt. Atqui praesto est causa secunda valens supernaturalitatem efficere in actu secundo et convenienter ei adscribitur concursus physicus. Illustrationem et inspirationem valere physice concurrere ad actum salutarem, constat quia informant animam eique tribuunt vim ad operandum salutariter; ad hoc enim a Deo infunduntur, ut anima valeat edere opera salutis; quare Deus eis tribuit ut conferant istam virtutem animae, adeoque ut physice concurrant ad actum salutarem.

Coroll. Ergo nullus est actus salutaris qui fiat per elevationem extrinsecam. Si enim aliquis fieret, is esset qui ad infusionem habitus disponit. Sed modo ostensum est eum fieri, concurrente principio intrinseco. Ergo.

112. — Scholion I^{m}. Quaeres an motus gratiae agant, *praesentibus habitibus?* — Respondetur his motibus adscribendum esse influxum physicum in actus salutares, quoties hi actus sunt intensiores virtute activa habitus infusi; cum intensitas non est major, dari duas sententias: *Prima* ponit motus *non efficienter influere* in actus salutares. Rationem affert quia, praesentibus habitibus, actus fiunt ab ipsis, siquidem eorum munus est complere virtutem naturalem facultatum; e quo concludit motus gratiae non agere. *Probat consequentiam* quia

gratia agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam, ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. » *De gr. Chr.* l. I, c. XII. M. XLIV, 367. « Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum sunt vocati, simul donans et quid agant scire, et quod sciant agere. » Ib. c. XIII. « Quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas, et ipsa operatio, non sola volendi et operandi naturalis possibilitas, adjuvatur. » Ib. c. XIV.

a) si habitus confert potentiae posse simpliciter, non est opus concursu efficienti motuum gratiae. Probat adhuc quia b) auxilia, absentibus habitibus, conferunt actibus supernaturalitatem absque consortio alterius principii supernaturalis : sed habitus infusi tantae sunt activitatis quantae sunt auxilia. Ergo etiam habitus agunt sine consortio alterius principii. Demum probat quia c) habitus luminis gloriae se solo efficit, ex parte potentiae, visionem beatam, habitus infusus motum praevenientem. Ergo iidem habitus efficiunt actum salutarem absque auxilio alterius principii. — *Secunda* sententia ponit auxilia gratiae, etiam in consortio habituum infusorum, *concursum efficientem conferre in actus salutares*. Ratio est a) quia pleraque testimonia supra adducta nullum faciunt discrimen inter actus justi et actus peccatoris ; immo non pauca diserte comprehendunt actus justorum per habituum concursum elicitos : jamvero potissimum ex revelatione dijudicandum est quaenam causa efficiat supernaturalitatem in actibus salutaribus. b) Juxta doctrinam Patrum justi nequeunt agere salutariter nisi praecesserint motus gratiae praevenientis ; jamvero melius traditur ratio necessitatis, si hisce motibus adscribitur activitas physica in actus salutares. c) Motus gratiae physice agunt, absentibus habitibus ; ergo etiam, iis praesentibus. Nulla enim exstat ratio denegandi concursum in posteriori casu ; potest enim componi concursus utriusque principii supernaturalis, ita nempe ut habitus agat tamquam principium universale, auxilium tamquam principium magis determinatum.

113. — Scholion II^{m}. Quaeres *quaenam* motio gratiae, utrum *cogitatio,* an *affectio,* efficienter influat ? — Respondetur 1° *sancta affectione effici immediate assensum voluntatis*. Etenim a) nomine gratiae per se concurrentis ad actum salutarem comprehenditur etiam affectio voluntatis. b) Actus salutaris requirit inspirationem. Nonne una ex rationibus petitur ex eo quod est necessaria ad physice concurrendum ? c) Inspiratio est magis univoca cum assensu quam pia cogitatio, adeoque magis apta ad physice coucurrendum. Sed concurrit illustratio ; ergo et inspiratio. d) Si actus salutaris non fit immediate ab inspiratione, ejus causa supernaturalis adaequata erit illustratio ; atqui illustratio nequit esse principium adaequatum affectionis, intentionis, electionis et gaudii. — Respondetur 2° *cogitationem probabiliter immediate influere in actum salutarem una cum inspiratione*. Etenim a) testimonia Patrum et Conciliorum saepe non nominant nisi illustrationem ubi loquuntur de gratia cujus ope fit actus salutaris. b) Videtur magis necessaria

illustratio quam inspiratio ; nonnullorum enim theologorum judicio ex natur rei potest esse assensus voluntatis sine inspiratione, non autem sine illustratione. — Attamen probabilitate non caret sententia negans. Cum enim dantur duo principia nata efficere actum, actio immediata solet attribui causae univocae. Atqui haec est inspiratio potius quam illustratio.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

114. — **Obj.** 1°. Motus indeliberati gratiae sunt imperfectiores actibus deliberatis. Atqui causa non est imperfectior effectu. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Sunt imperfectiores in ratione supernaturalitatis, *Neg.;* secundum *alias rationes, Conc.* — *Cdt. min.* Causa non est imperfectior effectu secundum perfectionem quam causat, *Conc.;* secundum alias perfectiones quae causantur aliis causis, *Neg.*

Obj. 2°. Motus naturales non efficiunt assensum voluntatis naturalem. Ergo motus supernaturales non efficiunt assensum voluntatis supernaturalem. — Confirmatur quia visio beata non influit in amorem supernaturalem Dei, nec intentio supernaturalis virtutis infusae in formalem intentionem.

Resp. a) *Trasm. ant. Neg. cons.* Dato enim motus naturales non influere efficienter in actus deliberatos, nihil impedit quin Deus, ubi extrinsecus assistit, tribuat istam virtutem illustrationi ab ipso effectae. — b) *Neg. ant.* Probabile enim videtur actus indeliberatos saepe efficienter influere in motus deliberatos naturales ; ubi enim voluntas libere sequitur impulsum spontanee in ipsa ortum, agit qua affecta motu indeliberato, adeoque hic motus physice influere videtur. — *Ad Conf.* a) Visio beata non agit amorem Dei, quia supponit habitum caritatis quocum voluntas agit. Similiter intentio supernaturalis supponit habitum a quo fieri possit electio ; at, si intentio absque habitu fiat, potuit intentio supernaturalis in electionem eadem ratione influere, qua pia affectio in intentionem, quando abest habitus infusus. — b) Negatur visionem beatam non influere in amorem beatum ; uti enim illustratio influit in actum salutarem, ita nihil impedit quin visio Dei influat in amorem Dei intuitive visi.

Obj. 3°. Nonnunquam efficitur actus supernaturalis, quin physice exsistant motus gratiae, sed memoria tantum illorum. Atqui tunc motus non exsistentes efficere non possunt assensum voluntatis. Ergo motus gratiae non efficiunt assensum voluntatis.

Resp. a) *Negatur major*. Nullus enim datur consensus salutaris, etiam in justo, nisi praecesserint motus gratiae praevenientis. b) *Neg. conseq.* Sequitur motus gratiae non efficere actum salutarem, cum desunt, verum cum adsunt — et in eo qui habitu carens agit salutariter, semper adsunt, — physice influere valent.

Obj. 4°. Motus gratiae non agunt, praesentibus habitibus. Ergo nec illis absentibus ; semper enim eodem modo movent voluntatem.

Resp. a) *Neg. ant.* b) *Dist. ant.* Quia impediuntur *per se, Neg.; per accidens, Conc.*

II. *De causalitate morali motuum gratiae praevenientis.*

THESIS XVII^a. — Motibus gratiae praevenientis competit respectu actus salutaris causalitas moralis, quae reducitur ad causalitatem formalem.

115. — PRIMA PARS. MOTUS GRATIAE PRAEVENIENTIS EST CAUSA MORALIS ACTUS SALUTARIS.

Prob. Illud est causa moralis actus salutaris, quod voluntatem ad consensum salutarem movet motione quae est distincta a motione physica qua in ipso actu salutari influit. Atqui hoc obtinet respectu motuum gratiae excitantis. Ergo. — *Prob. min.* Patres et Concilia asserunt gratiam praevenientem, in genere consideratam, vocare, pulsare, excitare, allicere, movere voluntatem in affectum salutarem. Dicunt illustrationem in specie consideratam illuminare, movere, exhortari, suadere etc.; inspirationi tribuunt delectationem, suavitatem, inclinationem, aliasque id genus motiones. Haec autem gratiae auxilianti attribuuntur sive efficax sit sive inefficax. Atqui his manifeste continetur motio in actum salutarem distincta a motione physica. Ergo. — *Prob. min.* His contineri motionem in actum salutarem est manifestum ; ideo enim arbitrium conjungit consensum, quia a Deo vocatur et excitatur, quia Deus interius admonuit, suasit, inspiravit suavitatem, infudit delectationem. — Hanc motionem a physica distingui constat quia arbitrium excitatur et movetur etiamsi dissentit, adeoque etiamsi motus gratiae praevenientis nullam physicam causalitatem exseruit in actum salutarem.

116. — SECUNDA PARS. CAUSALITAS MORALIS REDUCITUR IN CAUSALITATEM FORMALEM.

Prob. Ei competit ratio causae formalis quod unitur intrinsecus materiae eique tribuit quod denominetur talis aut talis. Atqui motus

gratiae excitantis sunt causa moralis actus salutaris eo quod uniuntur intrins cus animae eique tribuunt quod denominetur talis aut talis. Ergo. — *Prob. min.* Ex prima parte motus gratiae praevenientis sunt causa moralis actus salutaris, eo quod voluntatem movent seu excitant ad consensum. Atqui eam movent et excitant eo quod intrinsecus illustratio et inspiratio uniuntur animae et ratione eorum anima denominatur excitata, vocata, suavitatem experiens, allecta ad consensum. Ergo motus gratiae praevenientis sunt causa moralis actus salutaris, eo quod sunt causa formalis informans arbitrium et intellectum.

Dices. Impossibile est ut motus gratiae praevenientis sit causa moralis simul et formalis. Etenim causa moralis est extrinseca effectui, siquidem pertinet ad genus causae efficientis; contra causa formalis est *intrinseca* effectui. Atqui impossibile est ut causa sit simul intrinseca et extrinseca effectui. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Impossibile est ut motus gratiae praevenientis sit *respectu ejusdem termini* causa moralis et causa formalis, *Conc.;* respectu diversi termini, *Neg.* Ad prob. *Conc. maj. Dist min.* eodem modo. — Gratia excitans est causa moralis *consensus salutaris,* est autem causa formalis *arbitrii* quatenus per unionem sui cum arbitrio constituit compositum per accidens, nempe *arbitrium excitatum.* Jamvero inter consensum salutarem et arbitrium excitatum intercedit distinctio realis causae et effectus.

117. — Scholion I^m^. Quaeritur utrum causalitas moralis motuum gratiae excitantis tanta esse possit, ut dissensus sit moraliter impossibilis, licet ponatur physice possibilis? Dissensus a gratia moraliter impossibilis ille intelligitur qui secundum praedicata essentialia non repugnat conjungi cum motibus gratiae excitantis, verum ita impeditur vehementi inclinatione gratiae ad consensum, ut praevideatur a Deo numquam esse eventurus cum tali gratia et in hac circumstantiarum collectione. — Vis gratiae intrinseca, reddensque dissensum moraliter impossibilem, ex variis fontibus hauritur: a) ex vivacitate cogitationis qua proponitur honestas consensus et turpitudo dissensus; b) ex remissione et imperfectione cogitationis turpis; c) ex propositione motivorum extrinsecorum in consensum impellentium et a dissensu avertentium, puta poenae et praemii, beneficiorum Dei, exemplorum Christi et sanctorum; d) ex magnitudine affectionis et delectationis objecti honesti a Deo inspiratae. — Porro *sententia affirmativa,* quae ornatur communi theologorum suffragio, sic probari solet:

A. *Ratione theologica :* Ad moralem Dei providentiam et potentiam spectat ita sibi subjicere posse arbitrium creatum, ut prorsus certo possit ab eo obtinere consensum liberum, quando et quomodo voluerit. Atqui Deus hoc non posset, si motio gratiae non valeret reddere dissensum moraliter impossibilem. Si enim sub quacumque motione gratiae praevidetur liber dissensus moraliter possibilis, tunc non erit in potestate Dei consensus futurus, siquidem a solo arbitrio pendebit. — Contra praecedens argumentum duplex proponitur evasio. *Prima :* Deo potest convenire praedicta potestas, non ex vi extrinseca gratiae, sed ex certitudine scientiae mediae. *Secunda,* e qua prima nanciscitur suum valorem, est haec : Datur multitudo infinita auxiliorum quorum collectioni etiam successive non potest humana voluntas moraliter resistere, quamvis singulis resistere valeat.

B. *Scriptura* 1. *Ex V. T.* a) Sap. XII, 18 : « Subest tibi cum volueris posse. » b) Prov. XXI, 1 : « Cor regis in manu Domini ; quocumque voluerit, inclinabit illud. » Vid. Tirini in h. l. — 2. *Ex N. T.* a) Matth. III, 9 : « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae. » b) II Cor. IX, 8 : « Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. » c) Ephes. I, 19 : « Quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus secundum operationem potentiae virtutis ejus. » d) Jud. V, 24 : « Ei autem qui potens est vos conservare sine peccato et constituere ante conspectum gloriae suae immaculatos. » — His testimoniis significatur Dei potestas absoluta in corda hominum, adeo ut quando et quomodo vult, ea valeat ad se convertere.

C. *Patribus.* Doctrina heic propugnata manifeste edocetur a s. Augustino in pluribus locis. Etenim affirmat Augustinus voluntates esse perfecte subjectas Deo de iis faciente quidquid voluerit (1). — Clare

(1) AUG. « Quis tam impie desipiat, ut ducat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere. » *Enchir.* c. XCVII. — « Volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium ; sic velle, vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. » *De corr. et gr.* c. XIV. In medio capitis : « Habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. » In fine « *Magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas.* » — « Rectissime credimus etiam perversas et fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere. » *De gr. et lib. arb.* c. XIV. — « Possibile est Deo aversas in fidem suam hominum convertere voluntates, et in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant neque ab ipso aliqua superati tentatione discedant. » *De dono persev.* c. VIII. — Rem probat Augustinus ex indignatione Regis Assyrii, quam Deus ad lenitatem convertit, concluditque : « Interna atque occulta, mirabili et ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » *De gr. Chr.* c. XXIV. — Cf. M. XLIV.

dicit hanc potestatem Deo adesse vi gratiae ab ipso immittendae (1).

D. *Ratione.* 1. Quo intensior est vivacitas honestae cogitationis et delectatio affectionis, impellens in consensum honestum, sub cogitatione et affectione turpi prorsus remissa, eo difficilior est dissensus. Atqui illa potest intendi, haec vero remitti sine fine. Ergo eo potest pervenire difficultas dissentiendi, ut evadat moraliter impossibilis. — 2. Potest Deus ita multiplicare auxilia, ut moraliter impossibile sit nostrae voluntati resistere omnium collectioni. Ergo etiam potest tantum augere intensitatem unius auxilii, ut collectioni graduum resistere sit moraliter impossibile. Valet consequentia, quia cum singula auxilia sint finita, adeoque singulis majus dari possit, cumque sint capacia graduum, dare Deus potest auxilium unum duobus aut pluribus aequivalens (2). — 3. Cogitationes et affectiones de bono sensibili et delectabili possunt reddere dissensum moraliter impossibilem. Ergo etiam illustrationes et inspirationes de bono honesto. — *Prob. conseq.* Impulsus Dei in bonum honestum potest esse tam efficax quam impulsus naturae aut daemonis in bonum delectabile. Quod constat tum natura rei, tum experientia : viri enim sancti non raro sunt adeo affecti in bonum honestum, ut difficilius eis esset praestare consensum in malum, quam sceleratis hominibus in bonum.

118. — Scholion II^{m}. Quaeritur an auxilia gratiae possint intensione sua aut multitudine inducere *impossibilitatem physicam* dissentiendi ?

Resp. A. *Illustrationes et inspirationes simul sumptae* videntur posse adeo intendi aut multiplicari, *ut impediant potestatem physicam dissentiendi.*

Prima probatio enascitur ex duobus principiis : *Primum :* Activitas arbitrii est limitata et finita. *Secundum :* Quo plus activitas animae impenditur in operationem unam, eo minus potest distrahi et impendi in aliam. Unde sic : Ibi datur impossibilitas physica dissentiendi, ubi omnes vires intentundur in objectum divinitus propositum, adeo ut

(1) Aug. « Tale erat adjutorium quod desereret cum vellet, in quo permaneret si vellet ; non quo fieret ut vellet. Haec prima gratia quae data est primo Adam. Sed haec potentior est in secundo Adam : Prima enim est, qua fit, ut habeat justitiam, si velit. Secunda vero plus potest, quia etiam fit ut velit et tantum velit, tantoque ardore diligat ut carnis voluntatem, contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat. » *De corr. et gr.* c. xi, n. 31. « Subventum est infirmitati voluntati humanae ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur : et ideo, quamvis infirma, non deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis imbecilla et invalida, in bono adhuc parva perseveraret per virtutem Dei. » Ib. c. xii, n. 38. M. XLIV, 935.

(2) Cfr. D. Th. *De ver.* q. vi, art. 3 et 4.

nulla activitas sit reliqua in operationes alias. Atqui non repugnat hoc locum habere. Ergo. — *Prob. min.* Illustrationes et affectiones fiunt partialiter activitate mentis et arbitrii; quare intensissime occupari possunt vires facultatum, ita ut activitas physica animae exhauriatur adeoque nequeat se ad alia objecta convertere.

Secunda probatio. Ita crescere potest motio voluntatis in consensum ut moraliter impossibilis sit dissensus. Ergo ita etiam crescere potest ut dissensus reddatur physice impossibilis. — *Prob. conseq.* Uti limitata est virtus moralis resistendi, ita etiam limitata est virtus physica; uti sunt limites ultra quos moraliter agere aut resistere nequit arbitrium, ita sunt limites ultra quos physice jam non potest agere nec resistere.

Conf. Motus inhonesti (v. g. in iratis) interdum ita crescunt ut rapiant consensum voluntatis, ablata potestate physica resistendi. Ergo etiam motus gratiae possunt ita inclinare voluntatem in actum, ut auferatur potestas dissentiendi. — Patet consequentia quia Deus potest motibus bonis communicare virtutem quae adaequat aut superat potestatem motuum inhonestorum.

B. Tum *illustrationes divisae ab inspirationibus,* tum *inspirationes divisae ab illustrationibus* possunt ita intendi ut physice *necessitent voluntatem.*

Prob. 1. Illustratio seorsim ab inspiratione et inspiratio seorsim ab illustratione possunt intendi aut multiplicari, ita ut consumant et occupent activitatem animi et desit activitas requisita ad dissensum, quod probatur uti supra. — 2. Illustratio seorsim ab inspiratione et inspiratio seorsim ab illustratione movet moraliter voluntatem in consensum; cum intendi utraque semper possit, utraque sine altera necessitare potest moraliter ad consensum. Ergo potest pariter tollere potentiam physicam dissentiendi.

§ 2. De concursu habitus infusi.

119. — Habitus infusus, seu virtus supernaturalis, definitur qualitas per se infusa et permanens, adjuvans potentiam vitalem ad agendum actus supernaturales. Tales sunt virtutes theologicae et virtutes morales.

I. Quaeritur *an habitus per se infusi cooperentur facultati elicienti actus salutares.* — Responsio affirmativa est manifesta ex his quae probantur in tractatu de virtutibus. Consentiunt theologi virtutes theologicas et morales non esse habitus ornativos, sed habitus operativos, eosque infundi a Deo ut sint causae partiales actuum salutarium. Si agitur de virtutibus theologicis, ratio a priori haec est : Ut homo tendat in

Deum veluti finem supernaturalem, tria exiguntur : ut cognoscat fide finem et media ad finem conducentia (Hebr. XI, 6); ut finem amet spe (Rom. VIII, 23, 24); ut cum Deo conjungatur affectu (I Joh. IV, 16). — Itaque exigitur ut frequenter eliciantur actus fidei, spei et caritatis, proindeque praesto sint principia supernaturalia. Assistentia extrinseca Spiritus Sancti potest quidem esse hujusmodi principium; attamen cum homo habitualiter est ad Deum conversus per gratiam sanctificantem, magis connaturale est ut instruatur principiis stabiliter permanentibus; quamobrem dicendum est haec principia non deesse hominibus, adeoque infundi virtutes theologicas quae sint principia supernaturalitatem causantia in actibus fidei, spei et caritatis.

II. Quaeritur *quid praecise ad habitu fiat?* Datur duplex sententia : *Prima* est communis et censet habitu superaddi naturae rationali *activitatem aliquam partialem,* qua compleatur activitas insufficiens potentiae, adeoque habitum coagere cum natura rationali et influere in actum. — *Secunda* est Aureoli, cujus judicio tribuenda est naturae tota virtus agendi, habitus vero solum *disponit potentiam* activam, eo ferme modo quo acuties est necessaria ferro ad secandum; e quo concludit Aureolus habitum non influere in actum immediate, sed mediante activitate potentiae quam applicat et determinat. *Sententia Aureoli falsificatur :* a) Actus salutaris est intrinsece supernaturalis. Ergo produci debet aliquo principio supernaturali quod non tantum applicat potentiam ad actum, sed hunc actum immediate efficit; sed illud principium profecto est habitus. — b) Patres adversus Pelagianos affirmant naturae deesse virtutem sufficientem, eamque complendam. Sed sane habitus est qui illam compleat. — c) In opere supernaturali potiores partes sunt deferendae gratiae. Atqui si tota activitas operis supernaturalis confertur naturae, gratiae nonnisi dispositione relicta, potiores partes essent deferendae naturae. — d) Et re quidem vera Deus sibi vindicat opera pietatis tamquam sua, non modo jure communi, quo nempe omnia ipsius esse dicuntur, sed jure speciali cujus titulus est auxilium gratiae. Atqui istud jus speciale proprietatis vi gratiae non potest convenire Deo, nisi gratia effecerit hos actus. — e) Deus juvat naturam ad opera supernaturalia efficienda, non tantum praestito concursu generali omnibus creaturis debito, sed etiam concursu speciali, ubi deest habitus. Sicuti ergo Dei concursus specialis, defectum habitus supplens, attingit immediate actum, ita pariter habitus.

III. Quaeres an habitus infusi sint *vitaliter agentes?* Affirmant non-

nulli thomistae qui asserunt facultate sustentari habitum infusum, habitum esse causam proximam actus et vitaliter recipere actum quem elicit. Plerique negant habitum vitaliter agere asseruntque vitalitatem actus *dimanare ex facultate sola*. Quod ita probant : Ut aliquod principium vitaliter agat, vel debet esse ipsa natura, vel exigi natura tamquam proprietas intrinsecus ei inhaerens, vel exigi proprietate naturae, vel effici activitate naturali ad instar virtutis naturalis aut vitii. Atqui nullum ex his convenit habitui per se infuso. Ergo habitus per se infusus non agit vitaliter proprie et in rigore loquendo. — Cum vero actus supernaturalis procedat ab activitate naturali facultatis, tamquam a cause partiali, ex his concludere est eum vitaliter a facultate elici.

Scholion. Juxta Suarezium gratia adjuvans est Spiritus Sanctus extrinsecus assistens, sive concursus Dei specialis. — Patet gratiam adjuvantem in hoc concursu esse reponendam, ubi deest habitus et ubi denegatur causalitas physica motibus gratiae praevenientis. Verum ubi propugnatur ista physica efficientia, jam Spiritus Sanctus assistens non videtur annumerandus principiis supernaturalibus actus salutaris. Ratio est quia, uti brevi ostendetur, concursus non est simpliciter indebitus homini, proindeque supernaturalis, sed potius connaturalis, quoties natura agens jam est in statu supernaturali seu quoties facultates ejus jam intrinsecus sunt elevatae per gratiam praevenientem et haec gratia ponitur principium physice efficiens actum salutarem.

§ 3. De discrimine gratiae praevenientis et adjuvantis.

Ex praejactis liquet inspirationem et illustrationem vocari Dei gratiam excitantem, easque consistere in actibus intellectus qui efficienter procedunt ex facultate et ex principio supernaturali. Liquet etiam actum salutarem non dici per se gratiam, nisi fungatur munere gratiae ad ulteriora opera bona excitantis ; elicitur autem a facultate cum auxilio gratiae adjuvantis.

120. — Quaeritur quodnam detur discrimen inter gratiam excitantem et gratiam adjuvantem.

IN QUONAM DIFFERANT : 1. Omnis gratia excitans non est adjuvans, nec ad omnem excitantem sequitur adjuvans. Datur enim gratia pure sufficiens, quae nempe illustravit mentem et voluntatem adhortata est, cui tamen voluntas renuit salutariter consentire. — 2. Omnis gratia adjuvans prius fuit excitans, aut praesupponit exci-

tantem. Probatum enim est ad omnem actum salutarem praerequiri illustrationem et inspirationem. — 3. Gratiae excitanti resisti potest, adjuvanti in actu secundo resisti non potest. Patet primum, quia actus salutaris est meritorius proindeque liber. Jamvero ut sit liber, exigitur ut gratiae excitanti resisti queat. Patet secundum, quia gratia cui resistitur, eo ipso non est adjuvans, sed mere excitans. — 4. Gratia adjuvans qua talis non est praeveniens. Ratio est quia gratia adjuvans, considerata uti formaliter est adjuvans, actu attingit actum salutarem et connotat actualem cooperationem voluntatis ; contra gratia praeveniens qua talis non efficit actum salutarem et cooperationem voluntatis praecedit natura, nedum eam connotet. — 5. Gratia adjuvans et excitans differunt secundum moralem aestimationem in ratione beneficii. Patet majus contineri donum in motibus ad quos consequitur consensus salutaris, quam in motibus eo carentibus.

IN QUONAM NON DIFFERANT. Ex praejactis consequens est gratiam excitantem differre moraliter in ratione beneficii, deinde diverso suo munere et habitudine ad actum salutarem. Ulterius inquiritur utrum differant entitate, proindeque utrum, posita entitate gratiae excitantis adeoque causae ejus, illustratione nempe, inspiratione, habitu infuso aut concursu Dei habitum supplente, requiratur adhuc aliud principium supernaturale ad hoc ut actus salutaris sequatur ?

Sententiae. 1. Has gratias esse realiter distinctas affirmant thomistae qui gratiam adjuvantem reponunt in praemotione physica quae praesupponit motus gratiae praevenientis iisque supervenit.

2. Dicendae etiam sunt esse entitate distinctae, si principium supernaturalitatem causans in actu salutari, ponitur esse Deum extrinsecus assistentem, non vero habitum infusum, neque illustrationem et inspirationem, neque ullam qualitatem infusam. Cum enim actus liber voluntatis distinguatur realiter ab illustratione et inspiratione, pariter concursus quem Deus praestat huic consensui erit distinctus ab his actibus et a concursu iis dato. Porro hic concursus Dei specialis est simpliciter supernaturalis, quoties actus salutaris nullo alio principio naturae intrinseco efficitur, cui hic concursus sit connaturaliter debitus. — Talis autem est opinio Suarezii, qui ideo asserit negari non posse quod adjuvans gratia distinguatur ab excitante, addens ultra illam novum auxilium et beneficium gratiae (1).

(1) Suarez. *De gr.* l. III, c. xvi, n. 2.

3. Verum si supponitur id quod hactenus est demonstratum, nempe motus gratiae praevenientis physice concurrere ad effectionem actus salutaris, dicendae sunt gratia excitans et gratia adjuvans, entitative consideratae, non realiter distingui. Sic communiter Molinistae. Eorum sententia exponitur a Vasquezio : « Observandum igitur est eamdem vocationem et cogitationem sanctam et primum motum voluntatis subitum dici gratiam operantem, et praevenientem, et cooperantem et comitantem, licet diverso modo consideratam. Nam quatenus consensum nostrum antecedit, est operans et praeveniens: quatenus vero permanens in nobis efficit nobiscum consensum, est cooperans et comitans. Nam ita consensus noster est a Deo et a nobis, ut Deus non solum immediate physice ad illum concurrat, sed etiam media cogitatione illum in nobis efficere dicatur eo modo, quo intellectus voluntatem movet et allicit. Quare, quemadmodum dicitur fides cooperari bonis, operari, ac proinde dici debet ipsa fides gratia cooperans; ita sancta cogitatio, quatenus nobiscum cooperatur. Ob id tamen non affirmamus gratiam cooperantem esse eamdem omnino gratiam cum operante, sed dicimus esse novam et diversam a gratia operante quatenus habet novum aliquid in genere rei, nempe effectum » (1).

121. — ASSERTUM. GRATIA ADJUVANS ENTITATIVE INSPECTA EST GRATIA EXCITANS ADAEQUATE SUMPTA.

Alii sic dicunt : Gratia adjuvans in actu primo, seu gratia adjutrix, uti loquitur Suarez (2), « quia haec vox, ait, magis actum primum quam secundum significare videtur », est gratia excitans adaequate sumpta.

Illud assertum per modum corollarii consequitur tum ad ea quae in superioribus fuerunt comprobata, tum ad postea rejiciendam praemotionem physicam. Praeterea solide fundatur in modo loquendi Scripturae, Conciliorum et ss. Patrum obvie intellecto, quod breviter ostendetur.

Prob. 1. *Script.* I Cor. XV, 10 : « Gratia ejus (Dei) in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.» II Cor. VI, 1 : « Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.» Gratia de qua loquitur Apostolus reapse efficax fuit : laudat enim Corinthios quod in vanum non est accepta; potest tamen esse vacua : exhortatur enim eos ne umquam eam reddant vanam. Ergo gratia adjuvans, in actu primo considerata, est gratia excitans. —

(1) VASQ. In Im IIae, d. CLXXXIX, c. IX, n. 4. — (2) SUAR. *De gr.* l. III, c. XIV, n. 6.

2. *Trid.* in sess. VI, c. v, dicit homines per excitantem et adjuvantem gratiam, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponi ad justificationem. Clare innuitur numero singulari unam eamdemque gratiam esse excitantem et adjuvantem. — 3. Ex *Patribus,* qui allati sunt in superioribus thesibus, afferri possent multa testimonia quibus uni eidemque gratiae adscribitur munus excitandi et adjuvandi. — 4. *Ratione.* Positis motibus gratiae praevenientis, non infunditur a Deo novum donum supernaturale. Etenim non infunditur qualitas; praestatur quidem a Deo concursus, verum hic concursus jam non est simpliciter supernaturalis, sed potius *connaturalis,* indebitus quidem naturae nude inspectae, verum debitus naturae uti est affecta motu gratiae praevenientis. Ergo.

ARTICULUS V.

De associatione causarum actum supernaturalem producentium.

Quaeritur 1° quonam ordine actus supernaturalis pendeat a facultate et a principio supernaturali. — Quaeritur 2° quaenam ex duabus causis dicenda sit principalis, quaenam vero instrumentalis.

§ 1. De ordine dependentiae actus supernaturalis a suis causis.

Molina : *Concord.* q. xiv, a. 13, d. xxvi, xxvii, xxxviii.

122. — Notiones. 1. Distinguitur causa *totalis* seu adaequata, et causa *partialis* seu inadaequata. Prior effectum producit sola, posterior non sola. Causa partialis est duplex : a) Causa partialis *partialitate effectus;* ea est quae nonnisi partem effectus attingit, ita nempe ut altera pars efficiatur ab altera causa partiali. b) Causa partialis *totalitate effectus;* ea est quae dependenter ab alterius causae partialis concursu totum effectum attingit.

2. Cum duplex causa partialis unum effectum producit, darti inter eas potest duplex ordo : a) prioritatis et posterioritatis; b) simultaneitatis. Viget orde *prioritatis* et *posterioritatis,* cum una ex duabus causis natura prius quam altera influit in effectum. Tunc autem natura prius influit, cum ejus influxus est ratio ab quam altera causa partialis attingat eumdem effectum, proindeque cum alteram causam determinat ad agendum. — Contra viget ordo *simultaneitatis,* cum ex una parte neutra est altera prior in ordine naturae, ex altera vero utraque ab altera

pendet, ita nempe ut neutra effectum attingat nisi dependenter a concursu alterius causae.

In sequentibus ostendemus 1° naturam et gratiam active spectatam esse causas partiales; 2° utramque attingere partialitatem effectus; 3° eas agere simul in ordine naturae.

THESIS XVIIIa. — Ita associantur vires naturae et vires gratiae, ut actus supernaturalis dicendus sit procedere ab utrisque simul agentibus. Ita vero prccedit, ut vitalitas efficiatur viribus naturae, supernaturalitas autem viribus gratiae. Itaque natura et gratia sunt causae partiales non modo partialitate causae, sed etiam partialitate effectus.

123. — PRIMA PARS. NATURA ET GRATIA SUNT CAUSAE PARTIALES ACTUS SUPERNATURALIS.

Prob. 1. Isti actus sunt simul vitales et supernaturales. Atqui ut sint vitales, una ex eorum causis debet esse facultas naturalis; ut sint supernaturales, una ex causis debet esse gratia active sumpta. Ergo.

2. Ostensum est naturam esse activam in productione actuum supernaturalium, immo eam proxime attingere effectum; ostensum etiam est naturam esse intrinsecus insufficientem, adeoque ejus potentiam esse complendam Dei auxilio. Ergo actus supernaturalis procedit partialiter a natura et partialiter a gratia.

124. — SECUNDA PARS. NATURA ET GRATIA ATTINGUNT PARTIALITATEM EFFECTUS, ADEOQUE DATUR DISTINCTIO MODALIS INTER VITALITATEM ET SUPERNATURALITATEM. — Adversarius : Molina (1).

Prob. Illa causa non attingit nisi partialitatem effectus, quae vel solam vitalitatem efficit, vel solam supernaturalitatem. Atqui natura solam vitalitatem efficit, gratia solam supernaturalitatem. Ergo.

A. *Cum facultas efficit actum supernaturalem cum concursu speciali Dei, solam vitalitatem efficit.* Secus dicendum esset vires naturales, quae in agendo non sunt modificatae intrinsecus, attingere immediate supernaturalitatem. Atqui vires naturales, non modificatae uti sunt agentes, valent quidem efficere vitalitatem eamque efficiunt, sed nullatenus valent attingere ipsam supernaturalitatem : secus enim destruitur excessus entis supernaturalis supra vires naturae. Ergo.

Explic. Secundum eos qui adhaerent sententiae s. Thomae profitenti in entibus creatis, tum substantiis tum accidentibus, realiter distingui

(1) Op cit. d. XXXVIII.

essentiam realem et ejusdem exsistentiam, essentiam secundum se esse in potentia ad exsistendum, exsistentiam esse actum hujus potentiae ex ea eductum eique intrinsecus unitum, secundum hos doctores, inquam, Deus, cum physice concurrit causis secundis, producit exsistentiam, causa secunda essentiam formae sive substantialis sive accidentalis, ejusque aut extrinsecae causis secundis aut intrinsecae; iidem tenent necessarium esse concursum physicum Dei omni actioni causae secundae quia exsistentia, utpote universalior, excedit ambitum causae secundae, utpote particularis. Porro qua ratione explicatur unio exsistentiae et essentiae et productio utriusque, eadem ratione explicatur unio formalitatis naturalis et formalitatis supernaturalis qua elevatur actus. Cum facultas est tantum *extrinsecus elevata,* valet quidem cum concursu Dei generali efficienter attingere vitalitatem, dummodo haec dicatur esse modaliter distincta a supernaturalitate, tunc enim supernaturalitas producetur a solo Deo cujus actio vocatur concursus quia actus totus fit a duabus causis simul agentibus. Verum si vitalitas et supernaturalitas identificantur, impossibile est ut vires naturales, non elevatae intrinsecus, efficienter attingant terminum; fortassis conantur agere, verum ipse terminus in facultate receptus nullatenus ab iis fuit effectus, siquidem facultas remansit in agendo entitative improportionata.

Cum facultas est intrinsecus elevata per habitum, vires naturales efficiunt solam vitalitatem. Actus enim supernaturalis procedit ex duabus causis partialibus intrinsecus unitis. Ipse actus est accidentaliter compositus, constans nempe ex vitalitate et supernaturalitate. Vitalitas respondet viribus naturae quae sunt incapaces efficiendi supernaturalitatem. Ergo.

Idem constat *locutionibus Conciliorum et Patrum.* Deus dicitur aperire oculos et mentem illuminare, immittere voluntati amorem, suavitatem, delectationem; homo dicitur audire Deum, ab eo trahi. Atqui sensu magis obvio significatur his locutionibus supernaturalitatem inspirationis effici a Deo solo, potius quam a facultate simul atque a Deo. Ergo.

B. *Vires gratiae efficiunt solam supernaturalitatem.* Efficiunt enim id omne et solum propter quod efficiendum dantur a Deo, seu id omne et solum quod viribus naturae fieri nequit. Atqui hujusmodi est sola supernaturalitas. Ergo.

125. — TERTIA PARS. NATURA ET GRATIA AGUNT SIMUL IN ORDINE NATURAE.

Observa. Uti patet, gratia excitans, uti est causa moralis actus salutaris, praecedit influxum facultatis in actum salutarem. Quare non comparatur influxus gratiae active sumptae cum influxu facultatis respectu diversorum actuum, sed respectu unius *ejusdemque actus*. Contenditur itaque illustrationem procedere a viribus naturae et a viribus gratiae simul agentibus; actum salutarem eodem modo procedere a voluntate et a gratia, nempe a motibus gratiae praevenientis seu ab habitu ([1]).

Prob. I^m Arg. Illae causae simul agunt in ordine naturae, quarum neutra determinatur ad agendum ab altera, utraque vero non agit nisi dependenter ab altera. Atqui neque gratia determinatur a natura ad agendum, nec natura a gratia; utraque vero effectum attingit dependenter ab altera. Ergo.

A. *Facultas non determinatur ad agendum a gratia.* 1. Facultas enim non valeret determinari ad agendum nisi per infusionem qualitatis aut modi priusquam actus supernaturalis fiat. Atqui in superioribus rejecta fuerunt qualitas fluens et modus a facultate indistinctus; postea in specie rejicietur praemotio physica pro actu salutari.

2. Gratia active sumpta reponitur pro illustratione quidem et inspiratione modo in concursu Dei speciali indebitoque quo fit ut effectus ab utraque causa procedens ordinem naturalem transcendat, modo in habitu, qui excitatus fuit a Deo; pro actu autem salutari in motu gratiae praevenientis cum habitu aut sine eo. Atqui haec principia nullatenus determinant facultatem ad agendum; verum cum facultas agit, attingunt immediate eumdem actum in eoque supernaturalitatem efficiunt. Ergo.

3. Ex modo quo gignitur actus supernaturalis : a) Modo Deus determinat immediate intellectum ad eliciendam ideam supernaturalem, ita nempe ut determinet mentem ad cogitandum de certo objecto et ut inserat vires divinas viribus facultatis ad producendam supernaturalitatem in actu facultatis. At b) plerumque facultas determinatur ad agendum re extrinseca, puta praedicatione verbi Dei, lectione Scriptu-

([1]) Ad rem asserit Molina « gratiam praevenientem, qua praeveniens est, tempore vel natura antecedere influxum liberi arbitrii (quod de fide tenendum est contra Massilienses); sed, consentiente jam libero arbitrio influenteque in suum actum, ipsa quoque in eumdem actum influit cooperaturque cum libero arbitrio; tunc influxus ille, per quem sortitur rationem gratiae cooperantis, *neque tempore neque natura antecedit influxum liberi arbitrii*, quin potius hi duo influxus, una cum concursu universali quo Deus influit in eumdem actum, *sunt simul* atque a se mutuo pendent, uniunturque in eamdem supernaturalem actionem. » *Conc.* d. XLI.

rae sacrae, bono exemplo sanctorum : ista excitatio vocatur gratia *externa;* auxilium gratiae inseritur operationi facultatis ad elevandum actum, sed non prius in facultatem agit.

B. *Facultas non determinat gratiam ad concurrendum.* Deberet enim efficienter influere in gratiam natura prius quam fit actus supernaturalis. Atqui evidens est facultatem non influere efficienter in Dei concursum; neque influit in habitum, siquidem hic a Deo determinatur ad agendum, uti supra ostensum est.

C. *Neutra causa agit nisi dependenter ab altera.* Actus enim simul est vitalis et supernaturalis. Facultas non producit actum qui est supernaturalis, nisi dependenter a concursu gratiae; gratia vero non producit actum qui est vitalis intellectio aut volitio, nisi dependenter a concursu intellectus aut voluntatis.

II^m Arg. Neque actus est prius a gratia, neque prius a natura. Ergo est simul ab utraque. — *Prob. 1^a pars ant.* Si esset prius a gratia, tunc pro aliquo instanti naturae non esset vitalis nec liber. Atqui repugnat ut illustratio et inspiratio non sint vitalis intellectio et volitio pro aliquo instanti naturae, repugnatque ut consensus salutaris ullo instanti careat libertate. — *Prob. 2^a pars. ant.* Si actus supernaturalis esset prius a natura quam a gratia, tunc aliquo instanti non esset supernaturalis. Atqui hoc etiam dici nequit. Ergo.

Satisfit difficultatibus.

126. — CONTRA I^m PARTEM. Obj. 1°. Qui dicit naturam et gratiam esse causas partiales operis salutaris, dividit illud opus inter Deum et naturam. Atqui hoc sapit semipelagianismum, quo, teste Augustino, pars fidei vindicabatur naturae, pars relinquebatur Deo (1).

Resp. Semipelagianorum error situs non erat in eo quod dividebant *singula* opera salutaria Deum inter et hominem; sed in eo quod dividebant *seriem actuum* in duas partes; primam autem partem, quae complectebatur varios actus deliberatos et vocabatur initium fidei, attribuebant solis naturae viribus. Alteram partem adscribebant viribus naturae et gratiae; verum in hoc sentiebant orthodoxe. Inde patet quomodo distinguatur major argumenti.

Obj. 2°. Juxta Patres adversus semipelagianos pugnantes, gratia praevenit. Atqui gratia agens natura simul ac natura non praevenit. Ergo.

(1) Cfr. *De praed. Sanct.* c. II, n. 6. M. XLIV, 963.

Resp. *Dist. maj.* Gratia praevenit concursum salutarem, *Conc.;* actum indeliberatum, *Subd.* gratia *interna proprie* dicta, *Neg.;* gratia *externa* aut interna *improprie* dicta, *Conc. min.* Gratia praevenit quatenus non exspectat consensum liberum, uti aiebant semipelagiani, aut etiam eo sensu quod gratia externa, puta praedicatio verbi Dei, excitat bonas cogitationes; verum non praevenit eo sensu quod immittitur qualitas determinans mentem ad operandum salutariter.

Obj. 3°. Causa partialis est imperfecta: Atqui Deus est causa perfecta. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Causa, quae est partialis *ob defectum virtutis sufficientis,* est imperfecta, *Conc.;* quae est partialis *quia concausae communicat virtutem agendi, Neg.* — *Conc. min.* - *Dist. cons.*

127. — CONTRA II^m PARTEM. Obj. 4°. Natura et gratia vel totalitatem actus supernaturalis attingunt, vel ne partialitatem quidem. Atqui dici nequit neque naturam neque gratiam quidquam efficere de actu supernaturali. Ergo utraque efficit totalitatem effectus. — Patet major quia effectus est simplex, siquidem continetur modo animae simplicis ac spiritualis. Atqui effectus simplex vel totaliter efficitur vel nullatenus attingitur. Ergo.

Resp. *Negatur major.* Ad prob. *Dist. maj.* Id quod efficitur viribus naturae et viribus gratiae est *quantitative* simplex, seu non constat ex *partibus integrantibus, Conc.;* non constat duplici *accidenti* spirituali, *Neg.* — *Cdt. min.*

§ 2. De causa principali et de instrumentali.

Ripalda, *De ente,* d. xxxi.

128. — Notiones. Instrumenti a) definitio; b) virtus; c) actio; d) divisio.

1. Loquendo de causa efficiente *physica,* ea dicitur *principalis,* quae virtute suae naturae, vel perfectionis, vel formae, potest determinare exsistentiam effectus, sive agat sine alia causa, sive cum alia sibi subordinata. *Instrumentalis* ad productionem effectus concurrit quidem virtute suae naturae, sed mota et applicata ad agendum a causa principali, atque ita ut perfectio propria effectus determinetur a causa principali quae instrumentum movit, ipsa vero causa instrumentalis determinet tantum perfectionem aliquam minorem, respondentem minori virtuti suae (1).

(1) D. Th. III, q. lxii, a. 1. Suar. *Met.* xvii, s. 2.

2. *Actio instrumenti.* « Instrumentum, ait Angelicus, habet duas actiones : unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis ; aliam propriam, quae competit sibi secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam ; scindendo enim facit lectum » (1). « Instrumenta, ait Suarez, dicuntur operari in virtute primi agentis, quia illa vis quae in illis est, est improportionata et insufficiens, et solum habet vim operandi juxta mensuram virtutis et elevationis principalis agentis » (2).

3. *Divisio instrumenti.* a) « Instrumentum dupliciter dicitur : uno modo *proprie,* quando scilicet aliquid ita ab altero movetur quod non confertur ei a movente aliquod principium talis motus, sicut serra movetur a carpentario, et tale instrumentum est expers libertatis. Alio modo dicitur instrumentum magis *communiter,* quidquid est movens ab alio motum, sive in ipso sit principium sui motus, sive non : et sic ab instrumento non oportet quod omnino excludatur ratio libertatis, quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen se ipsum movet, et ita est de mente humana » (3). — b) Instrumentum est *conjunctum* causae principali, aut ab ea *separatum.* Conjunctum est intrinsecus unitum causae a qua movetur, idemque est animatum, neque tantum agitur, sed etiam agit : Sic corpus est instrumentum animae, humanitas Christi est instrumentum Verbi. — Instrumentum separatum non est unitum intrinsecus causae moventi, sed tantum *extrinsecus,* idem est inanimatum et tantum agitur. Talia sunt instrumenta mota ab artifice.

129. — Sententiae. Circa quaestionem quaenam ex causis actum supernaturalem producentibus sit habenda pro principali, quaenam pro instrumentali, dantur sententiae quatuor :

I^a affirmat naturam esse *causam principalem* actus supernaturalis. Sic, ait Ripalda (4), plures graves theologi, v. g. Bañez, Gul. Parisien-

(1) D. Th. III, q. LXII, a. 1, ad 2^m. — (2) Suar. l. c. n. 19. — (3) D. Th. *De ver.* q. XXIV, art. 1, ad 5^m.

(4) Immerito citantur a) Molina qui tantum in *Concordia,* d. XXXVIII, distinguit duplicem causam partialem, partialitate nempe effectus et totalitate ; b) Bellarminus qui ut probabiliorem et conformem s. Thomae habet sententiam asserentem Deum uti causis secundis tamquam instrumentis ad opus efficiendum *(De gr. et lib.* arb. l. IV, c. XV, n. 4); c) Vasquez, qui haec habet : « Ita debemus vocare intellectum ac voluntatem instrumenta ad actus supernaturales, ut non negemus esse causas proprias et principales, quas partiales vocant, respectu illius rationis quae in effectu ipsis respondet. » (In I p. d. CLXXVI, c. V, n. 26.)

Neque simpliciter tamquam patroni istius sententiae habendi sunt a) Bañez et Alvarze

sis, Zumal, Petrus Ledesma, Alvarez, Aegidius, Driedo; ex nostris Bellarminus, Fonseca, Vasquez, Salas, Erice, Jannerus, Becanus, Molina.

IIª tenet naturam esse causam *instrumentalem*. Sic Aegidius (1), Paludanus (2), Capreolus (3), Medina (4); ex nostris, Suarez (5), Albertinus (6), Arrubal (7).

IIIª docet naturam rationalem esse *principalem cum completur per auxilium supernaturale intrinsecum; instrumentalem vero cum per extrinsecum completur*. Sic Bañez (8).

IVª est Ripaldae tenentis naturam rationalem esse causam *instrumentalem* quatenus est praecise efficiens; *principalem* vero quatenus est *vitalis* et *libera* (9). — Cui sententiae in sequenti thesi adhaerebimus.

THESIS XIXª. — Si actus supernaturalis inspicitur simpliciter, vel uti praecise est supernaturalis, dicendus est procedere ab auxilio gratiae tamquam a causa principali, a natura tamquam a causa instrumentali. Si vero ut vitalis aut liber inspicitur, nihil obstat quin natura vocetur causa ejus principalis, gratia vero causa instrumentalis.

130. — PRIMA PARS. Prob. Iᵐ Arg. *Ratione*. 1. *Ex notione instrumenti*. E duabus causis ad effectum unum concurrentibus, illa causa recte vocatur principalis quae determinat perfectionem praecipuam et propriam; illa autem vocatur instrumentalis quae non determinat nisi perfectionem minorem respondentem minori suae virtuti et quasi disponentem ad principalem. Atqui in actu supernaturali supernaturalitas, quae est praecipua et propria perfectio istius actus, determinatur solo auxilio gratiae; facultas non determinat nisi inferiorem perfectionem quae quadamtenus dispositio est ad supernaturalitatem. Ergo. — 2. Illud est causa instrumentalis actus supernaturalis, quod attingit actum supernaturalem in virtute primi agentis, juxta mensuram virtutis et elevationis primi agentis, quia nempe vis, quae in illo est, improportionata et insufficiens est. Atqui tali modo attingitur

---

qui tantum asserunt naturam non esse *merum* instrumentum (Bañez I p. q. XII, a. 5, dub. 3; Alvarez, d. LXVIII, n. 7 et 12), b) Driedo *(de captiv. et redempt. generis humani*, tr. VI, c. II, p. 2, fol. 151 verso) et Tapperus (*in 7 art. cont. Luth.*).

(1) In II, d. XXVI, q. II, art. 3 prope finem. — (2) In IV, d. XLIX, q. I, n. 42. — (3) In II, d. XXVIII. — (4) In Iᵐ IIᵃᵉ, q. III, art. 2, dub. 1, ad 2ᵐ. — (5) T. I ad IIIᵐ part. d. XXXI, s. 6, solut. 4 arg. et l. III *De aux.* c. XV, n. 20; *Met.* d. XXX, sect. 11, n. 46; l. II *De attrib. negat.*, c. X, n. 14. — (6) T. I, q. VI, *theol. ex 2º princ phil.*, n. 5. — (7) In I p. d. XIX, n. 30. — (8) In Iᵐ IIᵃᵉ, q. XXIV, art. 6, dub. 2, arg. 7 et solut. — (9) D. XXXI, sect. 3 et 4.

actus supernaturalis a natura. Ergo. — 3. Causa movens recte vocatur principalis, causa mota recte dicitur instrumentalis. Atqui Deus causando illustrationem et inspirationem supernaturalem movet arbitrium ad consensum salutarem. Ergo Deus et motus gratiae praevenientis recte dicuntur causa principalis actuum salutarium; natura vero humana recte vocatur instrumentum.

II^m Arg. *Scriptura.* Quod dicitur operari per virtutem a Deo acceptam, esse id per quod Deus agit, agi a Deo non minus atque agere : id convenienter appellatur causa instrumentalis. Atqui homo dicitur Scripturis efficere opera supernaturalia virtute a Deo accepta, esse id quo Deus agit, dicitur etiam agi a Deo. Ergo. — *Prob. 1ª pars min.* a) II Tim. I, 8 : « Collabora Evangelio secundum virtutem Dei. » b) Rom. XII, 3 : « Dico enim per gratiam quae data est mihi, » quae verba sic a Theodoreto exponuntur : « Illius (Spiritus) instrumentum sum » (1). — *Prob. 2ª pars min.* a) II Cor. V, 20 : « Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos » ; b) Rom. XV, 18 : « Non... audeo aliquid loqui eorum quae per me non efficit Christus. » — Confirmatur ex Bernardo in libro *de gratia et libero arbitrio* prope finem : « Quid ergo, si non Pauli, sed Dei loquentis in Paulo vel operantis per Paulum, et verba sunt et opera (2). » Et paulo superius : « Ibi Deus homini benigne merita constituit, ubi per ipsum, et cum ipso boni aliquid operari dignanter instituit (3). » Et supra : « Per quos, et cum quibus operatur Deus, boni sunt vel Angeli, vel homines qui, quod vult Deus, agunt pariter, et volunt. Qui enim bono quod opere complent, voluntate consentiunt, opus omnino, quod per eos Deus explicat, ipsis communicat » (4). — *Prob. 3ª pars min.* Rom. VIII, 14 : « Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, » in quae verba Augustinus : « Procul dubio, ait, plus est agi quam regi; qui enim regitur, aliquid agit, et a Deo regitur ut recte agat. Qui enim agitur, agere aliquid vix ipse intelligitur, et tamen tantum praestat voluntatibus nostris gratia salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere : « quotquot Spiritu Dei aguntur, ii filii Dei » (5).

Observa. Thomistae saepe arguunt ex his textibus, ubi probare intendunt Deum praemovere arbitrium creatum ad salutariter operandum : Natura, aiunt, vocatur instrumentum. Atqui notio instrumenti non verificatur, nisi in sententia thomistica. Ergo. — Huic argumento

(1) Vid. M. LXXXII, 188. — (2) M. CLXXXIII, 1028. — (3) Ib. 1026. — (4) Ib. 1023. — (5) Aug. *De gestis Pelagii*, c. III.

respondetur *distinguendo majorem :* Natura vocatur instrumentum *proprie, Neg.;* magis communiter et *minus proprie, Conc. Cdt. min.* — Natura nempe vocatur instrumentum quatenus operatur per virtutem a Deo datam eo fine ut sequatur salutaris operatio, quatenus ipse Deus per cooperationem liberi arbitrii efficit actum salutarem formaliter acceptum, adeoque praestantiorem perfectionem in effectu operatur.

III^m Arg. Petitur ex locutionibus Patrum. Patres non raro asserunt hominem supernaturaliter operantem esse Dei organum et instrumentum ; comparant hominem instrumentis ab artifice motis. Sic Pseudo-Prosper (1), Marcus Eremita (2), Laurentius Justin. (3), Hugo Victorinus (4).

131. — SECUNDA PARS. Si actus supernaturalis consideratur qua vitalis aut liber, natura dici potest causa principalis, gratia vero causa instrumentalis :

Prob. *Ratione.* 1. Illa causa merito dicitur principalis, quae determinat exsistentiam effectus virtute suae naturae vel formae ; instrumentalis dicitur ea quae perfectionem accidentalem communicat huic effectui. Atqui si actus supernaturalis consideratur uti praecise vitalis est aut liber, merito dicitur anima eum efficere vi naturae vel formae, gratia vero ei superaddere perfectionem accidentalem. Intellectus enim et voluntus, vi naturae suae, efficiunt vitalem intellectionem aut volitionem, immo sibi sufficiunt ut attingere valeant objectum materiale ratione ejusdem objecti formalis quod nunc de facto attingunt una cum gratia ; auxilium autem gratiae superaddit perfectionem supernaturalitatis. Ergo. — 2. Deus nullatenus attingit actum uti est vitalis. Ergo uti talis procedit a facultate qua causa principali et propria.

Coroll. Ergo causa principalis et instrumentalis duplici sensu usurpantur : a) Principalis dicitur ea quae alteram causam sibi subordinat, dirigit, movet ; haec altera est instrumentalis. — b) Principalis

(1) « Implet Spiritus Sanctus organum suum, et tamquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum. « *Ep. ad Demitriadem de humilitate,* c. XXIII.

(2) « Ferrum dum secat, scindit, arat, plantat, ipsum quidem, quatenus impellitur, aliquid praebet, alius tamen est qui movet et agitat ferrum... Hunc in modum homo, licet exerceatur et laboret operans quod bonum est, Dominus tamen clam in ipso operatur. » L. *de paradiso* in proaemio, ap. *Binuium : Bibl. Patr.* t. XI, p. 875.

(3) De martyribus ait : « Gratia Dei, eorum naturae utens instrumento, eosdem insuperabiles reddit. » *De casto connubio Verbi et animae,* c. 8.

(4) « Bona voluntas instrumentum est, Spiritus Sanctus est artifex » (l. I *de sacr.* p. VI, c. XVII).

etiam dicitur causa quae in effectu ponit perfectionem propriam et principalem ; sic concursus gratiae divinae est causa principalis actus supernaturalis utpote supernaturalitatem in eo causans. Causa quae in effectu ponit perfectionem ignobiliorem, dicitur instrumentalis.

Observa. a) Si agitur de actibus naturalibus, facultas hominis dici potest instrumentalis eo quod movetur et applicatur ad actum primum a causa prima et sic moraliter movet ad actum secundum ; dici vero potest principalis, eo sensu quod determinatio, specificatio et exin perfectio propria actus ab ea pendet. — b) Si agitur de actibus salutaribus, facultas hominis est utroque sensu instrumentalis, siquidem moraliter movetur per gratiam excitantem et supernaturalitas actus physice efficitur per eamdem. — c) Si agitur de causa morali, persona quae causam physicam movet, est principalis ; medium quo ad movendum utitur, puta preces, minae, est causa instrumentalis.

Satisfit difficultatibus.

Alvarez. *De aux.* d. xlviii, n. 9 sq.

132. — **Obj.** 1°. *Contra arg. I^ae partis.* Eo quod actus supernaturalis procedit a natura secundum virtutem a Deo acceptam, non sequitur naturam esse causam instrumentalem. Ex hoc enim argumento consequens foret naturam non esse nisi causam instrumentalem actuum naturalium, siquidem a Deo recepit virtutem hos actus efficiendi. Sed consequens est falsum. Ergo.

Resp. *Neg. ant.* Ad probationem *negatur major.* Virtus, a qua procedunt actus naturales, est ipsa natura cui debitae sunt facultates. Contra virtus quae efficit supernaturalem actum est prorsus indebita.

Obj. 2°. Quod ratione propriae formae non habet aliquam actionem praeviam, per quam operetur dispositive ad effectum principalem agentis, id non est causa instrumentalis. Atqui in homine nulla datur hujusmodi actio ad actus supernaturales. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Illud non est instrumentum *proprie,* quod etc., *Conc.:* magis *communiter, Neg.*

Obj. 3°. Ille est principalis agens, qui denominatur ab actione. Atqui homo ab actione supernaturali denominatur credens, sperans, amans. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Est principalis agens actionis consideratae *secundum id ex quo denominatio trahitur, Conc. ; secundum cetera, Neg. Cdt.*

min. Homo denominatur credens etc. ab actione *secundum quod est vitalis intellectio aut volitio, Conc.;* secundum quod est *supernaturalis, Neg.* — b) *Dist. maj.* Principalis agens denominatur ab actione *quae pure actio est, Conc.;* quae est *simul actio* et *passio, Neg.* Tunc enim denominationem accipit subjectum in quo recipitur actus, sive ipsum fuerit agens principale sive instrumentale.

Obj. 4°. Actus salutares formaliter et intrinsecus dependent ab intellectu et voluntate. Atqui nullus effectus sic dependet ab instrumento. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Actus uti sunt *vitales, Conc.;* uti sunt *supernaturales, Neg.* aut *Subd.* et insuper non dependent principaliter, licet extrinsecus, a Deo causante eos et conservante, *Neg.;* secus, *Conc. Cdt. min.* Nullus effectus pendet formaliter et intrinsecus ab instrumento *sub omni respectu, Conc.; sub aliquo respectu, Neg.*

Obj. 5°. *Facultas intrinsecus elevata est causa principalis.* Illud est causa principalis cujus virtuti proportionatus et connaturalis est effectus. Atqui actus supernaturalis est proportionatus et connaturalis facultati intrinsecus elevatae. Ergo.

Resp. In facultate intrinsecus elevata duo considerantur, elevatio nempe et facultas. Elevatio autem est causa principalis actus qua praecise supernaturalis. Quare *Conc. maj. Dist. min.* Actus supernaturalis est proportionatus facultati elevatae *ratione elevationis actus, Conc.; ratione facultatis, Neg.*

Obj. 6°. Juxta Tridentinum arbitrium non agit suam conversionem ut merum instrumentum. Ergo.

Resp. Tridentinum non excludit ab arbitrio creato omnem rationem instrumenti, sed tantum instrumenti se passive habentis, seu agentis per virtutem adaequatam sibi extrinsecam sine ulla activitate immediata et intrinseca sibi.

CAPUT III.

De gratuitate gratiae.

Postquam de causis gratiae actum est, dicendum jam est de ejus proprietate seu de gratuitate. Inquiremus itaque : a) an homo propriis suis viribus gratiam quomodocumque mereri possit; b) an gratiam

impetrare valeat; c) an ad eam se disponere valeat? Per modum appendicis inquiremus quomodo intelligendum sit effatum usu receptissimum : « Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. »

ARTICULUS I.

An homo gratiam mereri possit.

RIPALDA, *De ente*, d. XV-XIX.

§ 1. STATUS QUAESTIONIS.

133. — Notiones. A. *Meritum* in genere sumitur concrete et abstracte; consideratur in actu primo aut in actu secundo.

1. Meritum *in concreto* est opus praemio dignum, aut etiam obsequium praemio dignum. — Ut opus sit hujusmodi, exigitur a) ut sit liberum; b) ut sit honestum : quis enim dicat opus malum esse praemio dignum? c) ut cedat in honorem aut utilitatem praemiantis. — Meritum *in abstracto* est dignitas operis ad praemium, aut valor praemio dignus. — Ista dignitas est forma meriti concrete inspecti, opus enim afficit illudque reddit meritorium.

2. Datur meritum *in actu primo* et meritum *in actu secundo*. a) Meritum *in actu primo* est opus obsequiosum per se dignum praemio, cui tamen praemium citra inhonestatem denegari potest, quod proinde est in potentia ad praemium. — b) Meritum *in actu secundo* est opus quod actu meretur praemium adeoque cui praemium citra inhonestatem denegari non potest. Ad hoc exigitur ut *acceptari debeat,* vel saltem *fuerit libere acceptatum* a praemiante in retributionem.

B. Distinguitur meritum *de condigno, de congruo* et *impetrative,* genus enim meriti hactenus descriptum descendit ad triplicem speciem per additionem triplicis differentiae specificae.

1. Obsequium meretur praemium *de condigno,* si habet cum eo aequalitatem proportionis. Inde non exigitur *entitativa* aequalitas inter opus obsequiosum merentis et praemium : sic obsequia supernaturalia justorum merentur de condigno gradum gratiae sanctificantis et gloriae caelestis; deest tamen entitativa aequalitas inter opus meritorium et praemium. Sufficit itaque aequalitas *proportionis,* vi cujus praemium se habet ad praemiantem sicuti opus meritorium ad merentem. — Alii dicunt meritum condignum esse illud quod habet valorem aequalem ac praemium. — Valor aequalis ille est qui ex se solo, h. e. praescindendo

a gratuito favore praemiantis, sufficit ut prudenter et juste detur praemium. — Qui hujusmodi obsequium acceptat, se obligat *ex justitia* aut ex quasi justitia ad retribuendum.

2. Obsequium meretur *de congruo*, si non est quidem ejusdem valoris ac praemium, attamen benevola aequitas postulat ut ei praemium retribuatur. — Qui tale obsequium acceptat, se obligat *ex aequitate* ad retribuendum.

3. Meritum *impetrative* est opus cui inest vis flectendi superiorem ad praemium donandum. Qui acceptat hujusmodi obsequium, movetur *misericordia*. Impetratio competit soli orationi ; quare in abstracto solet definiri « vis flectendi superiorem per humilem deprecationem inferioris. »

Observa. 1. Impetrationi materialiter consideratae potest inesse meritum de condigno aut de congruo praeter meritum impetrativum : Sic humilis petitio potest esse obsequium quod praemium exigit ex justitia aut postulat ex aequitate ; potest insuper movere eum cui praestatur, ut misericordia motus annuat petitioni. Si movet misericordiam, fit quadamtenus abstractio obsequii quod operi inest, et non consideratur nisi formalitas petitionis aut alia ratio honesta nata movere misericordiam. Pauper enim eleemosynam petens a divite obsequium ei praestat ; sed istud obsequium ex intentione pauperis et acceptatione divitis eo spectat ut liberalitatem et misericordiam moveat, ita ut dives flectatur ob insitam bonitatem et misericordiam.

2. In merito de congruo misericordia quoque locum habet, siquidem nihil ei debetur ex justitia. Inde saepe vocatur *impetratio*. Sic Tridentinum : « Contritio, ait,... animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Fuit... quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius. » Sess. XIV, c. IV.

3. Attamen aliud prorsus est impetratio, aliud meritum etiam congruum, si formaliter considerantur. Id enim constat tum quia impetratio habet ordinem ad misericordiam, meritum vero ad justitiam aut aequitatem ; tum quia beati in caelo, immo ipse Christus, interpellando pro nobis, impetrant dona, non autem ea merentur ; tum quia Aquinas tribuit orationi ex gratia factae duplicem virtutem, merendi nempe et impetrandi (IIa IIae, q. LXXXIII, a. 15).

C. Ex praejactis cernere est triplicem speciem relationis intercedere posse inter opus obsequiosum et mercedem : a) Vel operi obsequioso inest exigentia praemii ex justitia vel quasi justitia, quia ei inest

aequalitas cum praemio. — b) Vel ei inest, non quidem exigentia nec aequalitas, sed convenientia postulans praemium ex benevola aequitate. — c) Vel ei inest ratio apta ad movendam misericordiam alterius.

134. — Quaestio. In tractatu de merito probatur hominem per actiones ex gratia elicitas mereri posse gratias subsequentes et ultimatim collationem gloriae. Heic inquiritur utrum per actiones naturaliter honestas valeat mereri aut impetrare gratiam. Quaestio, ut patet, movetur de qualibet actione naturaliter honesta sive procedat ab eo qui jam recepit gratias actuales, immo qui informaretur gratia sanctificante, sive procedat a peccatore et ab eo qui gratias aut non recepit aut rejecit. Si quaestio affirmative esset solvenda, si nempe gratia prima non daretur nisi ob merita naturalia, manifestum esset consequi ex hac solutione totam seriem gratiarum, immo gloriam aeternam, cadere sub merito operum naturalium; si contra negative solvitur, consequitur gratuitam esse collationem gratiae et gloriae.

Ut determinatius proponatur quaestio, ad sequentia advertatur :

1. Non quaeritur utrum homo ita possit mereri gratiam de condigno, ut Deus teneatur officio strictae justitiae gratiam ei conferre. Etenim probabilius homo sic non valet mereri a Deo etiam per opera supernaturalia. Qui enim obnoxius est officio strictae justitiae, dependet a termino officii, siquidem motivum obligationis petitur ex hoc termino. Cum autem Deus nequeat proprie pendere a creaturis, inde nulla justitia proprie dicta videtur cadere in Deum, sed tantum impropria, qua nempe Deus sibi debet ut dona concedat alliis ob acceptationem obsequiorum, ob fidelitatem, ob bonitatem, etc.

2. Neque quaeritur utrum actio naturaliter honesta sit meritoria actionis Dei collativae gratiarum entitative inspectae. In Deo enim non datur successio nec pluralitas actuum, sed unus simplicissimusque actus qui est essentia, intellectus, voluntas, multiplex actus scientiae et voluntatis. Perspicuum autem est hominem non posse mereri hujusmodi actum. — Quare non potest fieri sermo nisi de Dei actione terminative sumpta, quaerendo nempe utrum homo per actionem naturaliter honestam mereri possit ut actio Dei terminetur ad collationem hujus gratiae.

3. Neque etiam quaeritur utrum actio hominis proprie moveat Deum ad dandam gratiam, siquidem Deus non movetur nisi increata sua bonitate quae est finis omnium rerum.

4. Quare inquiritur utrum actio naturaliter honesta sit ratio cur actio divina terminetur ad collationem gratiae, ratio, inquam, vel

quia est aequalis cum gratia, vel quia ex aequitate benevola postulat collationem gratiae, vel quia ei inest vis flectendi misericordiam Dei.

135. — Sententiae. 1ª sententia, inter catholicos communis, fert hominem actione naturaliter honesta non posse mereri gratiam neque de condigno, neque de congruo, neque impetrative, adeoque actionem naturalem neque exigere gratiam ob aequalitatem suam cum ea, neque gratiam postulare ex benevola aequitate, neque instrui virtute flectendi misericordiam. — Attamen, quoad meritum impetrative, dicendum est non repugnare ut orationi naturali insit vis impetrandi gratiam, sed sola revelatione constare Deum in praesenti ordine Providentiae non flecti hac oratione ad conferendam gratiam.

De fide definitum est hominem opere naturali non mereri de condigno gratiam. Patet ex Milevitano, Arausicano, Tridentino, Vaticano, testimoniis allatis adversus pelagianos et semipelagianos. — Utrum definitum fuerit hominem non posse mereri de congruo non constat.

2ª sententia est pelagianorum. Postquam diu ipsam exsistentiam gratiae internae denegaverant, in ultimo stadio controversiae admiserunt gratiae internae intellectus exsistentiam; verum triplici errore faedaverunt sua placita : a) asserebant non quidem requiri absolute hanc gratiam ad opera salutis, verum utilem tantum eam esse; b) hanc gratiam dicebant deberi merito naturae; c) nullam dari gratiam voluntatis defendebant.

3ª sententia est semipelagianorum. Concedebant quidem requiri gratiam Christi ad augmentum fidei, in operibus bonis situm, et ad perseverantiam; verum negabant requiri gratiam ad initium fidei quod meretur fidei augmentum, sive aliter defendebant opera nonnulla naturaliter honesta, silicet actum fidei, desiderium salutis, conatum ad surgendum e peccato, orationem, quibus contineri dicebant initium fidei, mereri gratiam requisitam ad servandam Dei legem et edenda opera salutis.

Nonnulli scholastici affirmaverunt hominem per naturalem orationem, paenitentiam, Deique amorem, de congruo mereri posse gratiam. Sic Gabriel (1), Scotus (2), Javel (3).

Observa. Propositio modo adversus semipelagianos probanda intimo quidem nexu devincitur cum thesi secunda, immo logice ex ea fluit; est

(1) Gabriel : In I, d. xli, q. unica, art. 3 ; in II, d. xvii, q. i, a. 2; in III, d. xvii, q.un., a. 3, dub. 2; in IV, d. xiv, q. i, a. 2. — (2) Scotus : In IV, d. xiv, q. ii, § de secundo. — (3) Javel : *Tract. de praed.* ad Im p. q. xxiii, a. 5.

tamen diversa ab hac thesi. Semipelagianorum enim error complectebatur duo : asserebant enim gratiam non esse necessariam ad initium fidei, quod refutatum est thesi secunda; deinde defendebant hominem per eas actiones naturales, quibus constabat initium fidei, posse et debere mereri gratiam quam admittebant esse necessariam ad augmentum fidei; id autem nunc refutandum venit.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XX_a. — Homo nequit per actionem naturaliter honestam mereri gratiam, neque de condigno, neque de congruo, neque impetrative.

136. — PRIMA PARS. Homo nequit mereri gratiam de condigno aut de congruo.

Prob. I^m Arg. Homo est physice incapax eliciendi solis naturae viribus ullum actum qui ad salutem aut salutis initium conducat. Atqui hoc falsificaretur, si per actionem naturaliter honestam valeret mereri gratiam de condigno aut congruo, siquidem tandem aliquando totam seriem, ipsamque salutem, adscribere posset viribus naturalibus. — Major probatur argumentis quibus innititur thesis 1^a et 2_a.

II^m Arg. Eo quod homo per actionem naturaliter honestam mereretur de condigno aut de congruo gratiam, consequens foret gratiam jam non esse gratiam : Apostolus enim Judaeis opinantibus gratiam fidei christianae et justificationis sibi deberi ex operibus legis, dicit : « Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia; » consequens, etiam foret, uti ex se manifestum est, gratiam non esse prorsus gratuitam. Atqui primum dici non posse constat ex verbis Apostoli modo citatis, alterum rejiciendum esse probatur ex eodem Apostolo et ex Augustino.

1. Apostolus gratuitatem gratiae multis locis proponit : a) Eph. I, 5 : « Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae in laudem gloriae gratiae. » — Eph. II, 6 sq. : « Consedere nos fecit in caelestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per fidem et hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur. » — Rom. IX, 12 sq. : « Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori.... Moysi enim dicit : miserebor cujus misereor et misericordiam praestabo

cujus miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. »

Adhuc arguitur ex I Cor. IV, 7. Ad hujus loci intelligentiam haec videntur praemittenda : α) Paulus exhortatur Corinthios ad unitatem inter se servandam, vitatis schismatibus (I, 1-12). β) Ostendit studia factionum esse reprehensibilia, quia unitas Ecclesiae est servanda (I, 13-17), quia nefas est recedere ab ipso Paulo ex hoc motivo quod ipsius ratio docendi est simplex et humilis (I, 18 — III, 4), quia omnes magistri, cum sint ministri unius Dei, debent esse uniti inter se et exstruere supra idem fundamentum (III, 5-17). γ) Concludit reprehensionem exhortatione tenerrima ut fideles caveant ne unum doctorem praeferant alteri, siquidem omnes in utilitatem eorum sunt dati (III, 18-22), ut se non constituant judices magistratuum, siquidem soli Deo id judicium competat (IV, 1-6). Quibus dictis, adducit verba, e quibus arguitur, et quibus secundum alios compellantur duces factionum, secundum alios Corinthii. Sunt autem hujusmodi : « Quis enim te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? » — « Versus hic, inquit Cornely in h. l., juxta communem fere omnium interpretum explicationem, de naturalibus donis agit, quibus factionum duces inflabantur, non de gratiis supernaturalibus. Nihilominus inde a s. Augustini aetate, qui eum contra Pelagianos et semipelagianos frequenter adhibuit, in controversiis de gratia est celeberrimus ; neque est dubium, quin recte etiam ad dona supernaturalia adhibeatur. Quodsi enim homo a se ipso donum naturale, quo ab aliis discernatur et de quo tamquam sibi debito gloriari possit, non habet, multo minus in ordine supernaturali ejusmodi donum possidet. Quare minime quidem tamquam sensus litteralis, sed velut legitimum corollarium id admitti debet, quod verbis nonnullis Augustini Thomas primo in loco affert : « Quis te discernit a massa perditorum ? Tu te ipsum discernere non potes ; quare non habes in te, unde contra alios gloriaris.

2 AUGUSTINUS (1) docet Sixtum argumenta Pelagianorum : « Possunt quidem dicere, ait, remissionem peccatorum esse gratiam quae nullis praecedentibus meritis datur. » Respondet vero Augustinus : « Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides (naturalis) hanc impetrat... Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium... non humano... tribuamus arbitrio, nec ullis praecedentibus

(1) AUG. CXCIV *Ep. ad Sixtum*, c. III, n. 9. M. XXXIII, 877.

meritis... sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est sine meritis, cogitamus ». Quibus verbis luculenter docet Augustinus fidem naturalem nec condigne mereri nec congrue (impetrando) remissionem peccatorum ; contra fidem salutarem, quae est radix justificationis, esse gratuitum Dei donum.

III^m Arg. Ex CONCILIIS. Juxta Concilia naturae vigor nihil potest in ordine salutari ; ut credamus salubriter, fit in nobis per inspirationem Sp. S.; a Dei gratia praeveniuntur omnia hominis merita ; ab ea incipit totus processus justificationis. Atqui haec falsificarentur, eo quod opera naturaliter honesta dicerentur mereri gratiam de condigno aut de congruo. Ergo. — Patet major, a) ex Arausicano, can. 3, 4, 6, 7 (Denz. n. 146 sq.). b) Ex epistola Caelestini ad episcopos Galliae c. XII : « Omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri » (Denz. n. 96). c) Ex Tridentino sess. VI, c. v. Declarat « ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum praeveniente gratia sumendum esse, h. e. ab ejus vocatione qua, nullis eorum exsistentibus meritis, vocantur. » d) Ex Vaticano sess. III, c. III : « Nemo... evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operatur, est donum Dei. » Ib. can. III, 5 : « Si quis dixerit... ad solam fidem vivam quae per caritatem operatur, gratiam Dei esse necessariam, A. S. » Ad quos locos advertere juvat quod non modo affirmatur hominem non posse mereri gratiam operibus naturalibus, qui loquendi modus a Conciliis de merito condigno usurpari solebat ; sed adhuc ista opera nihil prorsus conferre ad salutem, at gratiam praevenire simpliciter, quae verba aperte excludunt meritum congruum, immo impetrativum.

IV^m Arg. Ex AUGUSTINO : S. Augustinus multis modis propugnat gratiam Dei prorsus gratuitam esse, adeo ut non modo meritum de condigno excludatur ab operibus naturalibus, sed etiam meritum de congruo. Id enim constat tum ex *Epistola ad Sixtum*, tum *Enarratione* II *in ps.* XXX, n. 6, ubi sic adversarios refellit « Quare gratia? quia gratis datur. Quare gratis datur ? quia merita tua non praecesserunt. Illi ergo gloria qui nos liberat. » Constat adhuc *Enarr. in ps.* LXX n. 1, ubi ait : « Si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum praecessit, ut acciperes. Nam si aliqua bona opera tua praecesserunt,

pretium accepisti, non gratis; pretium autem quod nobis debetur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est. » Constat quoque ex libris *de praedestinatione SS.* et *de dono perseverantiae,* ubi doctrinam de gratuitate gratiae ex professo defendendam suscipit. Denique celebre est effatum s. Augustini : « gratia non invenit, sed efficit merita » (1).

V^m Arg. RATIONE THEOLOGICA. Gratia est principium operationis supernaturalis formaliter sumptae, adeoque est et ipsa supernaturalis. Atqui opera naturalia principium operationis supernaturalis mereri nequeunt, neque de condigno neque de congruo, h. e. exigere nequeunt titulo justitiae collationem istius principii, neque illud postulare ex benevola aequitate. Ergo. — *Decl. 1^a pars. min.* Opera naturalia exigere tantum possunt ex justitia assecutionem finis naturalis et bona ad hunc finem pertinentia aut conducentia; nullatenus vero exigere valent id quod naturam superexcedit, estque simpliciter indebitum : secus enim gratia fit naturalis, ac destruitur totus ordo supernaturalis. — *Decl. 2^a pars. min.* Opera naturalia non postulare valent ex benevola aequitate nisi bona in eodem ordine contenta.

Itaque opera naturaliter honesta non sunt apta ad merendum gratias de condigno aut de congruo, proindeque nequeunt a Deo acceptari ut meritoria gratiae, siquidem fundamentalis aptitudo iis deest.

137. — SECUNDA PARS. OPERA NATURALITER HONESTA NEQUEUNT IMPETRARE GRATIAM.

Prob. Certa est lex Deum nolle moveri ad conferenda dona supernaturalia nisi precibus aliisve operibus ex gratia factis, sive precibus quarum ipse sit inspirator et auctor. Ergo operibus naturaliter honestis nulla inest vis impetratoria. — *Probatur antecedens* tum in genere testimoniis quibus ostenditur hominem esse totaliter incapacem edendi ullius operis ad salutem conducentis, quae incapacitas exigit ut ne flectere quidem valeat Dei misericordiam; tum testimoniis quibus Patres affirmant initium salutis esse totum a Deo, quod falsificatur si preces naturales valent flectere Deum; tum testimoniis affirmantibus gratiam ipsam efficere ut Deus invocetur, non autem conferri ob invocationes, tum speciatim sequentibus testimoniis affirmantibus Dei misericordiam non flecti nisi precibus ex gratia factis : a) Rom. VIII, 26 : « Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis. » Sensus est : « Non valemus viribus naturae fundere

(1) AUG. *Tract.* LXXXVI *in Joh.* n. 2, M. XXXV, 1851.

preces quibus Deus flectatur ad conferendam gratiam, sed gratia Spiritus nos adjuvat. » — b) Joh, xv, 7 : « Si manseritis in me (per fidem) et verba mea in vobis manserint (per caritatem opera conformantem fidei), quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis, » quae verba, si conferuntur cum initio capitis : « sine me nihil potestis facere, » indicant non tantum eum qui manet in Christo cum fructu petere gratiam a Deo, sed adhuc eum qui non juvatur Dei auxilio, adeoque non orat nisi viribus naturae, non impetraturum esse gratias. — c) Arausic. can. 3 : « Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae vel Apostolo etc. » et can. 4 : « Si quis ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto. » Denz. n. 146 sq.

138. — Scholion. Censet Ripalda [1] absolute fieri posse ut precibus naturalibus insit vis impetrandi gratiam, seu absolute fieri potuisse ut Deus voluisset misericordiam et liberalitatem flecti per preces naturales ad dandas gratias impetratas. Probatur duplici ratione : 1. Absolute loquendo nihil obstat quin Deus sinat se moveri precibus naturalibus ad conferendam gratiam. Vel enim obstaret indignitas hujusmodi operis, vel excellentia gratiae. Atqui neutra obstat. a) Non obstat *carentia dignitatis in opere naturali.* Quod enim impetrat, non exigit praemium ex justitia aut ex aequitate, proindeque ei inesse non debet dignitas quae fundet exigentiam aut postulationem ; verum dirigitur ad misericordiam et liberalitatem ; Deus autem sinere potest ut haec flectatur, visa indigentia petentis, immo sic magis commendatur Dei liberalitas. b) Neque obstat *gratuitas* gratiae. Si enim gratia impetrata conceditur, fuit concessa ex pura misericordia et liberalitate donantis, ac subinde gratuito. — 2. Deus, visa indigentia naturae, motus est misericordia et liberalitate ut eam primitus ad statum supernaturalem elevaret, deinde ut eam lapsam erigeret et salvaret per Incarnationem et mortem Filii sui. Ergo potuisset, si voluisset, flecti precibus naturalibus ad dandam gratiam ex mera liberalitate.

Idcirco discrimen inter meritum et impetrationem datur, quia actiones naturaliter honestae sunt absolute incapaces ad merendum in actu primo, siquidem nulla eis inest dignitas ob quam exigere valent gratiam ex justitia aut postulare ex aequitate, dum contra sunt hypothetice

(1) Ripalda. *De ente,* d. xix, s. 3.

capaces flectendi Deum ut gratuito, ex misericordia, petitis annuat; *hypothetice* inquam, h. e. si Deus dignetur eas acceptas habere. Verum revelatione est notum de facto Deum precibus naturalibus non flecti.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

Contra praesentem thesim moveri possunt omnes difficultates a semipelagianis propositae contra thesim II^{m}. Insuper moventur sequentes.

139. — EX SCRIPT. Obj. 1°. Christus apud Matthaeum (x, 11) praecepit Apostolis ut ingressi in civitatem interrogent quis in ea dignus sit audire evangelium; et apud eumdem (VII, 6) prohibet ne indignis annuntient, dicit enim: « Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. » Ergo Deus dat gratiam secundum merita.

Resp. Christus apud Matthaeum X jubet apostolos ut hospitentur apud eos qui bona fama gaudent, ne, si apud infames divertant, evangelium male sonet. Sic locum interpretatur Hieronymus. — Ex Matthaeo VII ad summum colligitur Deum in largienda gratia rationem habere negativae dispositionis. Loquitur enim Christus de praecepto corrigendi proximum et vetat ne quis eos, qui in sceleribus suis sunt abstinati et incorrigibiles, similesque se fecerint canibus et porcis, doceat et corripiat, cum talis conatus magis obesse quam prodesse soleat. Multi per *sanctum* intelligunt *Baptismum* et *Eucharistiam,* quae sacramenta peccatoribus obstinatis conferenda non sunt, et per margaritas summa fidei mysteria, quae aperienda non sunt iis qui illa contemnunt et ignominia afficiunt.

Obj. 2°. Christus apud Matth. XXV docet gratias distribui secundum propriam virtutem: « Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem. » Atqui virtus propria continetur meritis operum naturalium. Ergo.

Resp. a) Alii interpretes volunt finem parabolae « unicuique secundum propriam virtutem » non applicari Deo distributori gratiarum, sed eo claudi parabolam, juxta morem narrantibus consuetum. b) Alii dicunt talenta et virtutem esse ejusdem ordinis; dissentiunt de ordine assignando. α) Alii volunt solum sensum esse: Deus dat varia dona naturalia pro diversis meritis aut diversa capacitate naturae. β) Alii: Deus dat diversas gratias sanctificantes pro diversis meritis supernaturalibus. c) Alii concedunt diversum esse ordinem talentorum et virtutum, verum affirmant virtutes non mereri gratiam. Hi iterum dissentiunt

inter se : α) Alii sic intelligunt : Deus concedit diversas gratias gratis datas ad implenda ministeria, secundum diversas capacitates seu dispositiones naturales. Patet has dispositiones non esse meritorias harum gratiarum. β) Alii sic : Deus dat diversas gratias actuales pro diversis virtutibus, h. e. dispositionibus negativis.

140. — EX PATRIBUS. Obj. 3°. Patres excluserunt ab operibus naturalibus illud tantum meritum quod Semipelagiani iis tribuebant. Atqui hi tribuebant meritum condignum. Ergo.

Resp. *Ad majorem.* Non tantum ex opinione adversariorum judicandum est de doctrina a Patribus tradita ; sed imprimis ex iis quae clare ab ipsis proponuntur. Nihil enim vetat quin ulterius progrediantur, ut radices errorum exstirpent. Jamvero clare excluditur omne prorsus meritum. Inde negari potest major aut distingui.

Ad minorem. Semipelagiani videntur variasse circa meritum operum naturae. Non raro meritum condignum vindicarunt ; non raro etiam merito congruo contenti fuerunt, quod constat dupliciter : a) Unice volebant ut in operibus naturae desumeretur ratio diversae distributionis gratiae ; jamvero si ista opera dicuntur de congruo meritoria gratiarum collatarum, adeo ut nulla a Deo concedatur gratia, nisi secundum hujusmodi merita, habetur profecto sufficiens ratio discriminis. b) Interdum explicite admiserunt Semipelagiani deesse meritum condignum operibus naturae. Sic Collator : « Dicimus petitionem et inquisitionem et pulsationem non esse condignam, nisi misericordia Dei id, quod petimus, dederit » (1). Ita etiam Faustus (2). Quare negari aut distingui potest minor.

141. — RATIONE THEOLOGICA. Obj. 4°. Deus non est acceptor personarum. Atqui talis tamen fit eo quod gratiam non conferret secundum merita. Ergo.

Resp. a) In epistola ad Romanos dicitur Deus non esse acceptor personarum inter Judaeos et Gentiles, quia utrosque redemit et ad fidem vocavit. Quare si omnibus offert gratias, licet nullus gratias meruerit, eo ipso jam non est personarum acceptor. b) Attamen non omnibus gratuito offeruntur gratiae aequales ; ideo tamen dici nequit Deus esse personarum acceptor ; et ratio est quia nemini ulla gratia est debita. Si pluribus esset debita gratia, et si aliis quidem daretur, aliis vero negaretur, tunc tantum arguendus foret Deus acceptionis personarum.

(1) Cassian. *Collat.* XIII, c. ix, l. XII, *de Coenob. Inst.* c. xi et xiv. — (2) Faust, *De gr. et lib. arb.* l. I, c. xvii.

Obj. 5°. Eo quod Deus non respiceret ad merita, gratiae oblationem praecedentia, consequeretur non magis nocivum esse futurum homini si omni vitiorum coeno se contaminaverit, quam si integrum se custodierit, siquidem non mensurantur gratiae ad dignitatem aut indignitatem naturalem. Atqui hoc est falsum ; experimento enim compertum est corruptissimos homines esse multo remotiores a fide quam honeste viventes. — Consequens etiam esset nullum dari discrimen inter peccantes ex malitia et ex infirmitate. Atqui hoc esse falsum constat ex Apostolo : « Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate » (I Tim. I, 13).

Resp. 1. Ut solvatur difficultas, sufficit ut Deus in distributione gratiarum respiciat ad dispositiones negativas, ita nempe ut secundum providentiam ordinariam plures conferat gratias iis qui minora opponunt obstacula. — 2. Qui negant Deum in distributione gratiarum attendere ad dispositiones negativas, adeoque admittunt tot generatim offerri gratias magnis peccatoribus quot minoribus, solvere valent difficultatem dicendo magnos peccatores ob pessimas et inveteratas consuetudines se praebere surdos vocationi gratiae, parvos contra dociles praebere aures.

Obj. 6°. In tantum vis impetrandi deneganda esset operibus naturae, in quantum derogaret gratuitati gratiae. Atqui nullatenus obstat. Eleemosyna enim datur ad petitionem qua quis flectitur ; tamen datur gratuito ex mera liberalitate. Ergo.

Resp a) *Dist. maj.* In quantum derogaret *gratuitati essentiali gratiae Neg. ;* gratuitati *speciali* qua Deus gratiam ornari voluit in hoc ordine providentiae, *Conc. — Cdt. min.* — b) *Negatur major.* Ratio ob quam negatur opera naturalia impetrare gratiam est quia hoc ex revelatione eruitur.

Obj. 7°. Actiones honestae justorum, elicitae sine auxilio gratiae actualis, merentur gratiam actualem, puta gratiam quae exigitur ad vincendas tentationes graves. Quod enim aptum est ad merendum praemium supernaturale, id etiam aptum est ad merendam gratiam actualem. Atqui actiones honestae justorum elicitae solis naturae viribus sunt aptae ad merendum praemium supernaturale. Ergo. — *Prob. min.* Actio honesta elicita a peccatore cum auxilio gratiae actualis solius, accipit ab hac gratia vim merendi praemium supernaturale, puta gratiam actualem ulteriorem. Atqui gratia sanctificans, sine auxilio gratiae actualis actionem elevantis, confert actioni honestae a justo elicitae id quod gratia actualis confert actioni honestae a pec-

catore elicitae. Ergo. — *Prob. min.* Quod actioni honestae confertur principio supernaturali minus digno, id a fortiori confertur principio supernaturali digniori. Atqui gratia sanctificans est dignior gratia actuali. Ergo.

Resp. Conceditur major syllogismi principalis et *negatur minor.* — Ad probationem iterum conceditur major et *negatur minor.* Ad probationem *distinguitur major :* Quod actioni honestae confertur principio minus digno, id a fortiori confertur digniori, si illud principium dignius influit in actionem honestam *eadem specie influxus,* sc. *physici, Conc. ;* si influit *diversa specie* influxus, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui licet gratia sanctificans non influat physice in actiones honestas justorum, nihilominus eis tribuit omnem dignitatem quam gratia actualis tribuit actioni honestae peccatoris. Etenim opus obsequiosum, qualis est actio meritoria, dignificatur primario dignitate personae et nonnisi secundario aliis principiis. Porro justus, beneficio gratiae sanctificantis, est filius Dei et quadamtenus deificatur ; contra peccator etiam cum operatur, auxiliante gratia actuali, est filius irae et servus diaboli. Atqui, his datis, dicendum est gratiam sanctificantem, licet non influat physice in actiones honestas, eis tamen conferre omnem dignitatem quam gratia actualis tribuit actionibus honestis peccatorum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Opus obsequiosum dignificatur primario dignitate personae *supra ordinem hujus operis, Neg. ; intra limites ordinis sui,* h. e. actio supernaturalis elicita a justo est dignior actione supernaturali a peccatore elicita, et actio naturalis justi est dignior actione naturali peccatoris, licet tamen non elevetur ad ordinem supernaturalem, *Conc.* — *Contradist. min.*

Inst. Atqui actio honesta justi elicita sine auxilio gratiae actualis dignificatur supra ordinem naturalem. Actiones enim humanae Christi, ratione dignitatis infinitae Verbi, dignificantur ad valorem infinitum, independenter ab influxu physico ullius gratiae creatae. Ergo actiones honestae justorum elicitae sine auxilio gratiae actualis elevantur supra ordinem naturalem.

Resp. *Conc. ant.* — *Neg. cons.* et *negatur paritas.*

Observa. 1. *Quid gratia habitualis conferat.* Gratia habitualis unitur immediate personae quam reddit Deo gratam, ideoque fundat jus ad gratias actuales quibus actiones fiant gratae Deo. Insuper gratia sanctificans, ob dignitatem quam tribuit supposito, dignificat actiones in suo ordine ; quare actiones justorum elicitae cum auxilio gratiae

actualis fiunt de condigno meritoriae ob gratiam sanctificantem. Nihil etiam forsan obstat quin dicatur actiones naturales fieri digniores quam easdem actiones peccatorum.

2. *Quid gratia habitualis non conferat.* Actiones, sine auxilio gratiae actualis elicitae, non fiunt supernaturales nec merentur praemium supernaturale ob dignitatem suppositi, adeoque non dignificantur supra ordinem suum. Id imprimis constat revelatione, qua cognoscimus justos excitandos et juvandos esse gratia actuali haud secus se peccatores; jamvero, si actiones justi elevantur supra ordinem suum vi gratiae habitualis vel solius, non intelligitur necessitas gratiae actualis. Praeterea probatur duplici ratione : a) Justus non est substantialiter justus, sed accidentaliter; inde omnes actiones justi non procedunt ab eo quatenus est justus; inde etiam justitia dignificat quidem actiones pertinentes ad ordinem suum, seu elicitas gratia actuali; verum actiones naturales non elevat ad ordinem superiorem, sed eas nullatenus dignificat, vel tantum dignificat in ordine naturali. b) Gratia habitualis non efficienter influit in actiones, ac proinde nullam perfectionem physicam eis confert.

3. Persona Christi est divina et proinde substantialiter sancta adeoque dignificat omnes actiones humanitatis iis tribuendo valorem infinitum. Omnis enim actio procedit a persona tamquam a principio ut-quod; quare ubi persona est divina et essentialiter sancta, dignificat omnes actiones, siquidem omnes sunt divinae.

Inst. Atqui licet persona justi non sit substantialiter sancta, tamen elevatur ejus actio honesta ad ordinem supernaturalem, licet non elicita fuerit, auxiliante gratia actuali. Etenim :

Obj. 8°. Patriarchae veteris legis potuerunt mereri circumstantiam Incarnationis (puta ejus accelerationem) per actiones supernaturales; speciatim Beata Virgo Maria potuit mereri dignitatem maternitatis divinae. Atqui si justi veteris legis potuerunt mereri haec dona per actiones supernaturales, a fortiori justi per actionem honestam elicitam solis viribus naturae possunt mereri praemium supernaturale, qualis est gratia actualis, adeoque elevari ad ordinem supernaturalem. Ratio est quia qui meretur circumstantiam ordinis hypostatici per operationem supernaturalem meretur majus praemium quam ille qui per operationem elicitam solis naturae viribus meretur gratiam actualem.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad rationem additam haec advertantur : Verbum caro factum est causa meritoria omnium donorum supernaturalium pertinentium ad ordinem divinum; quemadmodum Christus

est filius naturalis Dei, ita justi sunt filii adoptivi. Inde actus supernaturales justorum pertinent ad eumdem ordinem atque unio hypostatica. Ex his explicatur Patriarchas potuisse mereri Incarnationem, non quidem quoad exsistentiam, sed quoad circumstantias. — Contra actus naturales sunt ordinis prorsus diversi atque gratia actualis; quare nequeunt eam mereri, licet distantia qua separantur ab ea sit minor quam est distantia qua actus supernaturales separantur ab unione hypostatica.

ARTICULUS II.

An homo se disponere possit ad gratiam.

§ 1. Status quaestionis.

142. — **Notiones.** *Dispositio,* generice sumpta, est aptitudo ad aliquid faciendum aut recipiendum, seu qualitas qua quis aptus est. Varie dividitur :

1. Dispositio, si inspicitur *terminative,* ratione hujus ad quod disponit, dividitur in dispositionem ad *extrinseca* aut ad *intrinseca* eaque sive *supernaturalia* sive *naturalia.* Datur nempe dispositio tum ad intrinseca, puta ad munera exercenda, tum ad intrinseca, puta ad scientiam, ad virtutem, aliudve donum aut perfectionem; ista dona intrinseca sunt aut naturalia aut supernaturalia, puta sunt gratiae gratis datae, habitus virtutum, gratia sanctificans, gratia actualis. — His cernere est dispositionem ad dona intrinseca esse aptitudinem ad recipiendam formam, seu qualitatem qua subjectum est quasi in motu ad formam tamquam ad terminum aut ad complementum connaturale.

2. Si inspicitur *causaliter,* seu ratione originis suae, dispositio vel est *innata* vel est *acquisita* actibus. Si acquiritur actu libero, morali, honesto, et si respicit donum a Deo acquirendum, vocari solet *moralis.* Ipsi actus vocantur dispositiones ; ita autem appellantur ratione aptitudinis quam conferunt subjecto, proindeque sunt dispositiones causaliter potius quam formaliter.

3. Si inspicitur *formaliter,* dispositio alia est *positiva,* alia *negativa.* a) Dispositio *positiva* consistit in qualitate physice exsistente, qua quis reapse est aptus ad aliquid faciendum aut recipiendum, seu est in motu directo ad formam. Actiones morales inducentes aptitudinem vocantur etiam dispositiones positivae. — b) Dispositio *negativa* consistit in absentia impedimentorum ne munus exerceatur aut forma recipiatur. Quare se disponit negative ille qui removet prohibens, seu qui aufert

ea quae impediunt collationem doni aut exercitium potestatis. Opus quo aufertur impedimentum vocatur etiam dispositio negativa.

4. Dispositio positiva est *proxima* aut *remota*. — a) *Proxima* est qualitas qua quis est proxime aptus ad agendum aut recipiendum, adeoque ultra quam non requiritur alia qualitas ut sujectum sit reapse aptum ad recipiendam formam aut exercendum munus. Actus moralis quo inducitur dispositio proxima, vocatur etiam dispositio proxima ; ultra hunc actum igitur non exigitur actus ulterior. Porro si agitur de dispositione supernaturali proxima ad gratiam sanctificantem, est natura quidem prior, tempore simul et proinde realiter conjuncta cum gratia sanctificante. Sic quo momento peccator elicit actum contritionis perfectae, eodem momento ei infunditur gratia. — Dispositio proxima vocatur adhuc *perfecta, immediata*. — b) *Remota* est qualitas qua quis remote est aptus ad formam recipiendam aut munus exsequendum ; eadem dispositio subjectum facit proxime aptum ad recipiendam aliam qualitatem qua mediante fiet proxime aptum. Actus moralis inducens dispositionem remotam vocatur etiam dispositio remota. Sic si agitur de gratia sanctificante, ad eam remote disponunt actus supernaturales fidei et spei, siquidem reddunt hominem aptum ad recipiendum ulteriorem gratiam qua proxime disponetur. Patet dispositionem remotam tempore separari ab eo ad quod disponit. — Vocatur etiam *imperfecta, mediata*.

5. Dispositio negativa est et ipsa duplex : a) Altera removet prohibens *necessario* seu *absolute*, h. e. removet id quod necessario impedit collationem formae aut muneris. — b) Altera removet prohibens *secundum quid*, h. e. removet id quod potest juste et prudenter, licet non necessario, impedire collationem rei. — Si agitur de dispositione ad gratiam actualem, distinguitur a) dispositio negativa gratiae *excitantis*, quae est remotio illius quod absolute aut secundum quid impedit ne immittantur a Deo illustrationes mentis et inspirationes voluntatis ; b) dispositio negativa gratiae *adjuvantis*, quae est remotio illius quod impedit voluntatem ne consentiat gratiae excitanti.

143. — Quaeritur *quomodo dispositio et meritum differant ?*

1. Ratione *illius cui* conferenda sunt forma aut munus ad quae datur dispositio, et praemium quod quis meritus est. Aliquis enim potest mereri sibi aut aliis ; contra, habet dispositiones ut ipse recipiat formam, non vero ut alius ea ornetur.

2. Ratione *nexus*. Dispositio per se non postulat ut conferatur forma aut munus quae respicit, sed est indifferens. Sic qui habet dispositiones

ac hoc ut sit rex, non exigit nec postulat per se ut creetur rex Contra meritum non est indifferens ad praemium, sed exigit aut postulat ut praemium conferatur ab acceptante meritum.

3. Praeterea, si dispositio inspicitur *formaliter,* differt intrinsecus a merito. Meritum enim concrete inspectum est *actio libera et obsequiosa ;* contra dispositio est *qualitas* sive innata sive acquisita actibus, iisque liberis aut necessariis. — Si vero dispositio inspicitur *causaliter,* nihil obstat quin eidem actui insit ratio dispositionis et ratio meriti, ita nempe ut tunc meritum et dispositio non differant nisi ratione, formaliter et connotative. Sic actus ex gratia elicitus, puta fidei, spei, timoris, est dispositio ad gratiam ulteriorem, non tamen formaliter sed causaliter ; idem actus hanc gratiam meretur. — Disponit nempe quatenus inducit specialem aptitudinem ad gratiam ulteriorem, qua aptitudine caret homo qui actum salutarem primum non elicuit ; eamdem gratiam meretur quatenus eam exigit ex justitia aut postulat ex benevola aequitate. Quare tunc dispositio et meritum differunt connotative et formaliter, non vero materialiter. — Sic etiam justus se disponens cum auxilio gratiae actualis ad receptionem sacramenti vivorum, puta Eucharistiae, simul meretur de condigno augmentum gratiae sanctificantis quod infunditur a Deo ante receptionem sacramenti et se facit aptum ad recipiendam per sacramentum gratiam abundantiorem.

144. — Quaestio. Hactenus probatum est hominem non posse mereri nec impetrare gratiam per actionem naturaliter honestam. In disputationibus de gratia habituali et de merito ostendetur hominem se disponere et mereri gratiam sanctificantem per varias actiones elicitas auxilio gratiae. — Heic inquiritur utrum per actiones naturaliter honestas homo disponatur ad receptionem gratiae actualis.

Constat itaque discrimen inter hanc quaestionem et praecedentes. Modo enim quaerebatur num homo per actionem naturalem exigat aut postulet gratiam tamquam mercedem ; heic utrum saltem aptitudinem novam induat, aut removeat ea quae prohibere solent infusionem gratiae.

Sententiae. 1ª sententia est nonnullorum scholasticorum defendentium peccatorem disponi positive ad receptionem primae gratiae per actus naturales, nempe per orationem, paenitentiam et Dei amorem, adeoque Deum non solere distribuere gratias nisi ubi invenit praefatas dispositiones. — Huic sententiae adhaerent Durandus (1), Richardus (2),

(1) Durandus : In II, d. xxviii, q. v. — (2) Richardus : In II, d. xxviii.

Soto (1). Idem propugnant Vega (2) et Javel (3) circa infideles. — Insuper Scotus et Gabriel, qui affirmant actionem naturalem posse esse meritoriam de congruo gratiae actualis, contendunt dilectionem naturalem Dei posse esse ultimam dispositionem ad infusionem gratiae sanctificantis.

2ª sententia, quae est communis inter theologos, asserit hominem se non disponere positive ad receptionem gratiae per actiones honestas elicitas solis naturae viribus. Hujus asserti hic est sensus : Actiones honestae naturales nullam inducunt aptitudinem ad recipiendam gratiam; seu natura nude inspecta, ex se non apta ad gratiam, non fit apta ratione actuum naturalium; itaque Deus non confert gratiam ratione horum actuum. — Qui huic sententiae adhaerent, ulterius subdividuntur ubi inquirunt utrum homo per actiones naturales honestas valeat se disponere *negative* ad receptionem gratiae.

1. Sententia communior inter theologos *affirmat*. Hujus asserti hic est sensus : Deus dat omnibus gratias unice motus sua bonitate et liberalitate. Saepe conditio ut Deus moveatur ad dandam abundantiorem gratiam ex bonitate est ut absint certa peccata, plura aut graviora, ut minuantur habitus vitiosi, adeoque ut observetur lex divina, ut fiant actus moraliter boni. Quare observatio legis non disponit positive, seu non inducit specialem aptitudinem, sed tantum negative disponit, removendo id quod saepe prohibet, non tamen semper neque necessario et per se, sed ob Dei decretum, collationem gratiae.

2. Salmanticenses negant hominem per actiones sine gratia elicitas posse se disponere negative ad gratiam (4).

Quaeres de discrimine inter observationem legis quae positive disponeret, et eamdem observationem quae nonnisi negative disponat.

Resp. Si observatio legis disponeret positive, natura, ex se inepta, fieret apta per observationem istam. — Si negative disponit : a) natura est aeque absolute capax gratiae sive cum observatione legis, sive cum peccato, sive nude inspecta nempe sine peccato et sine operibus bonis; aeque etiam non exigit nec postulat gratiam; quare Deus unice movetur bonitate sua. Verum b) conditio saepe requisita ut Deus moveatur bonitate sua ad abundantiores dandas gratias, est ut vitentur peccata graviora, vel ut minantur habitus vitiosi, proindeque ut obser-

(1) Soto : L. II *De nat. et gr.* c. III. — (2) Vega : L. VI *In Trid.* c. XVII-XX. — (3) Javel : *Tract. de praed.* ad Iᵐ p. q. XXIII, a. 5. — (4) Salmant. Cfr. *tract. de gr.* t. I, p. 319, § 5; ib. 292, 297 sq., 300.

vetur lex divina, vel ut ponantur actus naturaliter boni. Quare c) observatio legis removet id quod prohibet secundum quid Deum ne moveatur sua bonitate et reduxit quadamtenus naturam peccatoris ad statum in qua nec bonas nec malas actiones fecit.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXIa. — Homo per actiones naturaliter honestas non valet positive se disponere, neque proxime neque remote, ad gratiam actualem. Valet tamen viribus naturae se disponere negative, removendo id quod prohibet secundum quid collationem gratiae.

145. — PRIMA PARS. Actiones naturaliter honestae non sunt dispositiones positivae ad gratiam.

Prob. Im Arg. Eo quod actiones naturales positive disponerent ad gratiam, consequeretur Deum lege ordinaria infundere gratiam ratione harum dispositionum, naturam nude inspectam fieri aptam ratione earum. Atqui hoc est falsum. Ergo. — *Prob. min.* 1. *Indirecte.* Consequens foret Deum solere exspectare voluntatem humanam, h. e. actiones bonas inducentes aptitudinem ad gratiam, contra id quod Patres et Arausicanum adversus semipelagianos propugnant. — 2. *Directe* ex Is. LXV, 1 sq. ubi describitur gentium conversio et Judaeorum ob idololatriam reprobatio : « Quaesierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quaesierunt me. Dixi : ecce ego, ecce ego, ad gentem quae non invocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas ; populus qui ad iracundiam provocabat me ante faciem meam semper etc. » Manifestum est Deum gentibus et Judaeis obtulisse gratias, licet omnis dispositio defuerit.

IIm Arg. Eo quod actiones naturaliter honestae essent dispositiones ad gratiam, consequens foret vigorem naturae aliquid posse in ordine salutari, siquidem induceret aptitudinem ad receptionem gratiae; immo sequeretur jam absolute affirmari posse hominem viribus naturae elicere posse actum qui ad salutem ejusque initium conducat. Atqui singula esse falsa in superioribus fuit probatum. Ergo.

IIIm Arg. Ratione. Actus naturalis positive disponeret vel intrinsece, eo nempe quod ipsi insita esset aliqualis exigentia gratiae actualis; vel extrinsece, eo nempe quod gratia per se exigeret actus naturales. Atqui neutro modo disponit. Ergo.

Prob. 1a pars min. Actus naturalis non potest exigere nisi ea quae

includuntur eodem ordine. Atqui gratia actualis entitate superat ordinem naturalem. Ergo.

Prob. 2ª pars min. Tum quia consequens foret Deum per se exspectare voluntatem, initium salutis repeti ab actibus naturalibus, tum duplici alia ratione : a) In tantum gratia actualis exigeret per se actus naturales, in quantum natura per hos actus amitteret naturalem incapacitatem, vel in quantum hi actus deberent concurrere ad efficiendos motus gratiae praevenientis. Atqui α) natura non amittit naturalem suam incapacitatem per hos actus, siquidem remanet in suo ordine. β) Hi actus nullius utilitatis sunt ad effectionem actuum supernaturalium : non enim ponunt vitalitatem in his motibus, siquidem sufficienter ponitur a natura; neque ponunt supernaturalitatem, ut patet. — b) Sequeretur actum supernaturalem pendere per se ab actu naturali. Atqui hoc est falsum. Etenim inspiratio immediata pendet ab illustratione immediata, actus salutaris a motu gratiae praevenientis. Atqui non apparet ratio cur per se praeexigant actus supernaturales, si actus supernaturalis primus per se pendet ab actu naturali; possunt enim et ipsi pendere ab actibus naturalibus.

146. — SECUNDA PARS. HOMO VIRIBUS NATURAE POTEST SE DISPONERE NEGATIVE AD GRATIAM.

Prob. Iᵐ Arg. Ex una parte Deus vult salvare omnes homines, etiam negative infideles quibus nunquam praedicatum est Dei verbum ; porro ad salutem supernaturalem necessaria est fides, et prima gratia supernaturalis a Deo collata est excitativa fidei, fides autem praerequirit cognitionem revelationis. Ex altera parte negative infidelibus ignota est revelatio. Atqui haec conciliari nequeunt, nisi dicatur negative infideles, adjutos Dei auxilio speciali, posse disponere se negative, per observationem legis naturalis, ad accipiendam notitiam revelationis et gratiam supernaturalem excitativam fidei; ideoque iis denegari gratiam ad fidem salutarem et praedicationem verbi Dei quia libere noluerunt se disponere negative per observationem legis divinae cum gratia medicinali entitative naturali. Ergo.

IIᵐ Arg. Ille se disponit negative ad gratiam, qui removet id quod solet prohibere gratiam aut omnem aut abundantiorem. Atqui homo valet haec removere. Ergo. — *Prob. min.* Gratiam efficacem solent prohibere vitia; patet quia qui graviter obnoxius est malis consuetudinibus, nonnisi aegre consentit gratiae excitanti eamque efficacem reddit. Collationem gratiae excitantis abundantioris et potentioris impedire solent peccata gravia ac numerosa. Manifestum erit ex

dicendis de distributione gratiarum peccatoribus obcaecatis et obduratis. Atqui homo viribus naturae suae valet non raro vitare peccata, et minuere vitia; neque deest gratia medicinalis, ubi opus est. Ergo.

III^m Arg. Petitur ex non paucis testimoniis Patrum quae a Semipelagianis adducuntur ad probandum hominem actionibus naturalibus posse mereri gratiam. Patres nempe videntur interdum exigere actionem naturalem honestam praeviam ad fidem et ad gratiam. Exigunt itaque hanc actionem vel ut adultus mereatur gratiam, vel ut se disponat positive, vel ut se disponat negative. Atqui duo priora fuerunt rejecta. Ergo manet tertium.

IV^m Arg. *Ratione theologica.* Non derogatur per hanc sententiam gratuitati omnimodae gratiae, adeoque prudenter admitti potest. Etenim ibi non derogatur gratuitati gratiae, ubi operi, quo excluditur peccatum, nulla dicitur inesse exigentia, dignitas, dispositio positiva, ad recipiendam gratiam. Atqui huic rei satisfit per sententiam quae ponit hominem se negative posse disponere ad gratiam. Ergo. — *Prob. min.* Ista sententia tantum dicit peccatum esse rationem sufficientem ob quam Deus potest juste denegare gratiam et saepe eam denegat; seu exclusionem peccati esse conditionem saepe requisitam ad hoc ut Deus liberalitate sua et misericordia moveatur ad tribuendum homini gratiam. Verum nullatenus dicit exclusionem peccati esse rationem ob quam Deus dat gratiam, seu hanc exclusionem exigere gratiam, aut ea induci homini specialem aptitudinem ad gratiam.

Satisfit difficultatibus.

147. — CONTRA I^m PARTEM. Obj. 1° Deus ipse jubet ut homo se positive disponat ad gratiam. Dicit enim : « Convertimini ad me et ego convertar ad vos. » Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Ad gratiam *primam, Neg.;* ad gratiam *sanctificantem* aut ad *ulteriores* gratias actuales, *Subd.* ut se disponat *actibus supernaturalibus, Conc.; naturaliter, Neg.* Ad prob. *Dist.* Convertimini, h. e. praestate consensum gratiae excitanti, *Conc.;* disponimini viribus naturae sibi relictis, *Subd. negative, Conc.; positive, Neg.*

Inst. Atqui jubetur homo se positive disponere ad gratiam actu naturali. Etenim jubetur homo ad gratiam praeparare animam suam; sed qui se praeparat ad gratiam, se ad eam disponit actu naturali. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Jubetur homo ad gratiam divinam praeparare animam, h. e. se disponere *negative* ad gratiam *primam* aut *positive* per

actus *supernaturales* ad gratiam actualem uberiorem et ad sanctificantem, *Conc.;* hominis est se disponere positive ad ullam gratiam per actus naturales, *Neg.* — *Cdt. min.* — Homo se praeparat *improprie* ad gratiam primam, quatenus actu naturali se disponit *negative.* Se praeparat proprie ad gratiam actualem uberiorem et ad justitiam per actus supernaturales, quos elicit consentiendo motibus gratiae praevenientis.

Obj. 2. Gratia habitualis exigit in adulto dispositiones positivas praevias. Ergo gratia actualis exigit etiam in adulto dispositiones positivas praevias. Atqui adultus nequit se disponere ad gratiam nisi per actiones honestas elicitas solis naturae viribus. Ergo.

Resp. *Dist. assumptum majoris.* Gratia habitualis exigit in adulto dispositiones positivas *supernaturales, Conc.; naturales, Neg.* — *Dist. illatio majoris:* ergo gratia actualis *secunda* exigit in adulto dispositiones positivas supernaturales, *Conc.;* gratia *prima* exigit dispositiones *positivas, Neg.* — *Conc. min. Dist. cons.* — Potest dici gratiam per se postulare dispositionem positivam *ubi haec est possibilis.* Ideo gratia habitualis in justo exigit praevias dispositiones elicitas cum gratia actuali, quae sunt ejusdem ordinis atque ipsa gratia sanctificans. Ideo etiam gratia actualis secunda exigit dispositionem elicitam cum gratia prima. — Verum impossibile est ut homo se disponat positive actu naturali ad gratiam; quare non exigit Deus dispositionem positivam ad gratiam primam, sed movetur unice bonitate.

Obj. 3°. Sint duo homines quorum unus viribus naturae orat aut efficit opera misericordiae, quorum alter omne opus bonum omittit. Secundum legem ordinariam Providentiae primo conceduntur multae gratiae quae alteri denegantur. Dari debet ratio inaequalis distributionis gratiarum. Atqui alia ratio excogitari nequit, nisi quia primus homo se disponit ad receptionem gratiae, alter vero se non disponit. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Alia ratio assignari nequit nisi quia unus homo se disposuit *negative* ad receptionem gratiae, alter vero renuit se negative disponere, *Conc.;* quia primus prae secundo se disponit *positive, Neg. Dist. cons.* — Deus saepe exigit dispositionem negativam ad gratiam primam, quae locum tenet dispositionis positivae. Sic qui colit virtutem naturalem (sive justus, sive peccator, sive infidelis), qui orat viribus naturae, qui exercet opera misericordiae sine auxilio gratiae; ille recipit multas gratias quibus frustrantur ceteri. Verum per haec opera non fit ex inepto aptus, sed manet naturaliter ineptus. Quare Deus movetur bonitate sua; conditio sufficiens continetur his actionibus. — Patet istam conditionem non esse sine qua non, siquidem mul-

tas gratias dat Deus, nullis dispositionibus negativis praecedentibus.

Obj. 4°. Quae dispositio naturalis ad gratiam fuit possibilis in angelis, haec eadem dispositio est possibilis in homine. Atqui angeli fuerunt per dona naturalia positive dispositi ad gratiam. Ergo. — *Prob. min.* Secundum doctrinam communiter receptam alli angeli sunt aliis perfectiores secundum dona naturalia; iis vero qui sunt perfectiores, infusa fuerunt a Deo dona supernaturalia excellentiora. Atqui exinde merito concluditur dona naturalia fuisse dispositiones ad dona gratiae. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probat. *Conc. maj. Dist. min.* Exinde merito concluditur dona naturalia fuisse dispositiones *positivas* ad dona gratiae, *Neg.*, dispositiones *negativas, Conc.* — Secundum multos theologos angeli, qui acceperant dona naturalia praestantiora, acceperunt etiam dona supernaturalia majora. Attamen naturalia non disponebant positive, sed *negative* tantum. — Non positive : quia nullam naturalem aptitudinem inducebant ad dona excelsioris ordinis. — *Negative,* quia inducebant majorem capacitatem absolutam, quae fuit conditio ad hoc ut Deus moveretur bonitate sua ad danda dona supernaturalia.

Obj. 5°. Scientia naturalis dogmatis revelati quidem, naturaliter tamen etiam cognoscibilis, disponit ad actum fidei. Ergo actus naturalis disponere potest ad gratiam.

Resp. *Dist. ant.* Haec scientia naturalis disponit ad fidem *subjective naturalem,* adeoque elicitam sine auxilio gratiae actualis, *Conc.;* ad fidem *salutarem, Subd.* disponit *negative, Conc.; positive, Neg.*

Inst. Atqui praefata scientia disponit positive ad fidem salutarem. Etenim praeparat animam ad consentiendum gratiae ad fidem excitanti. Ergo disponit positive ad fidem salutarem.

Resp. *Dist. ant.* Praeparat removendo obstacula, *Conc.;* inducendo naturalem aptitudinem ad gratiam, *Neg.* — *Neg. cons.*

Obj. 6°. Anima, voluntas, intellectus disponunt ad gratiam. Ergo a pari actio honesta potest disponere ad eamdem gratiam.

Resp. Gratia actualis exigit exsistentiam animae, intellectus, voluntatis. Haec tamen non disponunt positive, sed negative. — Non positive, siquidem non tribuunt naturalem aptitudinem ; negative, siquidem exigitur, ut conditio, exsistentia entis absolute capacis recipiendi gratiam, hanc autem conditionem adimplet ille qui habet animam.

Obj. 7°. In tantum negandum esset hominem se disponere ad gratiam per actiones naturaliter honestas, in quantum destrueretur excellentia gratiae, aut in quantum talis sententia adversaretur Conciliis. Atqui neutrum obtinet. Ergo. — *Prob. 1ª pars min.* Tantum destruitur excel-

lentia gratiae, si homo dicitur eam mereri, adeoque eam exigere, aut saltem ex aequitate postulare. Atqui dispositio non infert meritum. Ergo. — *Prob. 2ª pars min.* Concilia damnaverunt tantum Semipelagianismum, quia asserebat primam gratiam mereri de condigno aut de congruo. Confirmatur quia Toletus censet a Tridentino tantum damnari sententiam quae affirmat gratiam mereri posse de condigno.

Resp. *Dist. maj.* In quantum destrueretur ratio *primaria* excellentiae gratiae, aut in quantum etc. *Neg.;* in quantum destrueretur ratio *etiam secundaria* excellentiae gratiae, talis nempe gratiae gratuitas ut etiam nulla dispositio praesupponatur, aut in quantum etc. *Conc.* — *Cdt. min.* — Ad probationem primae partis minoris respondetur *distinguendo* uti supra. — Ad probationem secundae partis respondetur negando majorem.

Observa. 1. Duo sunt essentialia gratiae, quod sit indebita naturae et operationibus naturae; et quod sit entitative supernaturalis. Prius nobis innotescit ratio doni indebiti; et ex hoc principaliter colligitur supernaturalitas gratiae. In ordine tamen ontologico sane prior est supernaturalitas. — Porro ex eo quod gratia est entitative supernaturalis, consequitur, ad modum proprietatis, quod actiones naturales non possunt ad gratiam positive disponere, seu inducere aptitudinem. Hoc sensu asseritur excellentiam gratiae consistere primario quidem in eo quod sit indebita et supernaturalis, secundario autem in eo quod actio naturalis non disponit positive ad eam.

2. *Ad difficultates ex Patribus.* Semipelagiani affirmabant opera naturalia, quibus continetur initium fidei, mereri gratiam ad augmentum fidei. — In conceptu meriti includuntur duo : α) dispositio positiva ad gratiam, per modum generis; β) inhaerentia hujus dispositionis actui obsequioso proindeque ratio formalis meriti, per modum differentiae specificae. — Patres negant singula, uti constat ex Arausicano.

148. — CONTRA IIm PARTEM. De dispositionibus negativis.

Obj. 8°. Juxta Arausicanum Deus non exspectat voluntatem. Atqui, stantibus dispositionibus negativis naturalibus, Deus exspectaret voluntatem ut elargiretur gratias suas. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Juxta Arausicanum Deus non semper exspectat voluntatem, quasi numquam daret gratias nisi ubi inveniuntur dispositiones negativae; deinde numquam exspectat dispositiones *positivas* aut actiones *meritorias* ad dandam gratiam primam, *Conc.;* ubi datur obex, Deus *saepe* non exspectat donec removeatur obex, adeoque ponatur conditio sine qua saepe denegatur gratia, non tamen semper, *Neg. Cdt. min.* — Concilianda est doctrina Arausicani cum multis dictis

ss. Patrum quae enarrata sunt inter objectiones a Semipelagianis motas adversus thesim de necessitate gratiae ad initium salutis; jamvero non instituitur concordia nisi dicatur Arausicanum non removere ab operibus naturae nisi rationem meriti et dispositionis positivae, Patres vero non vindicare nisi rationem dispositionis negativae. Cf. n. 22.

Inst. Atqui Deus numquam exspectat, donec removeatur obex per dispositiones negativas, ad tribuendam gratiam, sed ad has dispositiones nullatenus respicit. Etenim :

Obj. 9°. Semipelagiani tantum volebant ut inveniretur in ipsis hominibus fundamentum concessionis aut denegationis gratiarum, sive ratio ob quam uni quidem datur gratia qua justus fiat et salvetur, alii vero haec gratia denegatur. Patres vero constanter denegaverunt hanc rationem repeti ab ipsis hominibus, sed rationem omnem inaequalis distributionis gratiarum refundebant in beneplacito Dei. — Unde sic arguitur : Semipelagianus est ille qui in natura reponit fundamentum discretionis fidelis ab infideli, justi a peccatore, electi a reprobo etc. Atqui illud fundamentum reponitur in natura ab eo qui dicit hominem posse se disponere negative ad gratiam, adeoque Deum saepe exspectare, donec homo per actiones naturales removeat obicem. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Semipelagianus est ille qui in natura reponit tale fundamentum discretionis fidelis ab infideli etc., ut non tantum omni se negative disponenti tribuatur gratia, sed adhuc *soli* se negative disponenti, praeterea ut huic fundamento sit *ratio meriti* aut *positivae dispositionis, Conc.;* semipelagianus est ille qui reponit in natura fundamentum tale ut *omni* se negative disponenti seu removenti prohibens concedatur gratia, *Neg. Cdt. min.* Liquet discrimen a sententia semipelagianorum. Hi volebant opera naturalia mereri gratiam, disponere positive, infallibiliter connecti cum gratia, gratiam nunquam dari nisi praecesserint opera naturalia, adeoque semper et per se exspectari voluntatem seu actus qui inducant connaturalem aptitudinem.

Obj. 10°. Apostolus ait : Quis te discernit, quid habes quod non accepisti? Atqui haec conciliari nequeunt cum dispositionibus negativis. Etenim, iis admissis, qui actiones naturaliter bonas ponit et accipit gratiam, se discernit ab eo qui has actiones omittit et privatur gratia. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Juxta Apostolum fidelis et justus se non discernunt ab infideli aut a peccatore, quatenus ab iisdem non petitur ratio ob quam acceperunt prae ceteris gratiam *efficacem, Conc.;* quatenus ab iisdem non petitur ratio ob quam receperunt prae ceteris gratiam

excitantem et praevenientem, *Subd.* quatenus non *meruerunt* hanc gratiam per opera naturalia, aut non disposuerunt se *positive, Conc.;* quatenus nequeunt se disponere *negative, Neg.*

Obj. 11°. Dispositio negativa reducitur ad dispositionem positivam, adeoque rejicienda est haud secus atque positiva dispositio. Probatur dupliciter : a) Qui ponit rationem ob quam Deus confert gratiam, inducit positivam dispositionem. Atqui qui se disponit negative ad gratiam, ille ponit rationem ob quam Deus confert gratiam. Ergo. — b) Qui negative se disponit ad gratiam, ponit infallibilem connexionem operis cum gratia. Atqui qui ponit talem connexionem, ponit etiam rationem ob quam Deus confert gratiam. Ergo.

Ad maj. Sententia propugnans dispositiones negativas ad gratiam sic efferri potest : facienti quod in se est Deus non denegat gratiam ; porro illud effatum non est verum nisi positio actionis connectatur cum gratia, quod est manifestum, et nisi omissio actionis soleat connecti cum privatione gratiae. Si enim gratia aeque datur tum ponenti tum omittenti actionem naturalem honestam, sic potius enuntiandum est effatum : nulli Deus denegat gratiam.

Resp. *Neg. ant.* Ad 1m probat. *Dist. maj.* Qui ponit rationem *proprie* talem, cujus dignitate Deus movetur ad dandam gratiam, seu quae inducit veram aptitudinem ad gratiam, ille inducit positivam dispositionem, *Conc.;* qui ponit rationem *improprie* talem, sc. qui removet id quod saepe prohibet ne Deus moveatur misericordia et liberalitate sua ad conferendam gratiam, ille inducit positivam dispositionem, *Neg. Cdt. min.* — Ad 2m probat. *Dist. maj.* Qui negative se disponit ad gratiam, ponit infallibilem connexionem per modum conditionis sufficientis et saepe requisitae ad infusionem gratiae, non tamen semper, *Conc.;* ponit infallibilem connexionem per modum conditionis *semper* requisitae, aut per modum *aptitudinis specialis, Neg. Cdt. min.* — Qui se disponit negative non inducit aptitudinem connaturalem ad gratiam, quae sit proprie ratio qua movetur Deus ad infundendam gratiam, sed tantum ponit conditionem, qua purificata, Deus movetur bonitate sua. — Ista autem conditio est regulariter sufficiens; saepe, non tamen semper, est requisita. Saepe enim gratiae aeque abundantes dantur iis qui se non disponunt. Hoc autem sufficit ut illud effatum non sit ineptum. — Sunt qui addunt conditionem hanc non esse infallibilem, seu gratiam non conferri infallibiliter se negative disponenti. Sed hoc videtur esse contrarium effato « facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. » — Addere juvat non modo infideles et peccatores

se negative disponere posse ad gratiam, sed etiam, per se loquendo, justos. Sic si justus exerceret viribus naturae, sine auxilio gratiae, opera misericordiae, si oraret, actus virtutis eliceret, Deus daret gratias actuales abundantiores.

ARTICULUS III.

De effato : « facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. »

RIPALDA, *De ente*, d. XX. — SUAR., *De aux.*, l. IV, c. XII.

Quaeritur 1° quonam sensu illud axioma possit admitti et quonam sensu debeat negari. — 2° quonam sensu a veteribus scholasticis fuerit admissum.

§ 1. QUONAM SIGNIFICATU ADMITTI QUEAT.

149. — *Falsa* est sequens significatio : Facienti *viribus naturae* quod in se est, dat Deus gratiam tamquam de condigno aut de congruo aut impetrative meritam. Falsa adhuc est propositio hoc sensu : Facienti quod in se est, dat Deus gratiam ob dispositiones positivas.

Hae significationes sunt verae : 1. Facienti *viribus gratiae* quod in se est, Deus non denegat ulteriorem gratiam, in praemium actionis salutaris. — 2. Facienti *viribus naturae* quod in se est ad excludendum peccatum, seu se disponenti negative, Deus non denegat gratiam. Itaque non datur gratia quia facit quod in se est, sed postquam fecit quod in se est ; proprie loquendo non respicitur a Deo ille ipse terminus qui fuit positus, sed potius terminus qui ob conatum fuit vitatus, nempe peccatum.

Axioma simpliciter acceptum videtur habere hunc ultimum sensum, proindeque sonare idem ac *se disponenti ad gratiam, Deus non denegat gratiam.* Patet enim illud axioma respicere salutem hominum, eoque affirmari Dei auxilium non deesse, per Deum non stare, sed per solum hominem, quod homo reprobus fiat. Sive enucliatius talia videntur explicite aut implicite affirmari isto axiomate : Deus vult omnes homines salvos fieri ; cum vero nullus adultus salutem consequatur, nisi eam meruerit actibus ex gratia positis, unicuique praestabit Deus gratiam, nisi obicem ponat se positive indignum reddendo peccatis ; quare si quis facit quod in se est, et per conatus suos vitat peccata, Deus non denegabit ei gratiam.

OBSERVA. Sunt qui huic axiomati sequentem sensum tribuerunt : Facienti quod in se est viribus naturae, Deus non denegat gratiam, non quidem quia actiones naturales eam merentur aut disponunt posi-

tive aut negative, sed vi pacti initi inter Christum et Patrem dandi gratiam propter merita Christi, respiciendo opera naturalia, non ut meritum nec ut rigorosam conditionem, sed ut purum terminum. — Satis inutile videtur fingere pactum speciale inter Christum et Patrem, nisi hac locutione significetur explicite et metaphorice id quod includitur in dogmate de voluntate salvifica.

§ 2. Quonam sensu axioma usurpaverint veteres theologi.

150. — Affirmat Lessius (1) scholasticos omnes, uno alterove excepto, tercentorum annorum spatio axioma citatum intellexisse de faciente viribus naturae quod in se est. — Novatores seculi XVI, cum cernerent hanc interpretationem scholasticorum prorsus adversari suae sententiae de corruptione naturae et de totali incapacitate edendi ullius operis moraliter boni, et abstinendi a peccato, scholasticos accusaverunt semipelagianismi, ut auctoritas omnis detraheretur sententiae ipsorum. Postea Jansenistae pariter mentem scholasticorum in sensum pelagianum detorquere conati sunt. — Quid tenendum videatur sequentibus constabit :

I. Non pauci scholastici sic intellexerunt illud effatum : *Facienti viribus gratiae actualis quod in se est, Deus non denegat gratiam habitualem.*

Prob. 1. Scholastici saepe per gratiam intelligebant gratiam sanctificantem quae hominem reddit Deo gratum; ubi autem loquuntur de actibus quibus quis se praeparat aut disponit ad gratiam sanctificantem, licet non explicite loquantur de gratia actuali, eam tamen subaudiunt. — Sic tenet Bonaventura protoparentes non fuisse creatos in statu justitiae, quia Deus requirit in adulto dispositionem ad gratiam (2); jamvero diserta ejus doctrina (3) est nullum actum disponere ad gratiam gratum facientem, nisi adsit gratia gratis data (sic vocat gratiam actualem).

Dices : Reperitur apud scholasticos haec formula. « Homo ex naturalibus se praeparat ad gratiam. » Ergo dispositiones non sunt ex gratia. — Respondetur : Sensus diversus ab eo quem intendit objectio tribui potest his verbis : Homo respiciens ea quae naturaliter sunt cognita, nec respiciens divinitus revelata, se praeparat, adjutus gratia actuali. Inde actus dicitur objective quidem naturalis, subjective vero supernaturalis.

(1) Lessius, *De gratia efficaci*, c. x. — (2) Bonav. In II, d. xxix. a. 1, q. ii — (3) Id. In II, d. xxviii, a. 2, q. 1.

2. Axioma intelligunt praefato sensu : a) seculo XIII° auctor *veritatis theologicae* (1) quae diu Alberto Magno aut s. Thomae est attributa; b) seculo XIV° Marsilius De Inghen (2); c) seculo XV° Johannes Gerso qui inter *Regulas morales* ait : « Nulli facienti quod in se est, h. e. bene *utenti donis Dei jam habitis*, deest Deus in necessariis ad salutem, » et eodem modo loquitur in sermone *de Spiritu S.* (3); d) ineunte seculo XVI° Johannes Driedo, qui dicit illud axioma ab interpretibus sacrae theologiae intelligi de facienti viribus gratiae quod in se est (4).

(1) « Inexcusabilis est homo, si gratiam gratum facientem non recipit; quia gratia gratis data semper praesto est liberum arbitrium excitare et commonere, cujus est huic admonitioni consentire *et hoc est, quod in se est facere :* quo facto, potest homo ad gratiam gratum facientem se praeparare. » L. V, c. II

(2) Conclusio tertia : « Sicut in statu naturae lapsae homo non potest mereri primam gratiam de condigno, ita nec potest mereri ex puris naturalibus de congruo.» — Conclusio quarta : « Quamvis nullus ex naturalibus puris primam gratiam post lapsum etiam de congruo valeat promereri, potest tamen hanc de congruo specialibus Dei auxiliis gratis datis sibi quis mereri. » Articulum concludit ita : « Et in hoc concordare videntur mihi opiniones magistrorum meorum. Nam illi, qui dicunt quod peccator ex puris naturalibus possit mereri primam gratiam de congruo, intelligunt conclusionem jam positam, scilicet quod ex illis, *speciali Dei auxilio praeventus*. Qui autem dicunt contrarium, intelligunt conclusionem tertiam, scilicet quod non ex naturalibus puris a Deo specialiter non adjutus. » In II, q. XVIII, a. 3. — Articulo 4° respondens ad objectionem, quam sibi articulo 1° proposuerat his verbis « septimo : quia ad meritum gratiae de congruo vel sufficit quod homo faciat quod in se est et si sic, cum hoc possit homo ex naturalibus, patet quod ex eis possit mereri primam gratiam de congruo; vel requiritur aliquid ultra communes vires naturales, et si sic, tunc damnandi, qui moriuntur in mortali continuato, videnter injuste damnati; » ait ad septimum dicendum « quod ad meritum gratiae de congruo in statu naturae lapsae non sufficit quod homo faciat omne quod in puris suis naturalibus est, sed requiritur aliquid ultra omnes vires naturales, scilicet fides. » Unde illa verba Scripturae : « Convertimini ad me et ego convertar ad vos, » ita enarrat : « Clarius potest exponi, quod sensus Domini sit : Convertimini ad me, sequendo interiores praeventiones meas, quibus voco a statu culpae, et ego convertar ad vos infusione gratiae. »

(3) Gerso : « Ipsam animam coarctant Scripturae Sacrae, ut se disponat, ut faciat quod in se est, praedictis et similibus modis orando, lacrymando, gemendo, vel ut aliquid operetur ad Spiritus Sancti susceptionem. Nam et Dei nos coadjutores esse tradit Apostolus et certe si nihil prorsus coagit arbitrium, unde meritum? Fatendum est plane, coagit per consensum spontaneum obedientem praemotioni Spiritus Sancti, sed ut ita coagat et obediat, hoc jam non ex se est sine gratia, sed quia gratia praeventum est et per eam salubriter tractum. » *Sermo de Sp. S.*

(4) Driedo : « Quod dicimus hominem facere quantum in se est, potest trifariam intelligi. *Uno* quidem modo facere quantum in se est, est facere quantum ipsa natura potest ex se, id est ex sui solius viribus a conditore naturae insitis, non peculiariter attractis a Deo Patre... Et sic faciens quod in se est, neque meretur gratiam nec ad acquirendam gratiam se praeparat, quia ad habendam gratiam praeparatur voluntas a Domino. *Secundo* facere quantum in se est, est pro tempore et loco facere quantum ipsa natura absque habituali gratiae dono potest facere ex rationalibus viribus peculiariter a Deo Patre ad initia fidei attractis. Et sic facienti quantum in se est, Deus largitur initium fidei, ex qua etiam valeat orare, invocare, quaerere, implorare Dei misericordiam. Et hic jam est primus rationalis animae tractus, qui est ponendus non tanquam generalis Dei influxus;... sed est peculiaris et gratuitus tractus... *Tertio* modo facere quantum in se est, est facere quantum natura adjuta fide desuper data potest facere pro remissione peccati aut pro perseverantia gratiae impetranda et sic Deus facienti quantum in se est, dat gratiam; verum sic facere quantum in se est, non potest quisquam absque auxilio habitualis

3. Speciatim hunc sensum tradit Aquinas : a) Quaerit enim utrum homo possit ad gratiam se praeparare per seipsum absque exteriori auxilio gratiae. Quaestionem solvit dicens quod ut homo meritorie operetur pro salute, necessaria est gratia habitualis; ut praeparetur ad gratiam habitualem, « oportet praesupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis sive inspirantis bonum propositum. » Objectionem quam petierat ex effato « facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, » solvit dicendo hominem nihil facere posse nisi a Deo moveatur et ideo sensum effati esse homini interius moto a Deo per auxilium gratuitum et facienti quod in se est non denegari gratiam justificationis (1). Alibi quaerit s. Doctor « utrum necessario detur gratia se praeparanti ad gratiam vel facienti quod in se est, » respondet quod, si praeparatio consideretur quatenus est a libero arbitrio solum, nulla est necessitas consecutionis gratiae; quia donum gratiae excedit omnem praeparationem virtutis humanae; si vero praeparatio consideretur quatenus est a Deo movente, tunc habet necessitatem infallibilitatis ad id ad quod ordinatur a Deo (2). Jamvero si s. Thomas existimasset dari gratiam etiam facienti quod in se est viribus naturae, non negasset ullam esse necessitatem consecutionis gratiae si praeparatio consideretur ex parte solius liberi arbitrii, sed indicasset infallibiliter consequi donum gratuitum gratiae actualis.

Ita etiam Bonaventura. Quaerit an liberum arbitrium, gratia gratis data destitutum, possit ad gratiam gratum facientem sufficienter se disponere. Respondet quod « impossibile est quod liberum arbitrium omni gratia destitutum ad gratiam gratum facientem disponat seipsum, » et rationem dat « quia liberum arbitrium numquam assurgit nec ad cognoscendam gratiam, nec ad petendam, nisi sursum excitetur per adjutorium gratiae gratis datae » (3). Ad objectionem quam petierat ex effato quod sufficienter se ad gratiam disponit qui facit quod in se est, reponit effatum esse verum, dummodo actio ordinetur ad gratiam, scilicet dum Dei auxilio gratuito ordinem habeat ad gratiam sanctificantem (4).

II. Ubi scholastici axioma intelligunt de facienti viribus naturae

---

gratiae... Et his duobus posterioribus modis intellexerunt sacrae Theologiae interpretes docentes Deum illustrare et gratiam facere his, qui faciunt quantum in se est. » *De captivitate et redemptione generis humani*, tract. V.

(1) S. Th. Ia IIae, q. cix. — (2) Id. q. cxii, a. 3. — (3) Bonav. In II, d. xxviii, a. 2, q. 1.

(4) Haec et alia testimonia deprehenduntur apud Carolum du Plessis d'Argentré : *Observationes in testimonia doctorum scholasticorum qui... de gratia pro conditione corruptae naturae disputarunt.*

quod in se est, plerique loquuntur de dispositionibus negativis; nonnulli tamen, ut antea fuit dictum, concedunt aut concedere videntur opera naturaliter honesta posse mereri de congruo gratiam primam aut ad eam disponere.

CAPUT IV.

De necessitate gratiae ad actus ethice bonos.

Mol., q. xiv, a. 13, d. xix. Rip., d. cxiv, cxvii. Suar., *De aux.*, l. I.

151. — **Quaeritur** quid homo in ordine naturali *possit* et quid *non possit* sine auxilio gratiae? — Enucleatius quinque inquiruntur a) utrum homo sine gratia possit diu observare totam legem naturalem adeoque vitare peccatum lethale; b) utrum possit vincere tentationes; c) utrum possit sine speciali privilegio vitare omne omnino peccatum, etiam leve, et utrum B. V. M. fuerit donata hoc privilegio; d) utrum possit sine gratia efficere aliquod opus moraliter bonum; e) an valeat Deum amare supra omnia.

ARTICULUS I.

De observatione legis naturalis.

Suar., l. I, c xxv-xxviii.

§ 1. Status quaestionis.

152. — **Notiones.** Praestituenda est notio legis naturalis, et impotentiae tum physicae tum moralis.

A. Lex naturalis. Sumitur principiative et objective. *Principiative* et simpliciter accepta est aeterna Dei voluntas ordinem moralem servari jubens, perturbari vetans, cordibus hominum insculpta, seu in natura humana promulgata. — *Objective* inspecta est complexus officiorum homini adimplendorum in quocumque statu naturae, integrae sc., lapsae, purae, refectae. Haec officia respiciunt Deum, proximum et seipsum, enascuntur tum ex relationibus quibus homo vi essentiae devincitur Deo tamquam causae primae et fini ultimo, tum ex relationibus quibus devincitur sibi et proximo. — Lex naturalis innititur nonnullis veritatibus, puta exsistentiae Dei, spiritualitati, libertati et immor-

talitati animae. — Contradistinguitur a lege divina positiva qua certa praecepta sunt per revelationem superaddita praeceptis legis naturalis.

B. Impotentia in genere est incapacitas aliquid faciendi aut patiendi. Est duplex : physica et moralis.

1. Impotentia *physica* producendi effectum est absoluta incapacitas agendi seu improportio physica potentiae ad actum. Resultat a) vel ex defectu alicujus *intrinseci essentialiter requisiti* ad producendum effectum, proindeque ex *entitativa improportione* et ineptitudine agentis ad actum. Sic visus est physice impotens ad audiendum, auditus ad videndum, brutum ad intelligendum. b) Vel ex defectu alicujus *extrinseci essentialiter requisiti*. Sic visus est physice impotens ad videndam rem determinatam ob defectum lucis, ob nimiam distantiam ; sic extrinsecae conditiones requisitae intellectioni sunt debita activitas sensuum et propositio objecti ; conditiones extrinsecae requisitae volitioni sunt intellectio, simplex affectio ; sic demum quaelibet causa est physice impotens ad agendum, sive immanentur sive transeuntur, si praesto non est concursus divinus. — Ex hactenus probatis natura humana sibi relicta est physice impotens salutariter operandi ; fit physice potens intrinsecus quidem beneficio elevationis intrinsecae, extrinsecus vero beneficio elevationis extrinsecae.

2. Impotentia *moralis* producendi effectum supponit quidem potentiam physicam, verum superaddit quod haec physica potentia sit obnoxia difficultatibus tot tantisque, ut antecedenter certum sit, saltem moraliter, has difficultates non iri superatum adeoque potentiam physicam non esse transituram ad actum et ut de facto nunquam aut fere nunquam contingat eas superari, etsi physice et absolute loquendo superari possint. — Licet nihil impediat quin consideretur impotentia animalia afficiens, solet tamen in solo homine attendi. — Itaque homo est *moraliter impotens* agendi — puta cognoscendi, volendi, — cum ex una parte ei competit potentia physica, ex altera parte haec potentia obnoxia est tot impedimentis, ut nunquam aut fere nunquam contingat in hujusmodi adjunctis ea ab hominibus vinci. — Ista autem impedimenta possunt iterum se tenere ex parte alicujus extrinseci, aut alicujus intrinseci.

Quaestiones. In tractatu *de vera religione* contra Traditionalistas probatur ratione naturali hominem non laborare impotentia physica cognoscendi legem naturalem et veritates e quibus efflorescit. Idem probatur in tractatu *de Deo uno* argumentis quae hauriuntur e fontibus revelatis. — In eodem tractatu *de vera religione* adversus Rationalistas

probatur hominum genus fuisse moraliter impotens perveniendi sine subsidio gratiae externae revelationis ad cognitionem certam et expeditam legis naturalis qualis nunc de facto obtinet. — Semel supposita revelatione, intellectus jam est moraliter potens veritatem intrinsecam praeceptorum legis argumentis naturalibus demonstrandi, eidem veritati adhaerere profecto potest ob auctoritatem Dei revelantis, idque tum fide subjective naturali nempe sine auxilio gratiae internae, tum fide supernaturali seu auxiliante Dei gratia.

In tractatu *de gratia* similis quaestio agitatur circa voluntatem. Supposita enim cognitione legis, inquiritur *utrum voluntas possit sine auxilio gratiae internae, aut saltem sine auxilio speciali Dei, adimplere legem naturalem graviter obligantem, adeoque vitare omne peccatum lethale ?*

153. — **Sententiae**. Uti circa cognoscibilitatem legis, ita circa observationem ejus, occurrunt tres sententiae, quarum duae extreme oppositae peccant altera quidem per defectum, altera vero per excessum.

Prima sententia est Lutheranorum et Baianorum asserentium hominem per P. O. esse laesum in naturalibus, eumque in hoc statu naturae lapsae esse *physice incapacem servandi praecepta legis divinae,* adeoque omnia opera procedentia ex natura sibi relicta esse intrinsecus mala et peccata materialia. Praeterea contendunt haec eadem opera esse peccata formalia. Rationem ob quam opera possint simul esse formaliter peccaminosa et tamen non libera, dicunt esse quia ad rationem meriti et demeriti, actus moraliter boni aut mali, non requiritur libertas a necessitate, verum sufficit libertas a coactione seu a vi extrinsecus illata. Cfr. inter errorus 41 Lutheri a Leone X damnatos, 36^{m} (Denz. n. 660) ; inter propositiones 79 Baii, damnatas successive a Pio V, Gregorio XIII, et Urbano VIII, propositiones 25, 27, 28, 35, 37, 39, 40, 66 et 67 (Denz. 905 sq.) ; inter propositiones 31 Arnaldi ab Alexandro VIII damnatas, 1^{m}, 9 et 11^{m} (Denz. n. 1158 sq.). Impotentiam physicam ad bene agendum et observandam legem, quam Lutherani et Baiani extendebant ad omnia praecepta legis et omnes actiones humanas, restrinxit Jansenius in justis ad aliqua Dei praecepta. Cfr. propositionem 1^{m} et 2^{m} inter 5 propositiones damnatas ab Innocentio X, Alexandro VII et Clemente XI (Denz. n. 966).

Secunda sententia est Pelagianorum affirmantium hominem *nulli impotentiae,* nec physicae nec morali, esse obnoxium, sed eum viribus naturae posse servare omnia praecepta legis divinae, posse vincere omnem tentationem, vitare omne peccatum. Hanc plenam ἀναμαρτησίαν

et ἀπαθείαν vocabant perfectionem justitiae, dicebantque eam in hac terra posse esse tantam quanta est in caelo ([1]).

Olim catholici nonnulli existimaverunt hominem instrui potentia morali servandi legem naturalem. Existimabant hanc suam sententiam non adversari decretis Ecclesiae et doctrinae Patrum : Censebant enim Patres vindicare impotentiam servandi legem includentem praecepta supernaturalia sive quoad objectum (puta praeceptum fidei etc.), sive quoad modum, Pelagianis asserentibus totam istam legem non superare vires morales hominis, adeoque hominem solis naturae viribus posse salutariter observare legem Dei et pervenire ad regnum caelorum.

Tertia sententia est communis inter catholicos, asseritque hominem non laborare impotentia physica, sed eum laborare *impotentia morali servandi diu quoad substantiam totam legem naturalem graviter obligantem adeoque diu vitandi omnia lethalia, nisi auxilio speciali Dei juvetur.* — Primum caput doctrinae ulteriori explicatione non indiget. Quoad alterum caput, sequentia accipe :

a) *Homo* sumitur non quidem abstracte, ratione solius essentiae, sed in concreto, uti nempe est obnoxius tum concupiscentiae et pravis inclinationibus quae sunt sequela peccati originalis, tum diabolo et mundo tentantibus ipsum. Concupiscentia ponitur esse radix impotentiae moralis, est enim causa ob quam daemon et mundus valent graviter tentare hominem, immo ipsa sufficit ut homo graviter tentetur.

b) *Observatio legis quoad substantiam* est actio qua voluntas morem gerit legi, praeciso quolibet alio. Opponitur observationi *quoad modum,* quo nomine intelligi solet observatio *supernaturalis* seu *salutaris,* ad quam physice exigitur gratia. Contenditur itaque nullam observationem moraliter posse diu fieri, adeoque diu vitari non posse omne peccatum lethale, nisi voluntas gratiae auxilio fuerit stipata.

([1]) De Pelagii sententia haec scribunt Hieronymus et Augustinus.

Hier. « Quae potest alia major esse temeritas, quam Dei non dicam similitudinem sed aequalitatem vindicare et brevi sententia omnium haereticorum venena complecti, quae de philosophorum, et maxime Pythagorae et Zenonis principiis stoicorum manarint ? Illa enim quae graece πάθη, nos perturbationes possumus dicere, asserit (Pelagius) exstirpari posse de mentibus et nullam fibram radicemque vitiorum in homine omnino residere meditatione et assidua exercitatione virtutum. » *Ep.* cxxxiii, n. 1. M. XXII, 1148.

Aug. « In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sino macula et ruga; quasi non sit Christi Ecclesia, quae toto terrarum orbe clamat ad Deum : Dimitte nobis debita nostra. » *De haer.* n. 88. M. XLII, 48. — « Pelagiani dicunt justos in hac vita vel esse vel fuisse qui sine ullo peccato vixerint, in tantum ut vita futura, quae in praemio speranda est, provectior et perfectior esse non possit. » *Contra duas epist. Pelagii,* l. IV, c. xi, n. 31. M. XLIV, 634.

Distingui duas observationes legis constat tum quia libertas non est ablata per P. O., tum damnatione propositionis Baii 61ae : « Illa Doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri : altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum; altero, quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum, hoc est, ad modum meritorium, commentitia est et explodenda » (Denz. n. 941). Cfr. prop. 62m.

c) *Observare diu* est observare legem per tempus sat notabile, supponendo quod urgeant praecepta quaedam observatu ardua, aut quod occurrant tentationes graves. Inde non astruitur impotentia moralis servandi diu legem naturalem, suppositione facta quod voluntas non graviter tentetur et quod non urgeat praeceptum arduum.

d) *Moraliter impotens,* h. e. tot et tantis difficultatibus est ligata potentia physica, ut lex de facto non observetur et ut antecedenter ad non observationem moraliter certa fuerit ejus non observatio.

e) *Sine auxilio speciali :* Non affirmatur ex natura rei, proindeque absolute, requiri auxilium gratiae entitative supernaturalis; contra sufficit auxilium entitative naturale. Quare propugnatur necessitas auxilii specialis; affirmatur nempe non sufficere concursum generalem et ordinarium quem Deus praestat homini elicienti diversas actiones determinatas a causis extrinsecis aut a libera voluntate. — Istud auxilium speciale, si est ordinis naturalis, potest esse vel intrinsecum situmque in cognitione congrua eut in affectione voluntatis, vel extrinsecum situmque in adductione, per specialem Providentiam, adjunctorum extrinsecorum quibus connaturaliter aut tollitur occasio tentationum, aut minuitur vis tentationis, aut augetur robur voluntatis ad superandas difficultates.

Examinant doctores quodnam de facto et ex lege positiva detur auxilium a Deo, utrum entitative supernaturale an naturale. — Fidelibus et justis, saltem saepius, concedi auxilia supernaturalia omnes fatentur; dissentiunt circa quaestionem utrum auxilia infidelibus collata entitative supernaturalia sint et utrum auxilium justis concessum semper sit supernaturale. Affirmant Ripalda et Wirceburgenses (1); negant Suarez (2), Bellarminus (3), Gotti (4).

Quaeres 1° utrum impotentia servandi legem sit antecedens an consequens?

(1) Wirceburg. *De gratia,* n. 313. — (2) Suarez : *De gr.*, l. I, c. xxiv. — (3) Bellarm. *De gr. et lib. arb.*, l. V, c. vii. — (4) Gotti. *De gr.*, q. I, d. vii, n. 35.

Resp. Impotentia *antecedens* ea est quae antecedit malum usum liberi arbitrii et praescientiam divinam istius mali usus, proinde quae non nascitur ex hoc malo usu. Vocatur etiam impotentia juris aut sufficientiae. — Impotentia *consequens* est ea quae subsequitur hunc malum usum ejusque praescientiam. Vocatur etiam impotentia facti, aut efficaciae. — Quo supposito, respondemus : *Impotentia est antecedens;* attamen non est *absolute certa* sed *moraliter* tantum, sive aliter antecedenter ad malum usum liberi arbitrii suadetur motivo gravissimo voluntatem, pressam concupiscentia et obnoxiam tentationibus mundi et diaboli, non esse diu observaturam Dei legem, nisi ornetur speciali auxilio. — Quamobrem antecedenter ad usum scientiae visionis et scientiae mediae, per solum usum scientiae simplicis intelligentiae, sive aliter nondum inspecto usu conditionato et absoluto libertatis, sed tantum inspecta natura cum inclinationibus et causis circumstantibus, Deus videt esse moraliter certum, h. e. suaderi motivo gravissimo licet non determinante evidentiam, fore ut homines non sint diu observaturi legem suam et vitaturi peccatum lethale, nisi eis succurratur auxilio speciali. — Consequenter ad usum scientiae mediae aut scientiae visonis, quae supponit usum libertatis conditionatum aut absolutum, ista certitudo est absoluta.

Quaeres 2° quare non sufficiat impotentia consequens?

Resp. a) Impotentia consequens observandi Dei legem non est impotentia veri nominis, sed potius est *mala voluntas*. Si enim impotentia est tantum consequens, ergo antecedenter ad malum usum voluntas erat physice et moraliter potens servare diu Dei legem sine auxilio gratiae. Si itaque quaeritur quare homo hanc legem violaverit, respondendum est : *quia noluit eam observare*. Jamvero sic e medio tollitur impotentia veri nominis. b) Sicuti potentia praecedit usum et est ejus ratio; sic impotentia praecedit defectum usus et est ejus causa, sive aliter ideo homo non observat quia non potest. Cum itaque omnis veritas Deo sit nota, veritas impotentiae, praecise sumptae et uti praecedit actum libertatis, Deo innotescit.

Unde Lugo : « Ut aliquid sit moraliter impossibile, duo requiruntur, nec unum sine altero sufficit; scilicet, quod illud numquam fuerit vel futurum sit, immo nec videatur futurum sub conditione, in hac vel alia simili hypothesi; et praeterea quod hoc ipsum oriatur ex summa difficultate, quam oporteret vincere ad ponendum illud. »

Quaeres 3° cur impotentia moralis tantum inducat *moralem certitudinem* non vero *absolutam* de non observanda Dei lege sine auxilio speciali.

Resp. Si certitudo esset absoluta, induci videretur impotentia physica. Ut absolute certum sit hominem non esse diu observaturum legem divinam nisi ornetur gratia, exigitur ut oppositum non possit evenire; jamvero ut oppositum non possit evenire, exigitur ut detur impotentia physica. — Quare Deus naturam inspiciens cernere quidem potest moraliter impossibile esse ut observetur Dei lex sine gratia, sed cernere non valet id esse impossibile physice, nam naturae dedit potentiam physicam; ergo cernere nequit absolute certum esse voluntatem esse violaturam praecepta divina.

Quaeres 4° quodnam in lege divina sit objectum istius impotentiae.

Resp. Impotentia directe quidem afficit totam seriem praeceptorum gravium legis naturalis diu observandae, indirecte vero unum eorum praeceptorum indeterminate. Itaque afficit totam seriem ratione unius praecepti indeterminate sumpti. Praeterea afficit eum actum ad cujus oppositum sollicitat gravis tentatio.

Qualificatio. Hominem non carere *potentia physica* servandi legem naturalem est *de fide definita* ex damnatis propositionibus Lutheri et Baii. — Hominem affici *impotentia morali* non videtur esse de fide definita nec catholica, sed *theologice certum,* ita nempe ut propositio contraria non modo sit temeraria, sed errori proxima. Sequentia enim advertit Suarez : « Videtur non esse simpliciter de fide, quia non invenio expressam et specificam Ecclesiae definitionem hujus dogmatis sub his terminis propositi, scilicet de observatione omnium praeceptorum legis naturae solum quoad vitanda peccata illis contraria. Definitiones autem generales supra adductae habent evasiones supra etiam positas, quae licet sufficienter refellantur, non tamen ita evidenter ut certum de fide sit hoc particulare dogma sub illa generali definitione contineri. Ideoque satis est dicere doctrinam hanc esse conclusionem theologicam adeo certam, ut contraria non solum jam temeraria sit, sed etiam errori proxima (1). » Dissentimus itaque a Ripalda asserente doctrinam contrariam nulla censura esse dignam (2).

(1) Suarez, *De gratia,* l. I, c. xxvi, n. 35. — (2) Ripalda, *De ente,* d. cxiv, s. xix, n. 179.

§ 2. Astruitur potentia physica servandi legem dei.

THESIS XXII^a. — Falsum est hominem in statu naturae lapsae obnoxium esse impotentiae physicae diu observandi, quoad substantiam, legem naturalem, nisi juvetur interna Dei gratia.

154. — Prob. I^m Arg. (1). Totam legem observare non est simul nec brevi tempore adimplere omnia ejus praecepta, siquidem omnia praecepta non simul actu urgent; sed est observare decursu temporis ea praecepta quae successive occurrunt, et superare difficultates ab observatione mandatorum Dei avertentes. Quo praemisso, sic arguitur : Ut homini in statu naturae lapsae competat potentia physica diu observandi quoad substantiam totam legem naturalem, duo requiruntur ac sufficiunt : a) ut potestas liberi arbitrii in se inspecti sit proportionata actibus singulis eliciendis; b) ut non minuatur per exercitium. Atqui utrumque obtinet. Ergo.

Prob. 1^a pars min. a) Homo vi essentiae obligatur ad servandam totam legem naturalem; est enim insculpta et promulgata in cordibus hominum; jamvero homo non obligatur ad actum cujus ponendi potestas physica deesset, seu cui ponendo improportionata esset potestas. b) Intellectus est physice potens cognoscendi honestatem singulorum praeceptorum. Ergo voluntas non est improportionata volendae huic honestati. Antecedens constat tum ex probatis in tractatu de vera religione, tum, juxta multos interpretes, ex Rom. II, 4, ubi Paulus affirmat gentes legem naturaliter notam potuisse observare. Consequentia constat quia si intellectus voluntati proponere potest observationem praecepti tamquam honestam proindeque bonam, voluntas libertate pollens observationem velle potest, siquidem in ea reperitur objectum formale ipsius.

Prob. 2^a pars min. a) Voluntati essentiale est ut tendere possit in illud quod sibi ab intellectu ut bonum proponitur; libertas voluntati adhaeret tamquam proprietas ipsius. Ergo voluntas semper remanet physice potens observare legem naturalem. b) Vitio malaque consuetudine minui profecto potest libera potestas servandi legem; verum non exstinguitur, adeoque manet entitativa proportio, immo exercitio virtutis exstirpari potest vitium.

II^m Arg. Petitur ex propositionibus damnatis Lutheri, Baii et

(1) Cfr. Palmieri : *De gratia*, th. xx.

Arnaldi, quibus varia ratione affirmatur hominem gratia destitutum esse physice impotentem vitandi peccatum (vid. p. 258). Petitur etiam ex testimoniis Patrum quibus probatur hominem sine gratia posse honeste agere, quae vide, sis, in thesi de hac materia.

III^m Arg. Eo quod homo in hoc statu naturae lapsae esset physice impotens servandi Dei legem sine gratia, consequens foret eum per P. O. fuisse laesum in pure naturalibus; consequens etiam foret statum naturae purae esse impossibilem. Atqui utrumque esse falsum probatur in tractatu de Deo creante. Ergo.

155. — Scholion. Ubi Patres affirmant hominem gratia Dei destitutum non posse observare Dei legem, plerumque loquuntur de observatione salutari. Id constat statu controversiae cum Pelagianis. Controversia enim erat de modo quo parvuli et adulti perveniunt ad regnum caelorum. Pelagiani et orthodoxi aeque admittebant adultis necessariam esse observationem legis divinae, hanc observationem a Deo fuisse praescriptam, necessarios esse actus vere bonos. Verum inquirebatur utrum homo indigeret gratia Dei ad hoc ut perveniret ad regnum caelorum, adeoque ut observaret Dei legem ea observatione quae est salutaris. Licet raro distinguatur inter observationem legis quoad substantiam et observationem quoad modum, concludi nequaquam potest Patres denegasse homini physicam potentiam observandi Dei legem quoad substantiam. Haec distinctio sedulo quidem institui debuit postquam Lutherani et Baiani abusi sunt verbis Patrum qui adversus Pelagianos dimicaverunt, ad haeretica sua opinamenta defendenda. — Addere juvat Patres interdum respicere impotentiam moralem observandi Dei legem quoad substantiam, ubi rationem hujus impotentiae unice repetunt ex concupiscentia.

Praecipua testimonia e quibus arguunt adversarii discutientur ubi agetur de potentia eliciendi actus ethice bonos sine auxilio gratiae. Heic sufficiat objectio ex canone 5 Milevitani : « Placuit ut quicumque dixerit ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa divina implere mandata, anathema sit; » respondetur *distinguendo :* Negatur homo posse legem Dei *moraliter* observare, *Conc.;* posse *physice, Subd.* negatur homo posse legem observare quoad modum seu *salutariter, Conc.; quoad substantiam, Neg.* — Si objicitur ex Innocentio I aiente « negantes auxilium Dei, hominem sibi posse

sufficere, nec gratia hunc egere divina affirmant, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitae perficienda mandata sola libertate contendat, » respondetur *moraliter* necesse est ut, privatus gratia, diaboli laqueis irretitus occumbat, *Conc.; physice* necesse est, *Subd.* ut succumbat h. e. *ut non operetur salutariter* adeoque privetur beatitudine *supernaturali, Conc.;* ut peccet et plectatur *poena gehennae, Subd.* eo sensu quod omnis adultus qui observat Dei legem, pervenit, adjutus gratia, ad aeternam salutem, et proinde quod fieri nequit ut is qui nullam gratiam acceperit, non peccaverit lethaliter, *Conc.;* alio sensu, *Neg.*

§ 3. ASTRUITUR MORALIS IMPOTENTIA SERVANDI DIU LEGEM DEI.

THESIS XXIII[a]. — In statu naturae lapsae laborat homo impotentia morali diu observandi legem divinam quoad substantiam, nisi juvetur speciali adjutorio. — Attamen necessaria non est gratia entitative supernaturalis; sed sufficit auxilium speciale ordinis naturalis. — In statu naturae integrae homo non afficiebatur ista impotentia.

156. — PRIMA PARS. IN STATU NATURAE LAPSAE MORALITER NECESSARIUM EST DEI ADJUTORIUM SPECIALE AD DIU SERVANDAM LEGEM DIVINAM.

Prob. I[m] Arg. Ex Rom. VII, 14-25. Juxta Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, Hieronymum, Ambrosium, Damascenum, Augustinum, Paulus per metaschematismum assumit personam veteris hominis qui gratia non est sanatus, et exponit statum in quo adducitur vi concupiscentiae. Talis autem homo non modo affirmatur nihil boni posse operari, quae verba intelligi possunt de actione salutari, sed asserit eum venumdari sub peccato (concupiscentia), peccatum habitare in ipso, ipsum facere malum quod odit, non facere bonum quod vellet facere, in membris ipsius vigere legem repugnantem legi mentis ipsius et captivantem ipsum in lege peccati. Demum asserit gratiam Dei esse per J. C. quae sola valeat ipsum liberare de corpore mortis hujus. — Luce clarius proponitur impotentia moralis diu observandi legem naturalem. Etenim asseritur summam esse hominis infirmitatem ad bonum quodlibet; hanc infirmitatem hominis pro causa habere concupiscentiam quae in homine dominatur; denique sine Dei gratia rumpi non posse, moraliter saltem loquendo, vincula servitutis. Ergo. — Manifestum est valorem argumenti non pendere a quaestione pro

quonam supponat persona de qua loquitur Paulus. Valet enim pro omni eo qui obnoxius est concupiscentiae ; jamvero omnes sunt ei obnoxii tum baptizati tum baptismo carentes.

Praeterea Apostolus, Rom. VIII, 3-5, inquirens quomodo homo lapsus valeat superare concupiscentiam, ait : « Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. » Cf. I Cor. XV, 56, 57; II Cor. III, 6 ; Gal. II, 16, 21 et III, 10, 11.

II^m Arg. Fatendum est non pauca Patrum testimonia afferri solere e quibus vix ac ne vix quidem colligi potest impotentia moralis ad actus naturaliter honestos, siquidem nomine actus boni intelligunt actum salutarem, adeoque impotentiam physicam naturae vindicant contra Pelagium. Attamen dantur certa testimonia e quibus arguere licet :

1. Patres repetunt impotentiam ad recte agendum, ad observandam legem, ex concupiscentia, et gratiam, quam necessariam dicunt, vocant sanantem. Atqui impotentia ex concupiscentia orta respicit aeque actus naturaliter honestos ac salutares. Ergo. — *Major probatur :* a) Auctor libri *De vocatione gentium* scribit : « Humana natura in prima hominis praevaricatione vitiata etiam inter beneficia, inter praecepta et auxilia Dei semper in deteriorem est proclivior voluntatem, cui committi non est aliud quam dimitti. Haec itaque voluntas vaga, incerta, mutabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus caeca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriae quam virtutum avidior, famae quam conscientiae diligentior et per omnem suam experientiam miserior fruendo his, quae concupiverat, quam carendo, nihil in suis habet viribus nisi periculi facilitatem, quoniam voluntas mutabilis, quae non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni » (1). b) Quinque episcopi ad Innocentium I scribunt : « Satis apparet quod ad non peccandum, i. e. ad non male faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficiat, *nisi adjuvetur infirmitas.* » c) Caelestinus I docet « neminem, etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis obtinuerit. » Denz. n. 90.

(1) *De vocatione gentium*, l. I, c. VI, M. LI, 652.

2. Patres dicunt non modo liberum arbitrium non posse observare legem salutariter et agere salutariter, sed insuper sine gratia *fieri peccatum*, et *legem violari*. Ergo homo est impotens ad servandam legem quoad substantiam, et cum non astruatur impotentia physica, restat ut dicatur esse moralis. — *Major probatur :* a) Augustinus in libro *De spiritu et littera* ostendit legem sive mosaicam sive naturalem sine adjutorio gratiae nihil producere posse nisi mortem. « Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter recteque vivendi, littera est occidens, nisi adsit vivificans spiritus » (1). « Nemo ergo christianorum aberret ab hac fide, quae sola christiana est, neque quisquam... ad hoc se convertat, ut dicat ideo sine operatione gratiae nos justos esse non posse, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia bona praecepta mandavit. Illa enim sine adjuvante Spiritu procul dubio est littera occidens ; cum vero adest vivificans Spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri » (2). b) Prosper *Contra Collatorem*, c. VII, ait : « Lex potest ne quid mali fiat jubere : a malo autem non potest liberare. Notum facit mandatum, sed obediendi non praestat affectum, nisi quod est occidens per imperium litterae, fiat vivificans per spiritum gratiae. » c) Innocentius I scribit ad Patres Concilii Carthaginiensis : « Quotidiana praestat ille (Deus) remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim ut, quo auxiliante, vincimus, eo iterum non adjuvante, vincamur. »

III^m Arg. *Ratione.* 1. Voluntas nequit vincere tentationes graves nisi gratia adjuvetur. Atqui in diuturna observatione legis occurrunt tentationes graves avertentes a lege observanda. — 2. Experientia constat homines christianos destitutos gratia sanctificante, stipatos tamen multis gratiis actualibus, non diu perseverare sine culpa gravi, adeoque non diu observare legem divinam. Ergo a fortiori legem non observarent diu hi qui gratiis destituerentur. Ergo datur impotentia moralis. — 3. Exercitium libertatis difficilius redditur affectu boni oppositi. Quo intensior hic est, eo magis accedit voluntas ad impotentiam moralem resistendi. Atqui saepe maxima est affectio spontanea voluntatis in ea quae lege vetantur. Ergo saepe adest impotentia moralis resistendi illecebris et servandi legem.

157. — SECUNDA PARS. SUFFICIT GRATIA MEDICINALIS ENTITATIVE NATURALIS.

(1) AUG. *De sp. et litt.* c. IV, n. 6. M. XLIV, 203. — (2) Ib. c. XIX, n. 32, M. ib. 220.

Prob. Gratia entitative supernaturalis esset necessaria ad observandam legem Dei aut natura rei aut positiva Dei voluntate. Atqui neutrum dici potest. Ergo sufficit gratia entitative naturalis.

Prob. 1ª pars min. Ut detur potentia moralis observandi legem naturalem, sufficit ut voluntas, quae pondere concupiscentiae inclinabatur in malum morale et non valebat moraliter resistere huic motioni, sufficit, inquam, ut voluntas inclinetur sufficienter in partem oppositam, vel ut minuatur affectio in malum. Atqui ex natura rei sufficit ad hoc vel vivida cogitatio de bono opposito aut de malitia actus mali, aut vehemens motio voluntatis in oppositum; utraque autem potest esse entitative naturalis. Ergo.

Prob. 2ª pars min. Necessitas gratiae entitative supernaturalis, ex positiva Dei voluntate, tantum colligeretur ex eo quod Patres, utentes nomine communi nec distinguentes disertis verbis inter duas species gratiarum, gratiam necessariam esse dicunt ad actus salutares et ad observationem legis quoad substantiam, scilicet ad legem non violandam. Atqui nullo pacto concludi ex hoc potest exigi gratiam supernaturalem ad observandam legem divinam. Ergo. — *Prob. min.* 1. Argumentum nimis probat: a) Patres enim etiam dicunt eamdem esse gratiam qua justificamur, salutariter operamur et observamus Dei legem. Ergo si contendi potest gratiam actualem, qua lex Dei observatur, esse debere supernaturalem entitative quia cum eadem gratia salutariter operamur, eodem jure dicetur ad utrumque requiri gratiam sanctificantem. b) Gratia ad operandum salutariter est physice necessaria, ergo ex argumento sequeretur eam esse physice necessariam ad observandam legem divinam. — 2. Patres non considerant gratiam nisi *generice,* prout abstrahit tum ab habituali et actuali, tum ab entitative supernaturali et entitative naturali. Pelagiani enim affirmant naturam sibi sufficere tum ut observet legem salutariter, tum ut a peccato abstineat, tum ad capessendum regnum caelorum. Contra Patres exigunt *donum naturae superadditum* adeoque speciale. Subjecta materia ostendere debet ad quamnam speciem pertineat donum a Deo collatum. Atqui heic constat non requiri gratiam entitative supernaturalem. — 3. Implicite asserunt sufficere auxilium Dei speciale ordinis naturalis. Etenim vindicant *impotentiam physicam* salutariter operandi; contra, cum causam impotentiae non violandi legem divinam petant ex *infirmitate seu concupiscentia,* non astruunt nisi impotentiam moralem, neque dici possunt exigere auxilium majus eo quod requiritur ex natura rei ad succurrendum huic infirmitati. Atqui ex natura rei sufficit auxilium sanans entitative naturale. Ergo.

Dices cum Ripalda : Undenam probatur entitativa supernaturalitas gratiae salutaris, si conceditur medicinalem, de qua fit sermo eodem modo ac de salutari, esse dumtaxat auxilium speciale ordinis naturalis?

Resp. Discrimen utriusque gratiae colligitur ex duobus : a) Ex fine. Actus salutaris est proportionatus cum fine entitative supernaturali ; ergo est ejusdem ordinis. Contra observatio legis quoad substantiam non est medium ad beatitudinem ducens. b) Ex diversa impotentia cui succurritur per gratiam : Natura est physice impotens ad operandum salutariter ; ergo elevatur supra ordinem suum. Contra, est moraliter tantum impotens observandi legem. Ergo ei additur auxilium quo roboratur in suo ordine.

158. — TERTIA PARS. In statu naturae integrae homo non erat obnoxius impotentiae morali servandi legem.

Contendit Vasquez requisitam fuisse cogitationem congruam (1).

Prob. 1. Impotentia moralis observandi diu legem naturalem est effectus P. O. Ergo deerat in statu naturae integrae. — *Prob. ant.* In poenam P. O. ablata fuerunt non modo dona supernaturalia, sed etiam praeternaturalia, scilicet immunitas a concupiscentia, a morte, a malis physicis et a miseriis vitae. Inde praeter servitutem reatus culpae et sub morte poenisque vitae, inducta est servitus sub concupiscentia et sub diabolo tum tentatore tum exactore suppliciorum. Pondere concupiscentiae vehementer inclinatur homo in bona sensuum et in gloriam mundanam et moraliter impotens factus est diu servandi legem divinam, nullo peccato lethali admisso.

2. Adamus ornatus erat praeclara scientia, voluntas praeclara rectitudine. Non obnoxius erat difficultati internae ortae ex corruptione corporis, ignorantia mentis, concupiscentia, neque difficultati externae minuenti libertatem ; poterat quidem tentari suggestione, verum suggestio haec non erat nata prohibere mentem ab attenta rei consideratione, neque perturbare appetitum vel phantasiam sine voluntatis consensu. Ergo aberant omnes causae quae in statu naturae lapsae potentiam physicam afficiunt impotentia morali.

159. — Scholion 1um. *Quaeres num in statu naturae purae homo laborasset impotentia morali et quomodo Deus ei succurrisset ?*

Resp. I. In statu naturae purae caruisset homo donis praeternaturalibus adeoque concupiscentiae fuisset subjectus. Sunt tamen qui dicunt concupiscentiam magis premere hominem lapsum, quam pres-

(1) Vasq. In Im IIae, d. cxciii, c. iii.

sisset hominem purum, et rationem dant quia hic fuisset aut totaliter subtractus tentationibus daemonis, aut saltem minores debilioresque ei sustinendae fuissent tentationes. Stante ista sententia fortassis defuisset impotentia moralis in statu naturae purae. — Aliorum sententia fert concupiscentiam et diaboli tentationem non minus oppressuras fuisse hominem purum, quam premat hominem lapsum, adeoque utrumque aequali laborare impotentia morali.

2. Si quaeritur an impotentiae huic morali succurrisset Deus auxiliis specialibus sive extrinsecis homini, adductis certis adjunctis, sive intrinsecis, illustratione nempe entitative naturali et inspiratione ; aut aliter, si quaeritur utrum auxilia ista specialia dicenda sint supernaturalia quoad modum an naturalia ; aut adhuc aliter, utrum Deus debuisset illa concedere, an potuisset ea denegare; alii aliter respondent·

a) Sunt qui dicunt ista auxilia futura fuisse indebita adeoque supernaturalia. Rationem dant quia impotentia consequitur naturaliter ad naturam ; Deus autem, aiunt, non tenetur auferre hujusmodi defectus (1). — Inter eos qui primae huic sententiae adhaerent, alii dicunt ad rationem peccati etiam lethalis sufficere potentiam physicam illud vitandi, nec requiri potentiam moralem. Hi proinde admittunt hominem in statu naturae purae potuisse, Deo volente, carere potentia morali assequendi finem naturalem, ad justam videlicet damnationem sufficere ut adfuerit potentia physica servandi legem, vitandi peccatum, perveniendi ad finem. — Contra alii existimant nullum dari peccatum lethale, nisi adfuerit potentia moralis illius vitandi et observandae legis divinae, adeoque illos perventuros fuisse ad finem naturalem neque juste potuisse damnari qui observassent ea praecepta legis divinae ad quae servanda data fuisset potentia moralis.

b) Alii contra opinantur ex una parte requiri observationem totius legis ut homo connaturali modo perveniat ad finem ultimum, ex altera parte neminem juste damnari ob violationem ad quam vitandam defuisset potentia moralis. Quapropter censent auxilia specialia in statu naturae purae esse debita adeoque naturalia (2).

Scholion 2um. Quaeres num auxilia mere medicinalia, collata in statu naturae lapsae, sint indebita adeoque supernaturalia quoad modum, an debita adeoque naturalia ?

Resp. 1. Sunt extrinsecus supernaturalia, quatenus conferuntur

(1) Suarez, l. I, c. xxviii n. 12 — (2) Cfr. Suarez, *Proleg.* IV, c. ii, n. 15 ; in Im IIae, d. xv, sect. 2, n. 11. Cfr. etiam Franzelin. *de Trad. et Script.* p. 555.

homini eo fine ut abstineat a peccato, se disponat negative ad gratiam supernaturalem, et perveniat ad salutem.

2. Utrum sint intrinsecus supernaturalia quoad modum, alii aliter respondent: a) Juxta alios sunt indebita. Ratio ab aliis esse dicitur quia in nullo statu naturae Deus tenetur mederi impotentiae morali, ab aliis petitur ex positiva indignitate homini inducta per peccatum originale. b) Juxta alios sunt debita, adeoque specialia quidem sunt, verum naturalia. Quae sententia praeplacet, utpote conformior Dei bonitati, et justitiae, et sanctitati. Oportet enim ut soli homini imputari queat peccatum; jamvero ubi datur impotentia moralis vitandi peccatum ob denegata Dei auxilia, peccatum potius Deo quam homini imputandum videtur.

Scholion. 3m. Natura humana physice impotens servandi legem et perveniendi ad finem, esset proprie incompleta, laesa in naturalibus, privata sibi debitis, manca. Quae nonnisi morali impotentiae est obnoxia, est quidem minus completa, non tamen manca. Ratio est quia homini debitum quidem est in omni statu naturae ut instruatur potentia morali observandi legem et vitandi peccata gravia, verum nullatenus ei debitum est ut haec potentia adhaereat naturae secundum se; contra naturae conveniens est ut non fiat moraliter potens nisi beneficio doni specialis Dei; exinde enim magis experitur dependentiam suam a Deo et necessitatem implorandi ejus auxilium humili prece. — Ceterum si esset incompleta, talis dicenda esset sensu prorsus diverso ab eo quem Baiani propugnant. Hi enim asserunt homini in statu naturae lapsae deesse potentiam physicam observandi Dei legem; homini innocenti debitam esse carentiam concupiscentiae, impassibilitatem, immortalitatem; ex his concludunt tum statum naturae purae pugnare cum Dei justitia, tum hominem lapsum esse essentialiter incompletum seu laesum in naturalibus.

Satisfit difficultatibus.

160. — CONTRA Im PARTEM. I. Ratione. Obj. 1o. Impotentia moralis veri nominis non nascitur ex abusu libertatis, sed antecedenter inhaeret naturae secundum se inspectae. Secus enim dicendum foret ideo hominem non posse observare legem, quia libere renuit, dum contra dicendum est ideo eum non observare legem, quia non potest. — Atqui natura secundum se inspecta non afficitur impotentia morali observandi diu legem divinam quoad substantiam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Impotentia moralis non nascitur ex abusu libertatis, si inspicitur *in ordine historico, Neg.;* si inspicitur *in ordine ontologico, Subd.* inhaeret naturae inspectae in abstracto secundum *essentialia, Neg.;* inspectae *in concreto* uti obnoxia est inclinationibus vitiosis, *Conc.* — *Cdt. min.* — In ordine *historico* radix impotentiae moralis est peccatum originale, protoparentes enim fuerunt a Deo conditi cum carentia fomitis, eamque debebant transmittere posteritati una cum donis gratiae; igitur impotentia moralis observandi diu legem divinam sine auxilio gratiae est sequela P. O. — In ordine *ontologico,* in quo scilicet consideratur homo in ordine naturali stipatus omnibus et solis donis naturae debitis, radix hujusce impotentiae est natura, dummodo in concreto sumatur: ratio est, praeter alias jam tactas, quia omnia dona ablata in poenam P. O. sunt supernaturalia seu indebita naturae etiam innocenti; naturale itaque est naturae humanae in concreto inspectae ut sit obnoxia huic morali impotentiae; haec itaque radicatur in ipsamet natura.

Inst. Atqui natura, uti est obnoxia his malis, non est moraliter impotens diu servandi legem quoad substantiam.

Prob. A. Indirecte, *ex parte Dei.* Absurdum est Deum velle finem eumque denegare media in quolibet statu naturae. Atqui hoc fit, posito naturam in concreto esse moraliter impotentem servandi legem. Ergo. — *Prob. min.* Finis est Dei gloria et aeterna beatitudo; medium est observatio legis divinae, vitata violatione. Atqui, posito naturam in concreto esse moraliter impotentem diu servandi legem divinam, dicendum est Deum in statu naturae purae velle beatitudinem et eum non velle observationem legis, siquidem creat naturam moraliter impotentem. Ergo.

Respondent. a) Alii: *Dist. maj.* Absurdum est Deum velle finem et denegare media necessaria, h. e. *potentiam physicam* ea adhibendi, *Conc.; potentiam moralem, Neg.*— *Cdt. min.*— Contra hanc responsionem petitur instantia ex eo quod volitio finis non est seria, ubi denegatur potentia moralis ei a quo finis comparandus est.

b) Alii: *Dist. maj.* Absurdum est Deum velle *absolute* finem et eum denegare media *absolute* necessaria, *Conc.;* media *hypothetice* necessaria, *Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. maj.* Observare legem est medium *hypothetice* necessarium, *Conc.; absolute, Neg.* — *Cdt. min.* — Dicendum esset Deum in statu naturae purae non velle *absolute* observationem legis, *Conc.;* quoties observatio est *moraliter possibilis, Neg.* — Qui sic respondent, censent Deum posse denegare auxilia specialia ad obser-

vationem legis moraliter necessaria, tunc autem non haberi peccatum cum adest moralis impotentia illud vitandi, denegato auxilio speciali. — Vel aliis verbis : *Conc. maj. Neg. min.* Ad probat. *Dist. maj.* Medium attingendi finem est observatio legis quoad praecepta cognita, et quoties datur potentia moralis legem servandi, *Conc.;* etiam quoad praecepta ignota et cum datur impotentia moralis servandi legem, denegato auxilio necessario, *Neg.* — *Cdt. min.*

c) Alii : *Conc. maj. Dist. min.* Deus dicendus est velle finem et non velle media, si naturae, secundum se moraliter impotenti finem attingendi, *non liberaliter concedit auxilia specialia* quibus haec natura evadat simpliciter potens attingere finem, *Conc.; si hujusmodi media suppeditavit, Neg.* — Ad prob. *Conc. maj. Dist. min.* eodem modo.

Nullus homo juste a Deo damnatur ob non servatam legem divinam, nisi ei possibile fuerit intellectu cognoscere legem et voluntate eam servare. — Juxta alios in statu naturae lapsae sufficit ad justam damnationem ut adfuerit homini physica potentia neque exigitur potentia moralis. Verum, dato hoc non pugnare adversus Dei justitiam, existimamus hoc prorsus adversari Dei bonitati, ut nempe aliquis damnetur quia non observavit Dei praecepta ad quae servanda ei deerat potentia moralis. — Quamobrem aut dicendum est Deum nulli homini, etiam in statu naturae purae, pro tempore et loco denegaturum fuisse auxilium speciale conferens saltem remote potentiam moralem observandi praecepta ei nota, quod postea verum esse comprobabitur pro statu naturae lapsae; aut dicendum est non exigi observationem praeceptorum ad quae observanda datur impotentia moralis, denegato auxilio speciali. — Re quidem vera impotentia moralis affecisset hominem in statu naturae lapsae, siquidem ejus causa principalis est concupiscentia. Deus huic impotentiae succurrisset tribuendo auxilia specialia ordinis naturalis. — Ista auxilia sita fuissent in illustrationibus et inspirationibus, tum immediatis, tum mediatis, adductis adjunctis congruis, quae non elevassent naturam supra conditionem naturalem. — Eadem auxilia probabilius fuissent debita naturae purae. Ratio est quia ei est debitum ut habeat potentiam moralem ad finem tendendi modo connaturali, hic autem modus est observatio legis naturalis. — Ceterum si ponerentur esse indebita, et si denegata fuissent a Deo, peccata non fuissent formalia quoties defuisset potentia moralis ea vitandi, adeoque satis fuisset ad attingendum finem ut observata fuissent praecepta quoties moraliter observari potuissent. — Quare praeplacet solutio sub litt. c).

Obj. 2°. B. INDIRECTE, *ex parte naturae humanae :* Absurdum est

naturam humanam, a Deo factam, esse mancam. Atqui impotentia moralis afficiens naturam in concreto inspectam, eam reddit essentialiter incompletam. Ergo. — *Prob. min.* Illa natura est essentialiter incompleta, quae caret iis quibus connaturali modo tendat ad finem. Atqui impotentia moralis afficiens naturam in concreto eam reddit destitutam istis mediis. — Patet minor quia modus connaturalis tendendi ad finem est observatio totius legis.

Resp. *Dist. maj.* Absurdum est naturam esse mancam *positive,* h. e. laesam ablatione potentiae physicae operandi naturaliter, *Conc.;* mancam *negative,* h. e. minus perfectam, debilitatam ablatione potentiae moralis, *Neg.* aut *Subdist.* absurdum est hanc facilitatem auferri et Deum non supplere auxiliis specialibus, *Trans.;* si huic impotentiae succurritur, *Neg.* — Ad prob. *Dist. maj.* Imperfecta est natura quae caret *potentia physica* tendendi ad finem, *Conc.;* quae caret potentia *morali, Subd.* ista natura est *minus completa, Conc.;* est *laesa in debitis, Subd.* si Deus *non succurrit* huic impotentiae morali, concesso auxilio speciali, *Transm.;* si succurrit, *Neg.*

Inst. Atqui perinde est sive natura sit physice incompleta sive moraliter incompleta et indigens auxilio Dei speciali. Ergo sententia quae defenditur, incidit in eadem incommoda atque sententia Baii. Etenim potentia non est utilis nisi relate ad actum. Atqui perinde est sive actus non sequatur ex defectu potentiae physicae, sive ex defectu potentiae moralis, quo nimirum fiat ut certum sit in nullo subjecto hanc potentiam esse transituram ad actum, nisi subveniatur auxilio speciali dato a Deo. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Natura pueri non est essentialiter incompleta; multa tamen ad finem requisita ei ab extrinseco suppeditari debent. Natura discipuli non est manca; licet moraliter impotens sit notitiam multorum acquirendi sine magisterio. In omni systemate indiget homo concursu Dei, ut agere valeat, adeo ut secus desit potentia physica agendi; exinde tamen non dicitur esse mancus nec laesus. Ergo ex eo quod desit potentia moralis ponendi certos actus, in certis adjunctis, nisi Deus infirmitati succurrat, praestito auxilio speciali, nequaquam dici potest homo esse proprie et positive laesus, mancus, incompletus.

Obj. 3° Si radix impotentiae esset natura ipsa, dicendum esset Deum antecedenter ad usum scientiae mediae et scientiae visionis, per usum scientiae simplicis intelligentiae, praescivisse hominem, tum mere possibilem tum exsistentem, non esse observaturum legem divinam. Atqui

sic inciditur in impotentiam physicam. — *Prob. min.* Deus non potest, inspecta sola natura, praescire hominem non esse observaturum legem, nisi cernat oppositum esse impossibile : secus enim cernit in natura duo esse possibilia, observationem nempe legis et violationem, proindeque non cernit unam esse eventuram prae altera. Atqui oppositum non potest cerni esse impossibile, nisi inducatur impotentia physica servandi legem. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Dicendum est Deum, inspecta natura in concreto, praescivisse *cum certitudine morali* etc. *Conc.;* cum certitudine *absoluta, Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. maj.* Deus non potest *cum certitudine morali* praescire etc. *Neg.;* cum *absoluta* certitudine, *Conc.* — *Conc. min.* Cfr. quaesitum 1^{m} et 3^{m}.

Obj. 4°. C. Si ponitur radix ontologica impotentiae moralis in natura humana, ulterius dicetur vel hominem in statu naturae purae futurum fuisse obnoxium huic impotentiae vel eum futurum ab ea immunem. Atqui *si primum* affirmatur, laeduntur jura hominis innocentis; *si secundum* affirmatur, homo lapsus dicendus est fuisse laesus per P. O. in pure naturalibus. Ergo. — Constat 1^{a} pars minoris quia homini innocenti debita est non modo potentia physica attingendi finem naturalem per observationem legis naturalis, sed potentia moralis. — Constat 2^{a} pars minoris quia, cum homo in statu naturae purae non fuerit ornatus nisi donis naturalibus, consequens erit potentiam moralem observandi Dei legem esse donum naturale; cum itaque homo lapsus hac potentia morali destituatur, dicendus erit laesus in pure naturalibus.

Resp. *Conc. maj. Neg. 1^{a} pars. min. et conceditur 2^{a} pars minoris* cum probatione sua. — Ad probationem 1^{ae} partis minoris *distinguitur :* Homini innocenti debita est potentia moralis observandi Dei legem *sine ullo auxilio speciali Dei, Neg.;* debita est potentia moralis eam observandi vel solis viribus naturae cum concursu Dei ordinario, *vel beneficio auxilii specialis Dei, Conc.*

Prob. 5°. D. DIRECTE probatur idem. Lex naturalis est proportionata viribus naturae. Atqui lex proportionata naturae viribus, ab his observari valet sine auxilio speciali; ubi enim opus est tali auxilio, actio eo ipso non est proportionata viribus, sed eas excedit.

Resp. *Dist. maj.* Lex naturalis est *physice* proportionata viribus, *Conc.;* est *moraliter* proportionata, *Subd.* quoties non occurrit tentatio gravis et proinde *per se* loquendo, *Conc.;* semper ita ut *per accidens,* occurrente gravi tentatione, nequeat deesse moralis proportio, *Neg.*

Cdt. min. Quod est *moraliter* proportionatum viribus, potest effici sine auxilio speciali, *Conc.;* quod est *physice* proportionatum, *Subd.* potest effici *per se* et nisi per accidens occurrat obstaculum, *Conc.; necessario* et *semper, Neg.*

Inst. Atqui lex naturalis est moraliter proportionata viribus naturae sibi permissis. Talis enim lex est inducta a natura. Atqui quod a natura inducitur, est proportionatum viribus naturae sibi permissis.

Resp. *Conc. maj.* Sensus profecto est legem naturalem emergere ex essentia hominis et relationibus essentialibus ipsius cum Deo et entibus creatis. — *Dist. min.* Quod a natura inducitur, illud est proportionatum *physice* his viribus, seu non superat absolutam capacitatem harum virium sibi relictarum, *Conc.;* idem est *moraliter* proportionatum eisdem viribus, *Subd. per se* loquendo, *Conc.; per accidens* non potest desinere esse moraliter proportionatum, *Neg.*

Obj. 6°. Sequeretur Deum praecipere impossibilia, siquidem jubet observationem totius legis. Atqui nullus legislator valet obligare ad impossibilia. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus praeciperet *physice* impossibilia, *Neg.; moraliter, Subd.* praeciperet ea quae, *absente gratia,* sunt moraliter impossibilia, *Conc.;* quae talia sunt, *praesente gratia* divinitus concedenda, *Neg. Cdt. min.* Legislator nequit praecipere *physice* impossibilia, *Conc.; moraliter* impossibilia, *Subd.* si non valet dare auxilia specialia, reddentia adimpletionem praecepti moraliter possibilem, *Transm.* aut *Conc.;* si valet dare et dat auxilia sufficientia, *Neg.* « Deus, ait Augustinus, impossibilia non jubet ; sed jubendo admonet et facere quod possis et petere quod non possis (1). »

Obj. 7°. Praecepta legis divinae distributive sumpta servari possunt. Ergo possunt collective observari. A distributivo enim ad collectivum valet illatio.

Resp. *Dist. ant.* Praecepta legis divinae distributive sumpta possunt servari, *physice* loquendo, *Conc.;* possunt servari, *moraliter* loquendo, *Subd.* cum graviter premit concupiscentia et datur gravis tentatio, *Neg.;* quoties haec desunt, *Conc.* — *Dist. cons.* eodem modo.

Obj. 8°. Argumentum rationis procedit ab absentia facti, ex eo nempe quod homines non observant legem nisi juventur gratia, et concludit ad absentiam potentiae. Atqui a non esse ad non posse non valet illatio, aiunt logici. Ergo paralogistice arguitur.

---

(1) Aug. *De nat. et gr.* c. xliii. M. XLIV, 271.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* A non esse ad *non posse physice,* non valet illatio, *Trans.;* ad *non posse moraliter, Subd.* non valet illatio *immediata, Conc.; mediante argumento, Neg.*

II. Ex Scripturis. Objiciunt principaliter ex Rom. II, 14 : « Gentes, quae legem non habent, naturaliter, ea quae legis sunt faciunt. » Objectio exposita et discussa est ad thesim I^m^.

Obj. 9°. In Deut. XXX, 11, Deus ipse dicit : « Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum,... sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. » Porro agitur praecipue de dilectione Dei, in qua omnia praecepta continentur (v. 16). Ergo omnia praecepta ab homine observari possunt.

Resp. Duplici modo exponitur locus : a) de *cognitione* praecepti, ita ut sensus sit : Mandatum dilectionis Dei non est supra te, sed facile cognosci a te poterit in ea lege quam promulgo. Sensum istum indicare videntur verba quae sequuntur. Exponitur etiam b) *de exsecutione* praecepti, ita ut sensus sit : Mandatum hoc non est supra vires tuas positum, mediante gratia, quae tibi datur, vel offertur ; unde v. 6 dicitur : « Circumcidet Dominus Deus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua, ut possis vivere. »

161. — CONTRA III^m^ PARTEM. Obj. 10°. Homo in statu naturae integrae indigebat gratia ad perseverandum. Ergo indigebat gratia ad diu observandam legem naturalem.

Prob. ant. a) Concilium Arausicanum ait etiam in statu innocentiae indiguisse hominem gratia ad perseverandum (cap. XIX).— b) Gelasius P. adversus haeresim Pelagii scribit : « In ipsis primis hominibus, dum sua nimium felicitate confidunt et tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nusquam fecisse referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent simpliciter implorando, incolumes constare nequiverunt » (1). — Eodem modo loquuntur Augustinus et Prosper (2).

Resp. cum Suarez *negando paritatem.* « Perseverantia in gratia non fit sine aliquo effectu supernaturali, ad quem necessaria est gratia ; sola autem observatio legis naturalis et carentia culpae contrariae non includit effectum supernaturalem et ideo propriam gratiam non requirit » (3).

---

(1) GELAS. cf. t. I *epist. pontif.* ep. V et VI. — (2) AUGUST. *De corr. et gr.* c. XI sq. ; l. *de nat. et gr.* c. XLVIII. — PROSPER, *Cont. Collat.* c. XVIII.— (3) SUAREZ, *De gratia,* l. I. c. XXV, n, 11.

Obj. 11°. Eo quod Adamus fuisset moraliter potens diu servandi legem divinam, sequeretur ipsum potuisse suo libero arbitrio absque auxilio gratiae vincere tentationem serpentis. Praeceptum enim erat naturale seu de omissione mere naturali. Atqui juxta Gelasium l. c. necessaria fuit oratio ad vincendum tentatorem [1]. Ergo.

Resp. cum Suarez (l. c. n. 12) : « Praeceptum impositum Adae, licet materialiter, et ex parte rei praeceptae, fuerit... de omissione naturali seu corporali, nihilominus formaliter fuisse supernaturale, quatenus pendebat ex fide et obedientia debita Deo ut gubernanti naturam supernaturali modo, et ex hac parte non poterat servari sine gratia. » Quare respondetur *distinguendo :* Sequitur Adamum potuisse vincere *salutariter* tentationem sine gratia, *Neg. ; praecise honeste, Conc.*

Obj. 12°. Daemon, alius homo, objectum externum, potuerunt suggerere homini, in statu naturae integrae, cogitationem inclinantem ad peccandum contra legem naturalem. Tales cogitationes potuissent vehementius inclinare in malum quam oppositae ad bonum. Ergo gratia potuit esse necessaria.

Resp. cum Suarez (l. c. n. 13) : « Talis cogitatio... posset facile per bonum usum libertatis repelli, vel ad considerationem meliorem intellectum applicando vel per voluntatem objectum pravum sic praesentatum respuendo. »

Obj. 13°. Licet ex objectis sensibilibus non posset gravissime tentari homo integer, nihilominus ex spiritualibus poterat gravissime tentari superbia, immo gravius quam in statu naturae lapsae. Ergo.

Resp. a) Non semper major excellentia infert majorem tentationem superbiae ; lumen enim potest esse majus, affectus pacatior. b) Non videtur quare violentior fuisset tentatio superbiae : si enim dona fuissent majora, auctor donorum etiam melius cognoscebatur.

ARTICULUS II.

De victoria supra tentationes.

§ 1. Status quaestionis.

162. — 1. Notio. Tentare est sumere experimentum : Deus tentat hominem ut probet detque occasionem exercendi virtutem et lucrandi

[1] Cf. M. P. L. XIX, 117.

praemia, diabolus ut noceat, homo ut sciat. Heic agitur de tentatione quae nocet.

Tentatio sumitur active et passive : a) Tentatio *active* sumpta est actio tentantis. — b) Tentatio *passive* sumpta reponitur formaliter in motione seu sollicitatione voluntatis ad omittendos actus bonos aut ad ponendos actus prohibitos; haec sollicitatio naturaliter sequitur ad apprehensionem intellectualem rei. Determinatur tentatio humoribus, phantasia, re externa in sensoria agente, hominibus, diabolo. — Viris malis saepe sufficit mala consuetudo et perversitas voluntatis ad hoc ut sollicitentur ad malum, quin necessarius sit diaboli interventus. Saepe tamen determinatur tentatio actione diabolica (I Pet. v, 8; Eph. vi, 12); neque tantum malos tentat diabolus, sed etiam sanctos immittendo tristitiam, nauseam cordis, ariditatem, timorem, etc. — Ex his consequitur tentationem opponi contrarie motibus gratiae praevenientis sollicitantibus ad bonum et elevatis ad supernaturalitatem beneficio peculiaris interventus Dei.

2. **Divisio.** Tentatio formaliter inspecta potest esse gravissima, talis videlicet ut perturbet ac pervertat judicium rationis de malitia actus : verum de hac non agitur, quia aufert a consensu voluntatis malitiam formalem ([1]). Praeterea potest esse gravis aut levis. — a) Tentatio *gravis* dicitur ea quae difficile superatur, seu cui difficile consensus voluntatis denegatur, seu quae vehementer impellit ad peccatum. — Gravitas (difficultas ad resistendum, vehementia impulsus) potest oriri α) ex intensitate tentationis seu inclinationis voluntatis; β) ex diuturnitate; γ) ex habitu seu consuetudine prava quae debilitavit vim resistendi. — b) Tentatio *levis* facile superatur, proinde non vehementer inclinat ad peccatum.

Observa. a) Tentatio levis ratione unius elementi, potest esse gravis ratione alterius. Sic potest esse levis intensitate et fieri gravis propter diuturnitatem. — b) Aliqua diuturnitas tentationis semper requiritur ad hoc ut gratia sit necessaria ad eam vincendam. Testimonia revelationis, quae gratiam exigunt ad vincendas tentationes graves, loquuntur de generali pugna adversus concupiscentiam, potiusquam de tentatione particulari vehementer ad malum sollicitante per breve dumtaxat tempus. — c) Vehementia tentationis oritur ex eo quod bonum sensibile prorsus respondens inclinationi appetitus vivide proponitur cognitioni. Porro aliis hominibus aliae sunt inclinationes. — Inde d) gravitas et

([1]) Cf. s. Th. Ia IIae, q. lxxx, a. 3.

levitas tentationis non tantum sunt absolutae sed etiam relativae. Sunt nempe tentationes quae graves, aliae quae leves sunt, pro qualibet voluntate. Sunt aliae tentationes quae aliis graves erunt, aliis contra leves, immo uni eidemque homini graves aut leves erunt pro diversitate adjunctorum in quibus versatur.

Victoria de tentatione. Superari potest tripliciter tentatio : a) *Vitiose* h. e. ex fine pravo, proinde per aliud peccatum. Ita avarus resistit tentationibus luxuriae et gulae propter amorem inordinatum pecuniae. Ita etiam heroes romani et graeci vitia vincebant inordinata cupiditate gloriae : de Junio Bruto, qui filios suos patriae amore immolasse videbatur, cecinit Virgilius : « Vicit amor patriae laudumque immensa cupido » (1). De vitiose vincentibus tentationes inquiebat s. Hieronymus : « Philosophi seculi solent amorem veterem amore novo quasi clavum clavo expellere » (2); et s. Augustinus scribit : « Nonnumquam apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quae putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, et quaedam sibi placendi altitudo ruinosa » (3). — b) *Honeste* h. e. ex quolibet motivo honesto, puta ex pulchritudine boni oppositi, ex turpitudine peccati, ex naturali timore poenae, ex amore Dei etc. — c) *Meritorie* seu victoria salutari quae nempe ad justitiam et ad salutem conducit. — Victoria meritoria a multis vocatur relata *ex amore Dei super omnia*. Patet tamen victoriam posse referri meritorie ex alio fine, puta ex metu gehennae, ex amore beatitudinis, ex motivo gratitudinis. Quare ista verba sumenda sunt modo largiori de omni actu qui ex se ducit ad caritatem, licet non sit ex motivo caritatis.

163. — Quaestio. Extra dubium ponitur tentationes etiam graves superari posse *vitiose* viribus naturae, licet operantes ex fine pravo vix appellari queant victores tentationis, cum nonnisi victi passione vincant aliam passionem. — Extra dubium etiam heic ponitur nullam victoriam *salutarem* referri nisi auxilio gratiae, cum adversus pelagianos probatum supponatur nullum actum esse salutarem nisi fiat ex gratia. — Itaque quaeritur a, an sine gratia tentationes graves ab homine lapso superari queant *honeste* seu ex fine quolibet honesto; b) an tentationes *leves* superari honeste possint sine auxilio gratiae. — Patet hominem graviter tentari posse contra legem leviter obligantem, haud secus ac contra legem graviter obligantem. Attamen non considerantur heic

(1) Virgil. *Aeneid.* vi. — (2) Hieron. *Epist.* cxxv *ad Rusticum.* — (3) Aug. *De civ. Dei,* l. XXI, c. xvi. M. XLI, 731.

nisi tentationes graves *adversus legem sub gravi obligantem.* — Haberi potentiam *physicam* vincendi tentationes graves, ostenditur eodem modo quo ostensum est legem naturalem posse physice servari diu quoad substantiam. Quare inquiritur *utrum detur potentia moralis.*

Sententiae. I[a] est Pelagianorum asserentium hominem physice et moraliter *posse sine gratia vincere omnem tentationem, etiam gravem.* — II[a] est Lutheranorum et Baianorum asserentium *nullam tentationem, etiam levem,* posse vinci sine auxilio gratiae.— III[a], mediam viam tenens, est communis doctoribus catholicis, asseritque auxilium speciale Dei esse quidem moraliter *necessarium ut vincantur tentationes graves,* non autem ut vincantur leves. Auxilium istud speciale Dei consistit aut in illuminatione et inspiratione, aut in eo quod removetur gravitas tentationis, aut quod Deus non permittit diabolum saevire quantum vellet, vel in aliis id genus auxiliis.

Observa. Inter theologos multos datur dissensio de nomine potius quam de re. Sunt nempe qui tentationis nomine audiunt solam tentationem *gravem,* adeoque universaliter asseverant nullam tentationem sine gratia superari posse. — Distinctio inter tentationes graves et leves potissimum est inducta a tempore quo intellectum est propositiones Baii fuisse damnatas non ob acre judicium sed ob doctrinam ipsis contentam (cfr. prob. 3[m], Denz. n. 910). — Attamen Vasquez, Berti, Gazzaniga et nonnulli contendunt nullam tentationem veram solis naturae viribus superari posse; putant propositionem 30[m] Baii fuisse damnatam ob acre judicium quod ea fertur de sententia opposita quae ab Ecclesia toleratur, vel in sensu auctoris qui sine gratia sanctificante nihil boni fieri posse dicebat (prop. 35).

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXIV[a]. — Homo lapsus est moraliter impotens vincendi ex motivo honesto tentationes graves. Attamen non indiget gratia ut vincat tentationes leves.

164. — PRIMA PARS. Gratia est moraliter necessaria ad honeste vincendum tentationes graves.

Prob. I[m] Arg. Ex Scripturis. Afferri solent:

A. Ex V. T. 1. Ex Psalmis a) Ps. xvii, 30: « In te eripiar a tentatione » (hebr. a praedantibus); b) Ps. xxix, 8: « Avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus »; c) Ps. xxiv, 15: « Oculi mei semper

ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos » ; d) Ps. CVII, 13 : « Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros » ; e) Ps. CXVII, 13 : « Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. » — 2. Ex Sapiente qui « scivi, ait, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det. » (VIII, 21).

B. Ex N. T. 1. Ex Matthaeo referente verba Christi qui in oratione dominica sic orare nos docuit : « et ne inducas in tentationem » et qui praecipiebat apostolis ut orarent ne intrarent in tentationem. — 2. Ex Paulo a) Rom. VII, 24 : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per J. C. » b) I Cor. X, 13 : « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere » ; c) Eph. VI, 11 : « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. »

Fatendum est inter ea testimonia dari nonnulla quae non agunt de tentationibus ad peccatum allicientibus, sed de tribulationibus et calamitatibus temporalibus. Fatendum etiam est alia per se posse intelligi de victoria salutari ; at permittunt ut intelligantur de qualibet victoria honesta. Porro Patres non raro invocant citatos textus ad comprobandam necessitatem gratiae ad omnem victoriam, ne tentationi succumbatur : Sic verba sapientiae quae proprie significant : « Scivi quoniam aliter *voti compos* esse non possem, nisi Deus det », uti constat ex contexta oratione, ab Augustino applicantur ad virtutem continentiae (1) ; ita etiam verba Christi apud Matthaeum saepissime applicantur omni tentationi gravi uti ex testimoniis Patrum citandis elucescet ; ita demum verba Pauli in I Cor. X, 13, afferuntur a Tridentino ad comprobandum clericos in sacris ordinibus constitutos et regulares posse cum Dei gratia servare continentiam (sess. XXIV, can. 9).

Argumentum palmare petitur ex verbis Pauli ad Rom. VII, 14-25, ubi asseritur veterem hominem venumdari sub peccato (concupiscentia), eum facere malum quod odit, in membris ipsius vigere legem repugnantem legi mentis eumque captivantem in lege peccati ; gratiam Dei esse per Jesum Christum quae sola valeat ipsum liberare de corpore mortis ejus. Luce clarius proponit haec pericopa impotentiam moralem hominis superandi honeste tentationem a concupiscentia ortam, siquidem affirmatur hisce tentationibus succumbi cum deest gratia.

(1) AUG. *Confess.* l. X, c. XXIX.

II^m Arg. Patres multis modis asserunt gratiam esse necessariam ut tentationes ex fine honesto vincantur.

1. Patres ita generaliter asserunt gratiam esse necessariam ad vincendas tentationes, ut ex modo loquendi omnino pateat eos loqui non tantum de victoria salutari, sed de qualibet victoria ex motivo honesto.

CHRYSOSTOMUS : « Quantumvis saepe philosophemus, quamvis omnium robustissimi simus, ac validissimi, si illius (Dei) absit auxilium, ne mediocri quidem poterimus tentationi resistere » (1). — « Sunt tentationes, quae ferri non possunt, et quaenam illae ? omnes, ut ita dicam; potestas enim in Dei nutu sita est. Quamobrem ut discas et videas, quod non solum illas, quae nostram superant potestatem, sed neque hasce humanas possimus sine illius auxilio facile ferre, subjunxit : « Sed faciet cum tentatione proventum ut possitis sustinere. » Neque enim illas moderatas, ut dixi, propria virtute feremus, sed in his quoque ejus indigemus auxilio ut eas pervadamus » (2).

ZOSIMUS : « Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non indigeamus auxilio? In omnibus igitur actionibus, causis, cogitationibus, motibus adjutor et protector orandus est ; superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura praesumat » (3).

CONCILIUM DIOSPOLITANUM : « Ut fateatur, quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, sed ex adjutorio Dei provenire victoriam ; non enim aliter verum est, quod Apostolus ait : « Non volentis, non currentis, sed miserentis est Dei » (4).

ARAUSICANUM, can. 14 dicit : « Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur. » (Denz. n. 157.)

TRIDENTINUM admonet fideles, « ut, qui se existimant stare, videant ne cadant, et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in jejuniis et castitate. Formidare enim debent.... de pugna quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt nisi cum Dei gratia ». Sess, VI, c. XIII.

2. Asserunt gratiam requiri ad hoc ut quis non vincatur tentatione. Atqui hoc est falsum, si tentatio potest vinci sine gratia ex motivo honesto. Ergo.

---

(1) CHRYSOST. *Hom. in paralyt.* n. 2. — (2) ID *Hom.* XXIV in I Cor. X, 13. — (3) ZOSIMUS, in *Tractat.* Denz. n. 93. — (4) DIOSPOLIT. inter orthodoxae doctrinae capita, quorum confessionem a Pelagio exegit.

Probatur major ex Caelestino P. I ad episcopos Galliae et ex *Innocentio P.* — Caelestinus, postquam scripsit « neminem, etiam gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei », refert verba Innocentii ad concilium Carthaginiense : « necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum *non adjuvante, vincamur* » (Denz. n. 90). — Probatur etiam auctoritate Ambrosii scribentis : « Quis est tam fortis ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus ei adjutor assistat » (1); demum auctoritate Augustini qui ait : « In hoc agone cum confligimus, Deum habemus spectatorem, in hoc agone cum laboramus, Deum poscimus adjutorem; si enim non ipse nos adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus » (2).

3. Asserunt Patres necesse esse ut quis oret ne intret in tentationem. Atqui hoc perinde est ac gratiam esse necessariam ad quamlibet victoriam ex fine honesto. Ergo.

Hieronymus in verba Christi : « Vigilate et orate ne intretis in tentationem, » contra pelagianos scribit : « Debuisset dicere juxta vos : Surgite, resistite, liberum enim habetis arbitrium, et semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio. Si enim hoc feceritis, non intrabitis in tentationem » (3).

Augustinus : « Miror quo corde (Pelagius) etiam sine adjutorio medicinae Salvatoris nostri nostrum putet esse non peccare, posse vero non peccare naturae esse contendat, quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc majoris sit vitii non videre... Fideles enim orantes dicunt : « Ne nos inferas in tentationem. » Si adest possibilitas, ut quid orant? Aut a quo malo se liberari orant, nisi de corpore mortis hujus?... de vitiis carnalibus, unde non liberatur homo sine gratia Salvatoris... Video aliam legem... (Rom. vii, 23). Ecce quod vitium naturae humanae inobedientia voluntatis inflixit! Orare sinatur, ut sanetur... Quid tantum de naturae possibilitate praesumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est : vera confessione, non falsa defensione opus habet » (4).

Conc. Carthag. « Ex sacrilegis Pelagianorum disputationibus necessario sequi, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem. »

4. Rationem impotentiae vincendi tentationes graves sumunt Patres ex concupiscentia et infirmitate naturae; haec vero infirmitas respicit

(1) Ambr. In ps. xliii, n. 71. — (2) Aug. *Sermo* clvi, al. xiii *de verbis Apostoli.* — (3) Hier. l. II, *contra Pelag.* — (4) Aug. *De nat. et gr.* c. xlviii, nn. 56, 62. M. XLIV, 274 sq.

victoriam omnem ex motivo honesto. Sic loquuntur praeter Caelestinum in epistola ad episcopos Galliae l. c. et concilium Diospolitanum l. c. et Tridentinum l. c., Cyprianus : « Quando oramus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat » (1).

165. — SECUNDA PARS. HOMO LAPSUS EST MORALITER POTENS VINCERE TENTATIONES LEVES.

Prob. I^m Arg. Petitur ex 30ª propositione Baii damnata a Pio P. V : « Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiae... conscendi posse docent; aut tentationi ulli, sine gratiae ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sicut in eam non inducatur aut ab ea non superetur » (Denz. 910). Unde sic : Si falsum est hominem lapsum nulli tentationi resistere posse sine gratia, ergo verum est eum alicui tentationi posse resistere sine gratia. Ergo sine gratia vinci potest tentatio levis.

Dices 1° cum Vasq., Berti : Damnata est propositio propter acre judicium quod tulit de sententia ab Ecclesia tolerata : « Ii fures sunt et latrones qui dicunt », non autem propter doctrinam ea contentam.

Resp. Mos Ecclesiae est damnare propositiones propter doctrinam, non vero ob injurias quibus aspergeretur sententia quae haberetur pro objective falsa. Quare tenendum est damnari doctrinam, nisi explicite contrarium affirmetur.

Dices 2°. Damnata est in sensu Baii, judicio cujus gratia sanctificans est necessaria ad omne opus bonum proindeque ad quamlibet victoriam de tentatione sive gravi sive levi (cfr. prop. 25 et 35).

Resp. In hac propositione affirmatur gratiam actualem exigi ad victoriam referendam de tentatione omni. Alibi complet Baius sententiam suam affirmando exigi statum justitiae seu Deum non dare gratiam actualem ad vincendas tentationes nisi justis, adeoque omnia opera peccatorum esse mala. Manifestum est damnari propositione illius quod in eadem clare affirmatur.

II^m Arg. Ex Augustino. In libro *de perfectione justitiae :* « In natura vitiata, ait, parum est ad non peccandum voluntatis arbitrium. » Ergo innuit Augustinus liberum arbitrium non nihil, licet parum, valere ad bonum, ad vincendas tentationes. Ergo sine gratia potest homo supe-

(1) CYPRIAN. *Tract. de orat. domin.*

rare tentationes leves. — In opere *de peccatorum meritis et remissione,* ut ostendat gratiam fidei christianae non rependi virtutibus moralibus et humanis, duos proponit infideles, unum qui vitam honestam agens praedicationem Evangelii non audit, et alterum, qui post vitam flagitiosam verbum salutis audit, suscipit, et per fidem justificatur. De priori autem ita loquitur : « Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia christiana non possit ? » (XXII, 31). Supponit ergo s. Doctor, etiam infidelem, a gratia alienum, aliquas tentationes superare posse.

Si ais : argumentum nimis probat, sequeretur enim gratiam non esse necessariam ad vincendas tentationes graves.

Resp. a) Augustinus ipse videtur restrinxisse assertum ad cultum virtutum quandiu non obstabant tentationes graves, dicendo priorem magna ex parte victorem fuisse libidinum. b) Augustinus alibi aperte vindicat necessitatem gratiae ad vincendas tentationes graves. Componitur locus modo citatus cum alibi dictis, si affirmatur in hoc loco agi de tentationibus levibus.

III^{m} Arg. Ex s. Thoma et s. Bonaventura. Hanc doctrinam proponit Angelicus in 2 d. 28, q. 1, art. 2, eamque in Summa, saltem aperte, non revocavit. Doctor Seraphicus dicit « quod liberum arbitrium omni gratia destitutum nec omni possit tentatione resistere, nec necesse habeat omni tentationi succumbere » (in 2 d. 28, q. 2, ad 3^{m}).

IV^{m} Arg. *Ratione theologica.* Homo lapsus potest physice et moraliter peragere quaedam opera moraliter bona. Atqui hoc infert ipsum posse vincere tentationes leves. Ergo.

Prob. min. Qui physice et moraliter potest efficere opus, illud potest efficere, levibus impedimentis positis. Atqui tentatio levis est leve impedimentum adversus opus moraliter bonum. Ergo.

Satisfit difficultatibus.

166. — CONTRA I^{m} PARTEM. Obj. 1°. Ex Gen. IV, 7 : « Sub te erit appetitus tuus ». Unde sic : Deus jubet ut appetitus subjiciatur homini. Atqui homo habet plene sub potestate sua id quod Deus lege sua jubet ei subjici. Ergo.

Resp. Deus nullatenus protoparentibus lapsis dixit eis concessum jam non iri gratias actuales. Contra intuitu meritorum Redemptoris,

illico post lapsum promissi, concessae sunt gratiae quibus homines appetitum sibi subjicere valerent. Quare *Dist. maj*. Deus jubet ut homo sibi subjiceret appetitum cum concursu gratiae saltem remote sufficientis, *Conc.;* sine hoc concursu, *Neg.* — *Conc. min.* — *Dist. cons.*

Obj. 2. Qui non resistit tentationi gravi, peccat lethaliter. Atqui ut detur peccatum mortale, exigitur ut adfuerit potentia moralis vincendi tentationem. Ergo haec numquam deest.

Respondent alii aliter a) *Conc. maj. Dist. min.* Nullum est peccatum nisi adfuerit potentia moralis ex viribus naturae sibi relictis, *Neg.;* ex viribus per gratiam collatis, *Conc.* — b) *Dist. min.* Exigitur ut non adfuerit impotentia moralis *antecedens, Conc.;* impotentia *consequens, Neg.* — c) *Neg. min.* Ut detur peccatum formale, sufficit ut adfuerit potentia physica illud vitandi. — Ex antea dictis elucescit praeplacere primam responsionem.

Obj. 3°. Homo habet potentiam moralem vincendi tentationes leves. Ergo potest acquirere facilitatem vincendi tentationes graves. — *Prob. conseq.* Quo plures actus ponit homo, eo perfectior evadit virtus naturalis ; quo perfectior evadit, eo majora valet superare obstacula. Ergo dum continuo vincit tentationes leves, tanta evadere valet virtus ut vincendis tentationibus gravibus jam sufficiat.

Resp. Contrarium constat revelatione. Quare vincendo tentationes leves aptior quidem evadit virtus et promptior ad vincendas tentationes ejusdem ordinis ; sed non eo devenit ut vincere valeat tentationes graves. Illud saepe professi sunt sancti, dum omnes victorias suas tribuebant auxilio gratiae, sine quo nullam se tentationem gravem posse superare affirmabant.

Obj. 4°. Nonnumquam gentiles actiones heroicas honestas obierunt cum contemptu vitae ; jamvero amore vitae vehementer sollicitabantur ut has actiones omitterent ; debellarunt itaque has graves tentationes. Atqui egerunt non raro ex fine honesto et sine auxilio gratiae. Ergo. — *Prob. min.* a) *Ex fine honesto.* Etenim α) non omnes virtutes infidelium sunt vitia. Ergo quare hae actiones fuissent omnes vitiosae ? β) Si vana gloria eos inducere potuit ad heroica facienda, quare honestas objecti non potuisset eos determinare ? — b) *Sine auxilio gratiae :* Gratis affirmaretur gratiam fuisse datam ad superandum metum mortis.

Respondent Wirceburgences huic difficultati victoriam vel vitiosam fuisse, vel per auxilium speciale evenisse. « Ita s. Augustinus in libro *de Paenitentia,* ex cujus c. XVII desumptus est concilii Arausicani canon 17 : « Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem

christianorum Dei caritas facit. » Hujus rationem s. Doctor ibidem dat his verbis : « Cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis : caritas autem Dei diffusa est in cordibus », etc. Demum ubi c. XXVI et XXVII posuisset schismaticum pro fide Christi perferentem supplicia, subjunxit : « Proinde sicut negandum non est, hoc etiam esse donum Dei : ita intelligendum est, alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem. » Denique c. XXVIII vocat illud donum, non haeredum, sed exhaeredatorum, illud comparans cum muneribus quae Abraham largitus est filiis concubinae » (1).

Ad prob. 1ae partis minoris respondetur : *Ad* α) : Eo quod vitiosa fuerit victoria de hujusmodi tentatione, non sequitur in facilioribus nullam actionem fuisse naturaliter honestam. *Ad* β) : « Disparitas est, aiunt Wirceb. l. c., quia motiva sensibilia, utpote praesentia, magis nota ac usurpata, et naturae corruptae magis blandientia ac practice proposita, fortius alliciunt, quam honesta ex diversa ratione velut speculative tantum proposita, ut in quotidianis mercatorum, militum aliorumque exemplis patet. »

Ad probationem 2ae partis minoris negatur gratis asseri : « Fundamentum enim, aiunt Wirceb., habemus ex auctoritate s. Augustini ex quo et discimus hoc auxilium, tametsi ordinis proprie supernaturalis non sit, communem tamen excedere naturae cursum, atque ad specialem providentiam pertinere. »

Obj. 5°. Haeretici interdum sive pro errore sive pro veritate mortui sunt. Metum mortis superarunt sine gratia cum pro errore obierunt mortem. Ergo eum superarunt sine gratia cum pro veritate mortui sunt.

Resp. Distinguitur haeriticus materialis et formalis. Prior nulla formidine pulsatur ne opinio sua sit haeretica ; posterior formidine pulsatur. — Nihil obstat quin haereticus materialis gratia adjuvetur ad superandam mortem etiam pro errore materiali, dum agat fine honesto. Si mors obitur pro veritate, uterque potest adjuvari gratia.

167. — CONTRA IIm PARTEM. Obj. 6°. Testimonia Patrum pro prima parte allata asserunt nullam tentationem vinci posse sine gratia ; immo non raro dicunt Patres vires humanas esse impares vincendae ulli tentationi.

Resp. 1. Tentatio simpliciter accepta solet dici de sola tentatione

(1) WIRCEBURG. *De gratia*, n. 319, p. 323.

gravi. Quare Patres non solent loqui nisi de necessitate gratiae ad vincendas tentationes graves. Ubi autem tentationem vocant levem, non absolute loquuntur, sed relate ad alias tentationes quae graviores sunt et difficiliores superatu. — 2. Tentatio levis non vincitur salutariter nisi ex auxilio gratiae. Quare si invenitur locus ubi tentatio absolute levis diceretur insuperabilis sine auxilio gratiae, id foret intelligendum de victoria salutari.

Obj. 7°. Jubemur orare et gratias agere pro victoria tentationum levium. Atqui hoc non fit, nisi supponatur victoriam superare vires morales. Ergo.

Resp. Jubemur orare ut victoria salutaris referatur et *facilius citiusque* referatur; deinde *ne succumbamus* tentationi levi; denique ne diuturnitate *fiat gravis*. Quare ex praecepto orandi concludi nequit sine gratia referri non posse victoriam honestam.

ARTICULUS III.

De fuga peccati venialis.

Ripalda, d. cxvii, s. 2; Molina, q. xiv, a. 13, d. xx; Suar., l. IX, c. viii.

§ 1. Status quaestionis.

168. — Si peccatum veniale inspicitur subjective, apparet dari duas species venialium : a) Alii enim actus venialiter peccaminosi sunt *actus morales perfecti,* ubi nempe datur tum plenus et deliberatus consensus, tum plena cognitio et advertentia ad malitiam. Vocari solent *deliberata.* Inter haec peccata, alia sunt venialia ex toto genere suo, alia ex imperfectione objectiva actus seu ex parvitate materiae, uti mendacium, injustitia, detractio. — b) Alia autem peccata venialia sunt *actus morales imperfecti,* ubi nempe aut consensus non est nisi semi plenus seu indeliberatus, aut cognitio est imperfecta. Vocari solent *subreptitia.*

Quemadmodum tentari potest homo graviter aut leviter adversus legem sub gravi obligantem; ita tentari potest graviter aut leviter adversus legem sub levi obligantem, adeoque ad peccandum venialiter. Ex modo dictis constat dari posse peccatum leve contra legem sub gravi obligantem, ubi nempe lex violatur actu morali imperfecto. — Postea ostendetur non deesse gratiam saltem remote sufficientem ad vincendas tentationes graves contra legem sub gravi obligantem. Admittitur insuper justis non deesse Dei gratiam ad vincendas tentationes graves adversus legem sub levi obligantem.

Porro quaeritur utrum homo, etiam justus, etiam instructus praefatis gratiis actualibus, *possit sine privilegio speciali vitare omnia peccata venialia,* adeoque vincere ita omnes tentationes contra legem obligantem sive sub levi sive sub gravi, ut ne subreptitia quidem peccata admittat.

169. — Sententiae : I^a^ est *catholicorum* qui quaestioni *negative* reponunt, non modo pro injustis, verum etiam pro justis.

Si quaeritur 1° *quaenam species* venialium diu vitari nequeat, reponunt a justo diu vitari non posse omne veniale *semideliberatum* seu actum venialiter peccaminosum qui sit moralis imperfectus.

Si quaeritur 2° *quaenam ex tentationibus* ad venialiter peccandum vinci nequeat, reponunt impotentiam afficere *directe* quidem *totam seriem* praeceptorum sub levi obligantium totamque seriem tentationum, *indirecte* autem aliquod praeceptum et aliquam tentationem *indeterminate;* concedunt autem praecepta distributive sumpta posse servari et tentationes vinci.

Si quaeritur 3° *quodnam temporis spatium* censendum sit esse longum, reponunt illud certo definiri non posse, quia pendet a variis circumstantiis, puta ex complexione et dispositione hominis, ex consuetudine, ex vitae statu et similibus (1).

Si quaeritur 4° utrum affirmetur adesse impotentia *physica* an *moralis,* utrum moralis *antecedens* an *consequens,* reponunt paucos theologos asseruisse impotentiam *physicam,* communissimam sententiam esse contentam impotentia *morali;* disputari tamen utrum sit antecedens an consequens, a Suarezio dici *impotentiam simpliciter,* non quasi excluderet potentiam physicam, sed quia numquam oppositum conjungitur cum ea. — Porro non est cur deseratur modus loquendi hactenus adhibitus. Affirmari itaque potest Deum per scientiam simplicis intelligentiae ita fuisse moraliter certum sine privilegio speciali vitatum diu non iri peccatum veniale omne, ut viderit contrarium vix aut ne vix quidem esse possibile, proindeque certitudinem moralem proxime accessisse ad absolutam certitudinem.

Si quaeritur 5° quaenam sit *radix* istius impotentiae moralis, respondebitur argumentis rationis.

Si quaeritur 6° *in quonam consistat speciale illud privilegium,* reponunt illud consistere in aliquo dono Dei distincto a gratia sanctificante et a donis quae ad eam consequuntur tamquam connaturaliter ei debita. Quod colligitur quia justus ipse asseritur a Tridentino indigere speciali

(1) Cfr. Suarez. *De gr.* l. IX, c. VIII, n. 29.

privilegio ; supponitur ergo instructus de facto gratia et de jure donis connaturalibus gratiae. — Porro distinguitur triplex speciale privilegium a justitia distinctum : *Primum* reponitur *in dono perseverantiae* finalis, de quo antea actum jam est. Dicitur esse *secundum* legem, quia datur *secundum legem ordinariam,* ex decentia prudentissima providentiae divinae postulantis ut nonnulli viatores usque in finem perseverent. — *Secundum* reponitur *in confirmatione gratiae* qua homini ita assistitur serie continuata auxiliorum efficacium, ut numquam e statu gratiae decidat. Dicitur esse *supra legem* quia neque contra legem est, neque secundum legem. Patet privilegium de vitando omni veniali non esse primi, nec secundi ordinis.—*Tertium* a Suarezio reponitur in conceptione immaculata, vi cujus non modo a primo instanti conceptionis infusa est gratia, sed insuper ablata est concupiscentia. Ex hoc privilegio consequitur exemptio a peccato veniali. Dicitur *contra legem* ordinariam Dei, quia scilicet eo non sunt gravisi nisi B. V. M. et Christus Jesus (1).

Ne praeoccupetur quaestio an soli B. V. M. collatum fuerit id privilegium, dici potest privilegium eximens ab omni peccato veniali consistere *in sanatione concupiscentiae.* Fomes autem sanatur vel ablatione ipsius vel serie auxiliorum efficacium continuatorum. — Ceterum in thesi sequenti praescinditur a natura privilegii et tantum defenditur praeter gratias actuales, quibus vincuntur tentationes graves ad lethalia, praeter gratias actuales quae a Deo conceduntur liberaliter ad vincendas quaslibet tentationes sive graves sine leves contra legem obligantem sive sub levi sive sub gravi, exigi speciale privilegium ut per longum tempus vitetur peccatum veniale tum deliberatum tum subreptitium.

De fide definita est ex Trid. sess. VI, can. 23, neminem sine speciali privilegio posse vitare *per totam vitam* omnia venialia. *Theologice certum* est ea non posse vitari omnia *per longum temporis spatium.*

II^a sententia est *Pelagianorum* propugnantium *absolutam hominis impeccantiam* adeoque asserentium hominem per solas naturae vires posse consequi omnem perfectionem et vitare omnia peccata etiam venialia, per peccata autem intelligebant non modo mortalia et venialia sive deliberata sive subreptitia, sed etiam peccata mere materialia motusque indeliberatos voluntatis.

III^a sententia est *Beguardorum* et *Beguinarum,* asserentium hominem posse cum auxiliis Dei ordinariis pervenire ad perfectionem talem *ut*

(1) Suarez, l. c., n. 11.

jam non possit peccare, ne venialiter quidem. — Joviniani idem dicebant de homine omni semel justificato.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXV[a]. — Nullus homo, etiam justus aut sanctus, potest per longum temporis spatium vitare omne peccatum veniale, nisi speciali Dei privilegio fuerit donatus.

170.— Prob. I[m] Arg. Petitur ex Conciliis. 1. Ex *Tridentino.* In sessione VI, canone 23, dicitur : « Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio... A. S. » — In eadem sessione capite XI dicitur : « Sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant... » Unde dupliciter arguitur : a) Fide certum est justum non posse sine speciali privilegio transire totam vitam sine peccato veniali. Ergo nullum longum tempus sine veniali transire potest. Patet consequentia quia, si privilegio non indiget ut longum tempus, v. g. plures annos, sine ullo veniali transeat, quare privilegio opus est ut 20 aut 30 annos transeat, aut totam vitam ? Si semel longum tempus transit sine peccato, multo facilius evadit tempora sequentia sic transigere. — b) Concilium affirmat justos, immo sanctos, cadere in levia, quae vocantur quotidiana quia saepissime accidunt. Ergo censet justos nullum longum tempus posse transire sine peccato.

2. *Ex Milevitano.* Patres Milevitani postquam definiverunt omnes homines infici P. O. (can. 2), omnibus necessariam esse gratiam actualem ad salutariter operandum (can. 3, 4, 5), ostendunt in canonibus 6, 7, 9, non modo peccatores sed etiam justos et sanctos committere peccata actualia, ideoque decipi eos qui dicunt se peccata non habere, necessariam esse pro singulis petitionem « dimitte nobis debita nostra. » Illud autem probant verbis Jacobi III, 2, I Joh. 1, 8, etc. (Cf. Denz. n. 70 sq.)

II[m] Arg. Ex testimoniis Scripturae, quae afferuntur a Milevitano (can. 6, 7, 8), et ab Augustino, ut substant interpretationi Patrum :

A. Ex V. L. 1. Ps. XXXI, 5 sq. « Dixi : confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. » Ex his verbis con-

cludit Augustinus ([1]) etiam sanctos faedari peccato ; sed non faedantur lethali ; ergo veniali. Jamvero si moraliter esset possibile ut omne veniale vitaretur, profecto sancti id vitarent. Ergo. — Patres Milevitani (can. 7) eodem modo intelligunt Ps. CXLII, 2 : « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. » — 2. Prov. XXIV, 16 : « Septies cadet justus » quem locum Augustinus de lapsu in tribulationes, alii de lapsu in peccata venialia intelligunt in quae etiam justus septies i. e. saepe, cadet. Patres provocant etiam ad Prov. XVIII, 17 : « Justus prior accusator est sui. » — 3. Eccles. VII, 21 : « Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet. » Patres Milevitani, in canone 7, ad ea provocant. Adhuc provocant ad Job : « In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam » et ad Danielem dicentem : « peccavimus, iniquitatem fecimus. »

B. Ex N. L. 1. Apud Matth. VI, 12, Christus praecipit ut omnes orent « dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debita (ὀφειλήματα) nostra. » Unde sic : Omnes habent debita adeoque peccata. Atqui non omnes habent lethalia. Ergo saltem levia. Atqui si moraliter esset possibile vitare omnia venialia sine speciali Dei privilegio, multi non faedarentur venialibus. Ergo. — Confirmatur ex Milevitano in canone 7 et ex Augustino : « Nec quisquam eorum (justorum) sane arroganter insanit, ut non sibi pro suis qualibuscumque peccatis dominica oratione opus esse arbitretur ([2]). »

2. In I Joh. 1, 8 legitur : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est, » quem locum saepe Augustinus Pelagianis opposuit ; ex eo concludit nullum esse sanctum qui se non sentiat venialibus saltem gravatum ([3]). Et cum Pelagiani dicerent sanctos ex modestia, tantum et humilitate se peccatores profiteri, reposuit s. Augustinus contrarium ab Apostolo affirmari ([4]).

([1]) AUGUST. « Secunda quaestio, *an sit aliquis homo sine peccato in hoc vita.* Si autem quod secundo loco posueram, quaeratur istrum sit, *esse non credo*. Magis enim credo Scripturae dicenti : « Ne intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. » (Ps. CXLII, 2)... « Pro hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. » (Ps. XXXI, 5, 6) .. Non ergo omnis peccator, sed omnis sanctus ; vox enim sanctorum est, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. » *De pecc. mer. et demerit.* l. II, c. VII, n. 8. M. XLIV, 156.

([2]) ID. Op. cit. c. XIII, n. 18.

([3]) ID. « Hac ergo virgine excepta, si omnes illos sanctos, et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato.... nonne una voce clamassent : Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. » *De nat. et gr.* c. XXXVI, n. 43. M. XLIV, 268.

([4]) ID. « Propterea enim addidit : « et veritas in nobis non est »... ac manifeste ostendit... hoc omnino verum non esse, si dixerimus quia peccatum non habemus ; ne humi-

Ad eadem et seq. verba Johannis provocat Milevitanum in canone 6.

3. Jac. III, 2 : « In multis offendimus omnes : » Sic Patres Milevitani can. 7.

III^m Arg. Ex Patribus. 1. Augustinus affirmat omnes justos, omnesque sanctos, excepta Beata Virgine, gravari peccatis venialibus : « Sic itaque omnes quicumque in hac vita divinarum Scripturarum testimoniis in bona voluntate atque actibus justitiae praedicati sunt, et quicumque tales vel post eos fuerunt, quamvis non iisdem testimoniis praedicati atque laudati, vel nunc usque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt..., omnes justi, omnes veraciter laudabiles sunt, sed sine aliquo peccato non sunt; quoniam Scripturarum testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, non justificari in conspectu Dei omnem viventem, ideo rogari ne intret in judicium cum servis suis et non tantum universaliter fidelibus omnibus, verum etiam singulis esse orationem dominicam necessariam, quam tradidit discipulis suis (1). » — « Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim quantalibet pelagiani, quia haec dicimus, adversus nos inflentur et disrumpantur insania; non quia aliquid peccati remanet, quod in baptismate non remittatur, sed quia a nobis in hujus vitae infirmitate manentibus quotidie fieri non quiescunt, quae fideliter orantibus et misericorditer operantibus quotidie remittantur. Haec est fidei catholicae sanitas, quam sanctus ubique seminat Spiritus, non pravitatis haereticae vanitas et praesumptio spiritus (2). »

Hanc doctrinam defendit Augustinus in multis scriptis adversus Pelagianos. Citentur adhuc verba quibus solvit objectionem Pelagii : « Si omnes homines peccant, etiam justi cum peccatis ex hac vita abeunt. » Sic respondet Augustinus : « Ubi parum attendit, cum sit acutissimus, non frustra etiam justos in oratione dicere : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » Dominumque Christum, cum eamdem orationem dicendo explicuisset, veracissime subdidisse : « Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis Pater vester peccata vestra » (Matth. VI, 14). Per hoc enim quotidianum spirituale quodammodo incensum, quod ante Deum

---

litas constituta in parte falsitatis perdat praemium veritatis » Ib. c. XXXIV, n. 38. M. XXXXIV, 266.

(1) Aug. *De pecc. mer. et remiss.* l. II, c. XIV, n. 21. M. XLIV, 164.

(2) Id. *Contra duas epist. Pelag.*, l. I, c. XIV, n. 28. M. XLIV, 563.

in altare cordis, quod sursum habere admonemur, infertur, etiamsi hic non vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde venia deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur » (1).

2. S. HIERONYMUS asserit necesse esse subjacere peccato et rationem dat quia voluntas est fragilis et mutationi obnoxia ; affirmat solum Deum et J. C. insigniri impeccantia, in hominis autem potestate non esse ut vitet omne omnino peccatum: « Quamdiu ille finis adveniat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, necesse est nos subjacere peccato, non naturae et conditionis, ut tu calumniaris, vitio, sed fragilitate et mutatione voluntatis humanae, quae per momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis (2). » — « Hoc est, quod tibi a principio dixeram, in nostra esse positum potestate vel peccare vel non peccare, et vel ad bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium : sed hoc pro modo, et tempore, et conditione fragilitatis humanae : perpetuitatem autem impeccantiae soli reservare Deo, et ei, qui Verbum caro factum carnis detrimenta et peccata non pertulit. Nec quia ad breve possum, coges me ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire ; numquid in perpetuum (3) ? »

IV^m Arg. Ratione. 1. Propter concupiscentiam motus indeliberati praeveniunt rationem et alliciunt voluntatem in sensibilia vetita. Exinde nascitur necessitas pugnae continuae. Porro in hac pugna, ut vitetur peccatum subreptitium, seu ut vitetur omnis consensus etiam semi plenus, necesse est ut promptissime se avertat voluntas quoties pondere concupiscentiae inclinatur in vetita. Atqui moraliter impossibile est ut, durante longo tempore, voluntas se promptissime avertat, quoties concupiscentia eam inclinat in vetitum. Ergo. — *Prob. min.* Ut voluntati esset potentia moralis se promptissime avertendi ab omni vetito, quoties per concupiscentiam inclinatur in illud, deberet ei inesse aversio habitualis a vetitis, siquidem in repentinis operamur secundum habitum praeexsistentem. Atqui deest aversio habitualis, etiam in justis et in sanctis, siquidem concupiscentia remanet in iis, nisi speciali privilegio auferatur. Cfr. s. Th. I^a, II^ae q. CIX, a. 8.

2. Rationem impotentiae tradit Ripalda : « Impotentia moralis vitandi venialia intra decem dies conjuncta potentiae physicae, non

(1) AUGUST. *De natura et gratia*, c. XXXV, n. 41. M. XLIV, 267.
(2) HIERON. *Cont. Pelag.* l. II.
(3) *Ib.* l. III.

est aliud quam difficultas vitandi superabilis viribus voluntatis (vel voluntatis adjutae ordinariis gratiae auxiliis), numquam tamen reipsa superanda, — sive infallibilitas peccandi intra dictum temporis spatium. Quae infallibilitas et impotentia includit duo : Alterum antecedens, alterum consequens. Antecedens est ipsa difficultas immunitatis peccandi ; quae coalescit ex pluribus : tum ex remissione rationis ad bonum honestum ; tum ex nimia propensione appetitus in bonum delectabile ; tum ex frequentia occasionum delinquendi venialiter ; tum ex inconstantia nativa voluntatis indifferentis, quae potens varie operari, nequit facile eumdem tenorem operandi servare in iis, quae ipsius inclinationi adversantur. Consequens est eventus conditionatus, quo Deus certus sit numquam voluntatem sic, aut praeventam (ordinariis auxiliis), immunem a peccato servandam. Itaque sola difficultas antecedens non est simpliciter impotentia moralis, donec eventui conditionato adjungatur ; quia ipsa secundum se non est cum eventu conjuncta, nec absque experientia voluntatis infallibilitatem constituit : licet secundum quid impotentia moralis dici queat : quia conjecturam facit secundum se talis eventus... Quod est in causa, quare impotentia moralis possit simpliciter cum libertate et potestate physica componi ; quia simpliciter constituitur ex ipso eventu consequenti voluntatis ([1]). »

171. — **Scholion I^m^.** *De exemptione B. M. V. ab impotentia morali vitandi per integram vitam suam omne peccatum veniale.* Teste Tridentino (sess. VI^a^ can. 23) fides Ecclesiae est B. V. fuisse exemptam a lege communi ; ex his verbis sequi videtur istud Mariae privilegium esse dogma catholicum. — Patet B. V. Mariae adfuisse potentiam physicam peccandi tum lethaliter tum venialiter. Impeccabilitas enim physica est propria naturae divinae et naturae humanae Christi propter unionem hypostaticam. Attamen ob *abundantiam gratiarum, defectum concupiscentiae, perfectam voluntatis rectitudinem*, moraliter impossibile fuit divae Virgini *ullum peccatum admittere.*

Beatam Virginem fuisse immunem ab omni peccato veniali luculenter testantur a) Petrus Damianus qui rationem dat quia Maria erat plena gratia ([2]) ; b) s. Augustinus qui rationem petit ex maternitate

([1]) Ripalda, *De ente*, d. cxvii, n. 18.

([2]) Petrus Damianus: « Quid sanctitatis, quid justitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potest, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit ? Sic namque ab angelo, dum salutaretur, audivit : « Ave gratia plena, Dominus tecum. » Quod, rogo, vitium in ejus mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum, quae ad instar caeli, plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium. » *Hom. in Nativ. B. M. V.*

divina ([1]) ; c) s. Ildephonsus in sermone de assumptione Deiparae ; d) s. Bernardus ([2]) ; e) s. Th. qui varias rationes theologicas adducit ([3]).

Attamen nonnulli ex veteribus hac in re aberrarunt. Nonnulli Mariam de fidei defectu accusant, cum ex Angelo, conceptionem Christi annuntiante, quaesivit : quomodo fiet istud ? S. Chrysostomus putat eam ex vanae gloriae cupidine miraculum in Cana Galilaeae petiisse, et apud Matth. XII, 47 se coram populo ut matrem Christi ostentasse. Tertullianus, Origenes, s. Basilius et s. Cyrillus Alexandrinus autumant, Mariam tempore passionis Christi in fide titubasse, atque ideo ipsi praedictum fuisse : « Tuam animam pertransibit gladius. » Profecto hi Patres sunt deserendi, cum a communi Ecclesiae doctrina hac in parte recesserint, nec aliunde ullo legitimo nitantur fundamento.

Scholion II^{m}. Quaeres num istud privilegium fuerit concessum alii sancto praeter B. V. M. ?

Resp. 1. Probabile est non paucos viros perfectos per longum vitae tempus abstinuisse ab omni peccato veniali *deliberato*. Revera cum in Scripturis laudantur justi nonnulli quod sine querela in via mandatorum Dei incesserint et ab omni peccato abstinuerint, saepe intelligenda sunt verba ista vel de vita recta in comparatione aliorum, variis vitiis deditorum, vel de immunitate a peccatis mortalibus, vel de perfectione hominum ordinaria, quae licet altiorem gradum ascendere possit, ab omni tamen veniali peccato immunis semper esse nequit ([4]). Attamen in N. L., ubi abundantior fuit Dei gratia, eo progressi fuerunt sancti

---

([1]) AUGUST.: «Excepta s. Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. » *De nat. et gr.* c. XXXVI, n. 42. M. XXXXIV, 267.

([2]) BERNARDUS : « Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem ; quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum, singularis privilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quae dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitae et justitiae omnibus obtineret. » *Epist.* CLXXIV *ad Canon. Lugdun.*

([3]) S. THOMAS : « Beata virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei ; et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit, secundum quod Angelus ad eam dicit : « Invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies » etc. Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando ; tum quia honor parentum redundat in prolem.... tum etiam quia singularem habuit affinitatem ad Christum, qui ab ea carnem accepit... tum etiam quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. I : « In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. » Et ideo simpliciter fatendum est quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. IV : « Tota pulchra es, et macula non est in te. » III, q. XXVII, art. 4.

([4]) Cfr. AUG. *De pecc. mer. et remiss.* l. II, cc. VI-XXVIII.

non adeo pauci, ut vitasse videantur per multos annos omne peccatum deliberatum.

2. Si agitur de peccatis *subreptitiis,* et si quaestio restringitur ad determinatam materiam, puta ad rem castitatis, non improbabile est nonnullos sanctos per longum vitae tempus abstinuisse ab omni levissimo peccato. Sic non pauci doctores existimant B. Joseph post matrimonium, propter decentiam Virginis et alias congruentias, nullum jam habuisse concupiscentiae motum.

3. Si quaestio de exemptione a peccato subreptitio extenditur ad omnem materiam, duae dantur sententiae : a) S. Augustinus non absolute negare audet quosdam per speciale gratiae extraordinariae auxilium ab omni peccato immunes mansisse ([1]). Quinam vero sint, id non dicit. Sunt qui illud privilegium extenderint ad omnes eos qui in utero materno fuerunt sanctificati. — b) Contra communis sententia vult istud privilegium fuisse datum soli Beatae Virgini inter puros homines. Sic s. Bernardus et s. Augustinus ll. cc. Rationem potissimam esse dicit Suarez « quia hoc privilegium est contra generalem legem, seu est exceptio ab universalibus locutionibus Scripturae ; ergo non potest admitti sine ejusdem Scripturae, vel Ecclesiae, aut Patrum auctoritate, quae fere nulla est circa reliquos omnes extra Virginem. Solum de Johanne Baptista pauci hoc significant, et ideo ita de illo affirmare temerarium non est, quamvis sit minus probabile : de quocumque vero alio id certe dici non potest cum probabilitate. »

Satisfit difficultatibus.

172. — **Obj.** 1°. Ex I Joh. III, 9 : « Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit ; quoniam semen ipsius in eo manet et non potest peccare ; quoniam ex Deo natus est. » Atqui multi sunt ex Deo nati. Ergo multi sunt qui nullum admittunt peccatum. Ergo.

Resp. 1. Ipse Johannes in epistola eadem dicit : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est » (I, 8). Profecto non asserit contrarium in capite III°.

2. Duplex interpretatio hujus loci tradi potest : a) v. 8. dixerat Joh. : « qui facit peccatum, ex diabolo est, » pergit dicendo : « qui natus est

([1]) Aug. « Si, excepto illo capite nostro..., asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines justi sine peccato.... non nimis existimo reluctandum. Scio enim quibusdam esse visum, quorum de hac re sententiam non audeo reprehendere, quamquam nec defendere valeam. » *De perf. justitiae*, c. XXI, n. 44. M. XXXXIV, 316.

ex Deo, peccatum non facit. » Docet itaque peccatum non esse ex Deo seu non fieri, instigante Deo, sed esse a diabolo seu fieri, instigante diabolo ; gratiam, quae est a Deo, excludere peccatum ab eo qui gratia se regi permittit. — Eo ferme sensu interpretatur praefatum locum Augustinus dicens « cum ergo peccat homo, non secundum caritatem. » [1] Inde *Dist. maj.* Natus ex Deo *formaliter* sumptus, seu *qua natus* ex Deo, non facit peccatum, *Conc.;* natus ex Deo non facit peccatum, *materialiter* sumptus non facit peccatum, *Neg.* aut *Subd.* non facit peccatum *veniale*, *Neg.;* mortale, *Subd.* non facit peccatum, quo commisso, servaret gratiam seu maneret filius Dei, *Conc.;* quo patrato, amittit gratiam, *Neg.* — b) Sensus potest esse : Qui est filius Dei et satagit manere Deo fidelis, vitat peccatum mortale ; virtus enim Dei in ipso manens efficit ut nolit admittere peccatum.

Obj. 2°. Quod jubemur petere a Deo, est possibile, adjuvante quidem Dei gratia, at sine speciali privilegio. Atqui jubemur petere ut abstineamus semper ab omni veniali. Ergo. *Prob. min.* Jubemur rogare Deum ut fiat voluntas ipsius in caelo et in terra. Atqui non fit hoc modo, nisi abstineatur semper ab omni peccato. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Jubemur abstinere semper ab omni veniali *deliberato*, *Conc.; subreptitio*, *Neg.* — Ad prob. *Dist. maj.* Jubemur rogare ut voluntas Dei fiat in terra sicut in caelo, h. e. *eadem perfectione*, *Neg.;* ut adimpleatur, licet minus perfecte, *Conc.* — *Cdt. min.*

Obj. 3°. Eo quod homo esset moraliter impotens vitandi omne peccatum, consequens esset respectu peccati ejusdem habitam fuisse potentiam moralem et impotentiam moralem illud vitandi. Atqui hoc est absurdum. Ergo. — *Prob. maj. Daretur potentia moralis* : secus non committitur peccatum formale veri nominis ; jamvero supponitur peccatum formale. — *Non daretur :* siquidem supponitur potentiam moralem vitandi omnia venialia esse speciale privilegium.

Resp. Si singula peccata *determinate* considerantur, de singulis dicendum est ea potuisse physice et moraliter vitari, adeoque ea esse peccata formalia. Verum ob infirmitatem voluntatis, concupiscentiam, multiplicitatem occasionum peccandi, moraliter certum est fore ut potentia moralis vitandi singula peccata non sit transitura ad actum respectu unius alteriusve peccati *indeterminate* sumpti, si tantum conferuntur gratiae communes ; quare ob eadem motiva datur impotentia moralis vitandi omnia peccata venialia collective sumpta, adeoque mora-

[1] Aug. *De gratia Christi*, l. I c. xxi. M. XXXXIV, 370 sq.

liter necessarium est privilegium speciale ut potentia moralis circa singula transeat semper ad actum. — Inde 1° *Neg. maj.* Ad prob. *Conc* 1ª *pars; negatur* 2ª *pars;* ad rationem additam respondetur *distinguendo* : Supponitur potentiam moralem vitandi per longum tempus omnia peccata *collective* sumpta esse privilegium Dei, *Conc.;* omnia peccata *distributive* sumpta, *Neg.* — 2° *Dist. maj.* Consequens foret respectu ejusdem peccati habitam fuisse potentiam moralem *antecedentem* et *impotentiam consequentem, Conc.; potentiam antecedentem* et *impotentiam antecedentem*, *Neg.* Ad. probationen respondetur eodem modo.

Eadem objectio etiam sic proponitur: Non opus est privilegio speciali, ubi adest potentia moralis ex gratiis communibus. Atqui datur potentia moralis vitandi omnia venialia, ope gratiarum communium. — *Prob. min.* a) Datur potentia moralis vitandi *singula* peccata venialia. Atqui a sensu distributivo ad sensum collectivum valet illatio. Ergo. — b) Supponitur peccata esse formalia. Atqui non sunt talia, nisi detur potentia moralis ea vitandi. Ergo. - *Respondetur* 1° *Conc. maj. Dist. min.* Datur potentia vitandi omnia quae determinarentur, *Conc.;* ita ut unum *indeterminate* non sit excipiendum. *Neg.* — Ad 1ᵐ probat. *Conc. maj. Dist. min.* Valet illatio, ubi agitur de entibus necessario agentibus, *Conc.;* de liberis, *Subd. per se* loquendo, *Conc.; per accidens* non potest deesse ob rationes datas, *Neg.* — Ad 2ᵐ probat. *Conc. maj. Dist. min.* Non sunt formalia peccata, nisi detur potentia vitandi singula *determinate*, *Conc.;* etiam *indeterminate*, *Neg.* — 2° *Dist. maj.* Ubi adest potentia tantum *antecedens, Neg.;* etiam *consequens*, *Conc. Cdt. min.* — Ad 1ᵐ probationem *distinguitur* : Datur potentia ad singula *determinate* vitanda, *Conc.;* datur ita potentia ut unum, *indeterminatum* tamen, non sit excipiendum, *Subd.* datur potentia moralis *antecedens, Conc.; consequens*, *Neg.* — Ad 2ᵐ prob. *Conc. maj. Dist. min.* eod. modo.

Obj. 4°. Justus potest sine speciali privilegio abstinere ab omni veniali peccato per aliquod tempus. Ergo potest per longum tempus. — *Prob. conseq.* Secus dicendum est vires voluntatis non tantum non crescere per victorias reportatas adversus tentationes, sed adhuc minuere. Atqui hoc est evidenter falsum.

Resp. Quo plures quis victorias retulit eo validiores habet vires, eoque majorem facilitatem vincendi tentationes, quotiescumque attente eas considerat, adeoque eo majorem habet facilitatem *vitandi peccata venialia deliberata*. Deinde eo majorem etiam acquirit facilitatem invigilandi in motibus cordis, adeoque *munuendi peccata subreptitia*. Attamen, cum remaneat concupiscentia, tot sunt occasiones peccandi venialiter,

tanta requiritur invigilantia, ut semper maneat moraliter impossibile per longum tempus vitarei absolute omnem lapsum. Quare *Conc. ant. Neg. conseq.* Ad probat. *Dist. maj.* Hoc foret dicendum si *radix* impotentiae per victorias iteratas auferretur, si non adessent *numerosae occasiones* lapsuum, *Conc.* ; si radix semper manet et si occasiones sunt innumerae, *Neg.* — *Conc. min.*

Obj. 5°. Si opus esset privilegio speciali ad vitanda per longum tempus omnia venialia, illicitum esset se voto astringere ad ea vitanda totius vitae decursu. Atqui non pauci sancti viri ediderunt illud votum. Ergo.

Resp. a) Graviores theologi censent invalidum esse votum vitandi peccata venialia subreptitia ; rationem dant quia non fit valide votum de re moraliter impossibili. — b) Alii tamen theologi censent validum esse istud votum, quia est de re perfectiori et quia per invigilantiam in motibus cordis vitari possunt quamplurima peccata subreptitia. At hi imponunt voto aliam limitationem, qua posita, nullatenus sequitur moraliter possibile esse, sine speciali privilegio, omnia venialia vitare ; volunt nempe fieri votum de eis subreptitiis vitandis, ad quae vitanda datur potentia, tum physica, tum moralis. Quare *Dist. maj.* Illicitum esset se astringere voto ad vitanda omnia venialia *deliberata* et subreptitia quae *moraliter* vitari possunt, *Neg.* ; quae tantum *physice* vitari possunt, *Conc.* — *Cdt. min.*

ARTICULUS IV.

De potentia ad actus moraliter bonos.

§ 1. Status quaestionis.

173. — Notiones. Ut opus sit moraliter bonum, requiritur et sufficit a) ut objectum, quod est volitum, sit bonum, h. e. ut ejus prosecutio, effectio aut usus non sint ex se vetita lege divina, adeoque b) ut finis operis (bonum nempe quod opus ex natura sua procurat), sit conformis normae morum, proindeque referibilis ad Deum ; c) ut finis operantis non sit malus, h. e. ut opus ex intentione operantis non dirigatur in finem pravum ; d) ut opus hic et nunc ob adjuncta nulla de causa sit prohibitum.

Opus refertur ad Deum vel actualiter et formaliter, vel virtualiter : *actualiter*, inquam, cum finis ultimus operantis est ipse Deus de quo cogitatur actu ; *virtualiter*, cum quis actu non cogitat de Deo, sed agit ob alium finem quem honeste prosequi potest. Talis enim actio quasi

suo pondere in Deum, ceu finem ultimum, refertur; ratio est quia omne bonum tum ex se, tum ex generali agentis intentione ad eum refertur a quo tamquam a fonte et principio omnis boni profluit.

Quaestio. Quaeritur utrum homo solis naturae viribus valeat elicere aliquod opus moraliter bonum ; sive enucleatius quaeritur : a) utrum gratia sanctificans sit necessaria, adeoque utrum *omnia opera peccatorum sint peccata ?* — Quaeritur b) utrum fides sit necessaria ad hoc ut fiat opus moraliter bonum, proindeque utrum *omnia opera infidelium sint peccata ?* — Quaeritur c) utrum gratia actualis sit necessaria, sive physice sive moraliter, adeo ut *liberum arbitrium gratia destitutum non valeat nisi ad peccatum ?*

174. — Sententiae. I^a^ est Wicleff, Huss, Lutheri, Calvini, Baii, Jansenii, Quesnellii, Synodi Pistoriensis. Complectitur partem negativam et partem affirmativam : a) Negant hominem solis naturae viribus posse efficere ullum opus moraliter bonum. b) Affirmant requiri non gratiam qualemcumque, sed *justitiam et fidem*, adeoque omnia opera infidelium esse peccaminosa.

EXPLICATUR. A. *Sententia Novatorum :* Per peccatum originale natura humana est intrinsecus et substantialiter vitiata ; quare physice impossible est ut opera intrinsecus bona fiant a natura sibi relicta, sed omnia ejus opera, etiam motus indeliberati voluntatis, ita novatores, sunt mala et peccata ; immo non tantum sunt peccata materialia sed formalia, siquidem ad rationem formalis peccati non exigitur libertas a necessitate quae in homine lapso est nulla, sed sufficit libertas a coactione. — Datur gratia physice necessitans ad fidem, eamque solam : sola enim fides est actus bonus et salutaris, solaque justificat. Justificat autem non quidem intrinsecus, infusa qualitate qua renovatur homo, verum extrinsecus, homini imputata justitia Christi. — Quamobrem, fide et justitia accepta, opera bona remanent impossibilia, adeoque opera omnia a voluntate procedentia sive deliberate sive indeliberate remanent intrinsecus peccaminosa, siquidem natura manet intrinsecus vitiata neque ulla datur a Deo gratia ad opera bona. Attamen opera mala justorum non imputantur iis in demeritum aut poenam ob justitiam et fidem Christi. Quapropter exigitur fides et justitia ad hoc ut actiones voluntatis sint extrinsecus honestae seu ut non imputentur a Deo in peccatum formale.

B. *Sententia Jansenii.* Natura humana sic est constituta ut ab intrinseco necessitetur ad sequendam majorem sollicitationem voluntatis ; quare elicit necessario actum bonum aut actum peccaminosum prouti

magis sollicitatur ad bonum aut ad malum ; ad meritum enim et ad demeritum, ad actum formaliter bonum aut malum, non exigitur immunitas a necessitate intrinseca seu libertas indifferentiae, sed sufficit immunitas a necessitate extrinseca seu libertas a coactione. Porro natura humana sibi relicta magis in hoc statu sollicitatur motu concupiscentiae, proindeque necessario peccat ; ut actus bonus effici possit, exigitur ut caelitus immittatur gratia relative victrix motus concupiscentiae malae. — Deus autem non immittit nisi delectationes caritatis ; quare omnis actus bonus, consequens ad majorem delectationem caritatis, conjungitur cum statu justitiae, proindeque nullus actus ponitur ab homine nisi habeat caritatem. — Exigitur etiam fides : ubi enim deest fides, nulla datur gratia, adeoque praedominatur cupiditas (1).

C *Sententia Baii*, ad praesentem quaestionem quod attinet, in idem incidit. Baii enim judicio : « Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet » (2). Gratia autem Dei non datur neque infideli neque peccatori : etenim « Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia » (3). « Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est » (4).

Neque essentialiter differt *sententia Quesnellii*. Ejus enim judicio voluntas quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se praecipitandum, virium nisi ad se vulnerandum : est capax omnis mali et incapax ad omne bonum (5). Jamvero Quesnellii judicio gratia Dei non confertur homini versanti in statu peccati, adeoque infideli. « Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat » (6) ; « Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio et nisi peccatum, sine fidei lumine ; sine Christo et sine caritate » (7) ; « Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei » (8) ; « Oratio impiorum est novum peccatum; et quod Deus illis concedit est novum in eos judicium » (9).

Neque etiam differt essentialiter sententia *Synodi Pistoriensis*, testibus

(1) Inter propositiones 31 ab Alexandro VIII damnatas, 7a haec est : « Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi, si Dei, caritas Patris est ; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est. » — 8a : « Necesse est infidelem in omni opere peccare. » — 11a : « Omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est. » (Denz. n. 1164 sq.).

(2) Inter propositiones 79 a Pio P. V damnatas, prop. 27a. Cf. Denz. n. 907.

(3) Ib. prop. 25. — (4) Ib. prop. 35. — (5) Cfr. prop. 39a inter prop. 101 a Clemente damnatas in Bulla *Unigenitus*. Denz. n. 1254. — (6) Ib. prop. 45. — (7) Ib. prop. 48. — (8) Ib. prop. 49. — (9) Ib. prop. 59.

propositionibus 23ª et 24ª a Pio VI constitutione *Auctorem fidei* damnatis (cfr. Denz. nn. 1386 sq.).

Observa. Ad hanc classem reducitur Gregorius Ariminensis, cujus judicio ad omne opus moraliter bonum exiguntur duo : a) *aliqua fides* seu notitia Dei, quae tamen fides non debet esse supernaturalis. Rationem dat quia quaevis actio bona est vel formalis Dei dilectio vel procedit ex hac dilectione. b) *Aliqua gratia actualis* seu motio Dei ultra concursum generalem, sine hac motione non potest homo bene operari, cum illa non potest non bene operari.

IIª sententia est scholae Augustiniensis, ex ordine Eremitarum s. Augustini, Vasquezii, Ripaldae. (1) Asserit *nullum opus naturaliter honestum fieri posse ab homine nisi viribus gratiae actualis juvetur.* Alii aliter rem explicant :

1. Duces Augustiniensium, nempe cardinalis Noris, Laurentius Berti (2) et Beleli concedunt opus posse esse moraliter bonum ratione objecti et finis proximi, sed dicunt illud fieri malum ob defectum debitae ordinationis ad finem ultimum. — Ut removeant a doctrina sua censuras quae in Baianismum sunt latae, contendunt a) non paucas propositiones Baii fuisse damnatas ob acre judicium, seu ob injuriam qua afficiunt doctrinam oppositam ; b) judicio Baii motus indeliberatos esse peccata formalia, contra in sententia Augustiniensium ; c) juxta Novatores et Baianos exigi fidem et caritatem ad hoc ut opus sit bonum adeoque non exsistere medium inter cupiditatem quae dominatur peccatori et infideli, et caritatem quae dominatur justis.

2. Juxta Vasquezium nulla quidem requiritur gratia voluntatis ut fiat opus moraliter bonum, sed voluntas sibi sufficit ad hoc ut sit causa principalis et proxima actus honesti ; verum *requiritur cogitatio congrua, entitative quidem naturalis, supernaturalis vero quoad modum.* Objecta sensibilia et phantasmata possunt, juxta Vasquezium, excitare intellectum ut eliciat cogitationem de objecto honesto ; verum ad hujusmodi cogitationem non sequitur actus voluntatis moraliter bonus *nisi sit congrua ;* quod autem cogitatio sit congrua potius quam non, hoc debetur divinae providentiae ita ordinanti causas secundas ut congrue moveant hominem ad recte agendum ; cum autem ista providentia sit indebita homini, adeoque speciale beneficium, cogitatio congrua dicenda est esse gratia Dei (3).

(1) Vasq. In Iᵐ IIᵃᵉ, d. clxxxix, c. xvi ; d. cxc, c. xii. Ripalda, *De ente,* d. cxiv, s. 13, n. 123 et d. xx, s. 2. — (2) Berti : Cfr. *De theologicis disciplinis* l. XVIII. — (3) Vasq. In Iª IIᵃᵉ, q. cxc, c. xviii.

3. Juxta Ripalda a) *De jure potest* homo ex solis naturae viribus elicere actum moraliter bonum ; seu ex natura rei, et antecedenter ad omnem legem Dei contrariam, non exigitur gratia. b) *De facto* et consequenter ad Dei legem positivam non potest elicere hujusmodi actum. Deus enim libere statuit fore ut natura numquam conatum suum conferret in actum bonum, nisi gratia supernaturali praeveniretur. Rationem dat quia Deus libere voluit ut omnis actus moraliter bonus ad salutem, proindeque ad finem supernaturalem, conduceret; jamvero ad hoc opus est auxilio gratiae ([1]). Discrimen inter sententiam suam et baianismum ita explicat Ripalda : « Michael Baius post peccatum Adae adeo vires humanas debilitavit, ut nihil boni intrinsece naturale eis possibile agnoverit, sed quidquid boni illi convenit, esse intrinsece supernaturale... Secundo Michael Baius adjutorium gratiae per se ex natura rei ad bonum agendum requirit, et non solum ex lege Dei. At nos tum amorem honestum intrinsece naturalem, ad quem solae vires naturae sufficiunt, agnoscimus ; tum auxilium gratiae ad quidquam boni naturalis agendum ex sola Dei lege, non vero ex natura rei desideramus. Unde satis longo discrimine a Michaele Baio distamus ».

III[a] sententia est communis inter catholicos, asseritque *nec gratiam sanctificantem, nec fidem, nec gratiam actualem esse necessariam, sive physice, sive moraliter, ad omnem actum honestum*, proindeque negat omnes actiones infidelium, aut peccatorum, aut a quopiam homine sine auxilio gratiae elicitas, esse malas. Sic nominatim Suarez, Bellarminus ([2]). — *De fide definita* est ex actis RR. PP. et Conciliorum non exigi gratiam sanctificantem nec fidem ut vitetur omne peccatum; theologice certum est non requiri gratiam actualem.

Observa. Praesentem quaestionem esse diversam ab ea qua superius inquisitum est an homo habeat potentiam servandi Dei legem, constat quod in hac quaestione agebatur de peccatis lethalibus vitandis, in praesenti vero quaestione agitur de actibus virtutum eliciendis.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXVI[a]. — Homo lapsus non est obnoxius impotentiae, sive physicae sive morali, eliciendi ullum actum moraliter bonum, nisi ornetur gratia sanctificante aut fide, vel nisi juvetur auxilio gratiae actualis. Ad factum

([1]) Ripalda, *De ente*. d. xx, s. 3; d. cxiv, s. 13. — ([2]) Bellarm. *De gr. et lib. arb.* l. V, c. vii.

quod attinet, sine ullo fundamento asserit Ripalda in praesenti ordine Providentiae nullum hujusmodi actum elici viribus naturae sibi permissis.

175. — PRIMA PARS. OMNIA PECCATORUM OPERA NON SUNT PECCATA, SED SINE CARITATE FIERI POSSUNT QUAEDAM OPERA MORALITER BONA.

OBSERVA. Fit abstractio utrum peccatores qui in Scripturis aut a Patribus dicuntur bona opera elicuisse, habuerint fidem necne; abstrahitur etiam a quaestione utrum operati fuerint cum auxilio gratiae actualis, an secus. Unice heic contendimus non exigi gratiam *sanctificantem.*

Probatio I^a^. Ex Scripturis. I^m^ Arg. Ex V. L. 1. Deus saepe exhortatur peccatores ut paenitentiam agant, testatur se veniam peccatorum esse elargiturum ob paenitentiam et opera bona, aut se ob illa dedisse veniam. a) III Reg. VIII, 38 sq. « Si quis cognoverit plagam cordis sui et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in caelo, in loco habitationis tuae, et repropitiaberis. » Orationi ergo peccatoris, in templo humili corde factae, repropitiatio promittitur. b) Ps. L, 19 : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. » c) Eccli. XXI, 1 : « Fili, peccasti ? non adjicias iterum, sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. » d) Ezech. XVIII, 30 : « Ait Dominus Deus : Convertimini, et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. » e) Zach. I, 3 : « Convertimini ad me, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum. » — Atqui ista opera fiebant a peccatore ante remissionem obtentam, siquidem ad eam ordinabantur ; erantque Deo grata, proinde moraliter bona. Ergo.

2. Prostant exempla peccatorum qui ante justificationem receptam elicuerunt actus moraliter bonos. In II Paral. XXXIII, 12 sq. de Manasse plurimis sceleribus contaminato legitur : « Postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, et egit paenitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum, et obsecravit intente : et exaudivit orationem ejus.... et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus. » Profecto Manasses gratia divina est adjutus cum impietatem et miseriam suam agnovit, et misericordiam divinam imploravit ; oratione gratiam, paenitentiam, peccatorum remissionem et pristinam salutem obtinuit. Jamvero hi actus profecto fuerunt moraliter boni.

II^m^. Arg. Ex N. L. 1. Paulus exhortatur peccatores ad paenitentiam ubi ait : « Ignoras, quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit ? Secundum autem duritiam tuam, et impaenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddit unicuique secundum opera ejus. » Rom. II, 4 sq.

2. Prostant similiter exempla peccatorum actus honestos ponentium : a) Apud Lucam XVIII, 13, exhibetur publicanus a longe stans, qui non audebat oculos ad caelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens : Deus propituis esto mihi peccatori ; de eo dicit Christus : « Descendit hic justificatus in domum suam. » Actibus sane humilitatis et orationis, per gratiam actualem elicitis, justificationem adeptus est; quod confirmatur ex eo, quia Christus hoc exemplum proponit ut humilitatem commendet, dicens v. 14: « Qui se humiliat, exaltabitur. » b) De Cornelio centurione Act. X legitur: « Vir erat.... religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. » Orationes et eleemosynas a Cornelio factas, ante fidem christianam et baptismum receptum, Deo acceptas fuisse testatur Angelus dicens, v. 4 : « Orationes tuae, et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. » Confirmatur auctoritate Augustini clare docentis Cornelium jam ante fidem et justificationem, adjuvante Dei gratia, benigne esse operatum ([1]).

Probatio II[a]. Ex Traditione I[m]. Arg. Ex Conciliis. 1. *Concilium Constantiense* damnavit hanc Hussii propositionem ordine 16[m] : « Divisio immediata bonorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa ; quia si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus, et agit quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi. » Ergo dantur opera quae nec virtuosa sunt, h.e. facta cum caritate Dei, nec vitiosa. Ergo non exigitur gratia sanctificans ad omne opus moraliter bonum.

2. *Tridentinum* in sess. VI, can. 7, contra Protestantes definit : « Si quis dixerit opera omnia quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit. » In sessione XIV, cap. IV asserit attritionem, quae « vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae..., non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem ; verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti

([1]) Aug « Quidquid et antequam in Christum crederet, et cum crederet, et cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur ». *De praed. SS.* c. VII. M. XXXXIV, 970.

impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo paenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat..., et ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponit. » Illud iterum definit Tridentinum cum canone 5 ejusdem sessionis anathema dicit adversus eos qui contrarium asseruerint. — Ex his itaque constat de fide credendum esse quod homo, gratia actuali adjutus, ante adeptam justificationem actus bonos et supernaturales elicere possit et quod non omnia peccatorum opera sint peccata.

II^{m}. Arg. Ex RR. PP. 1. Pius V et Gregorius XIII damnarunt hanc Baii propositionem 35^{m} : « Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est » (Denz. n. 915). — 2. Alexander VIII proscripsit plures propositiones ex libris Jansenii. Ad hanc partem spectat 7^{a} : « Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi; si Dei, caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est. » Ad eamdem partem spectat 11^{a} : « Omne quod non est ex fide supernaturali, quae per delectionem operatur, peccatum est. » Denz. n. 1164, 1168. — 3. Clemens XI in Bulla *Unigenitus* damnavit propositionem Quesnelli 45^{m} : « Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas omnesque actiones ejus corrumpat. » Damnavit etiam 59^{m} : « Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium. » Denz. n. 1260, 1274. — 4. Pius VI in Constitutione *Auctorem fidei* damnavit propositionem 23^{m} synodi Pistoriensis : « Doctrina Synodi de duplici amore dominantis cupiditatis, et caritatis dominantis, enuncians hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere ; quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, seu in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur, aut opera omnia quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata, quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati, (declaratur) falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art. 40. (Denz. n. 1386). Cfr, prop. 24 ubi idem error proponitur.

III^{m}. Arg. Ex Patribus. Patres affirmant peccatores posse non modo actus naturaliter honestos, sed immo supernaturaliter honestos elicere, quibus se disponant ad justitiam recuperandam. — Insuper hortantur peccatores ut ad Deum confugiant, et remissionem peccatorum im-

plorent ; ut fiduciam inspirent, provocant ad Dei clementiam et ad promissa ejus. — Denique exprobrant duritiem iis qui ad Deum se non convertunt. — Ergo luce meridiana manifestius est Patrum judicio peccatores posse elicere actus moraliter bonos.

Clem. Alex. « Mihi videtur quidem esse quaedam prima salutaris mutatio, quae fit a gentibus ad fidem ; secunda, quae fit a fide ad cognitionem ; illa vero trajiciens ad caritatem » (1).

Origenes : « Etsi peccatores estis, orate Dominum. Peccatores exaudit Deus. Quod si timetis illud, quod in Evangelio dicitur : « Scimus, quia peccatores Deus non audit, » nolite pertimescere, nolite credere. Caecus erat, qui hoc dixit. Credite potius ei, qui dicit, et non mentitur : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra ut vermiculus, velut lana albaverunt » (2).

Chrysost. « Si onera peccatorum innumera in conscientia habes, modo tibi persuadeas te omnium ultimum esse, magnam habebis apud Deum fiduciam : licet id nulla humilitas sit, cum peccator sis, te peccatorem existimare. Attamen Deus propter ineffabilem clementiam suam non eos modo, qui humiliter sentiunt, sed etiam eos, qui bono animo sua confitentur peccata, admittit, recipit, sicque affectis propitius est » (3). « Vocatur Deus consolationis et Deus misericordarum : quoniam hoc est ejus officium perpetuum, ut dolentes et afflictos consoletur et hortetur, etiamsi innumeris sint peccatis onusti... Ecquid mirum, si humanas aerumnas oratio solvere possit, quando peccatorum naturam ita facile exstinguit et delet ? » (4)

August. In illa verba caeci nati : « Scimus autem, quia peccatores Deus non audit, » etc., ita disserit : « Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, et pectus suum percutiens, diceret : « Domine, propitius esto mihi peccatori. » Et ista confessio meruit justificationem quo modo iste caecus illuminationem » (5). « Ipsa fides prima datur, qua impetrentur cetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur » (6). « Qui ergo habent fidem, qua impetrent justificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem justitiae » (7). « Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. » (8)

(1) Clem. Alex. *Serm.* l. VIII. — (2) Orig. *Hom. V in Is.* n. 2. — (3) Chrys. *Hom. V de incompreh. Dei natura*, n. 6, 7. — (4) Ib. n. 7. — (5) August. *Tract.* xliv *in Joh.* n. 13. M. XXXV, 1718. — (6) Id. *De praed. sanct.* c. vii. M. XLIV, 969. — (7) Id. *Ep.* clxxxvi *ad Paulinum*, n. 7. M. XXXIII, 818. — (8) Id. *Ep.* cxciv ad *Sixt.* c. iii, n. 9, M. XXXIII, 877.

S. Thomas : « Peccator non potest pie orare, quasi ejus oratio ex habitu virtutis informetur. Potest tamen ejus oratio esse pia, quantum ad hoc quod petit aliquid ad pietatem pertinens : sicut ille, qui non habet habitum justitiae, potest aliquid justum velle. Et quamvis ejus oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetratoria » ([1]).

Probatio III^a^. Ratione. 1. Ex eo quod sanctitas esset necessaria ad omne opus bonum, proindeque ad omne opus quod non est peccaminosum, consequens foret vel Deum nullam dare gratiam peccatori, nisi forte gratiam qua eum excitet ad actum caritatis aut contritionis perfectae, vel Deum infundendo gratiam excitare peccatorem ad actum peccaminosum. — Consequens etiam foret peccatorem non posse elicere actus salutares fidei, spei, timoris, attritionis, misericordiae, temperantiae, etc., siquidem omnes hi actus forent peccaminosi. — Consequens itaque etiam foret peccatores a nemine legitime corripi quod negligant orationem, opera misericordiae, etc., siquidem nemo legitime corripitur quia abstinet a novis peccatis patrandis. — Atqui constat haec omnia esse perquam absurda. Ergo. — 2. Praeterea afferri possunt argumenta rationis quibus probabitur secunda pars.

176. — SECUNDA PARS. Omnia infidelium opera non sunt peccata ; sed sine fide fieri possunt quaedam opera moraliter bona.

Observa. Abstrahitur in hac parte a quaestione utrum opera infidelium, quae in Scripturis aut a Patribus dicuntur bona, elicita fuerint cum gratia actuali *medicinali*, an sine illa. Unice contendimus non exigi *fidem* ad omne opus moraliter bonum.

Probatio I^a^. Ex Scripturis. A. Ex V. T. **I^m^ Arg.** Illa opera sunt moraliter bona quae Scriptura commendat et aliquo praemio digna existimat. Atqui dantur opera infidelium quae in Scripturis commendantur et praemio donantur. Ergo. — *Prob. min.* a) Exod. 1, 15 sq. Cum obstetrices aegyptiacae jussae fuissent a Pharaone praefocare omnus Hebraeorum masculos, ob timorem Dei non observaverunt praeceptum regis, sed mares servarunt incolumes ; earum misericordiam laudat Scriptura, eamque donavit Deus mercede ; legitur enim : « Bene ergo fecit Deus obstetricibus, et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domos, » h. e. dedit eis copiosas proles, et familias bene constitutas. — Observare juvat obstetrices postea esse mentitas, hoc tamen peccatum subsequens non coinquinavit opus bonum antea patratum. Quare, uti observat Augustinus, « non est in eis

([1]) S. Th. II^a^ II^ae^, q. lxxxiii, art. 16, ad 2^en^.

remunerata fallacia, sed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis » (1). b) Ezech. XXIX, 17 sq. Nabuchodonosor legitur bellum gessisse adversus Tyrios, ut morem gereret praecepto Dei ; et propterea in mercedem accepisse terram Aegypti : « Rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum... et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus, de Tyro, pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. Propterea... ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti... Dedi ei terram Aegypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus. » Hieronymus ex eo concludit ethnicos, si quid boni fecerint, a Deo accipere mercedem (2).

II^m Arg. Daniel excitavit eumdem regem ad eleemosynas dandas : « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum » (Dan. IV, 24). Atqui profecto Daniel non hortatus est regem ut peccatis placaret Deum.

B. Ex N. L. Affirmantur Gentiles quaedam opera moraliter bona facere potuisse. a) Matth. V, 46 sq. Christus ut ostendat perfectionem discipulis suis sectandam, gradus assignat quos superare tenentur ; ait enim : « Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? nonne et publicani hoc faciunt ? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis ? Nonne et ethnici hoc faciunt ? Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est. » Porro adscribitur gentibus opus morale inferioris ordinis « salutare fratres, » illudque opus commendatur etiam fidelibus, nedum dicatur esse peccaminosum. — b) Paulus ad Rom. I, 21, idem affirmat : α) Asserit gentiles digne fuisse punitos quia « cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. » Ergo supponit gentiles sine fide potuisse Deum glorificare, sive auxiliante gratia sive non, de hoc enim abstrahitur in ista parte theseos. — β) c. II, 14 : « Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt ; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. » Affirmantur itaque gentes sine subsidio revelationis cognovisse legem, sive totaliter sive partialiter, et hanc legem, saltem quoad nonnulla praecepta, et ubi deerant graves tentationes, potuisse observare.

---

(1) AUG. *Contra mendacium*, c. XV, n. 32.

(2) HIER. « Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio praeteriri. Unde et per Jeremiam Nabuchodonosor columba Dei appellatur, eo quod adversum populum peccatorem Dei servierit voluntati. » L. IX *in Ezech.* XXIX, 20.

Probatio IIa. Ex Traditione. Im Arg. Ex RR. PP. 1. Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII proscripserunt hanc Baii propositionem 25am : « Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes sunt vitia. » — 2. Alexander VIII damnavit sequentes propositiones ex scriptis Jansenii desumptas : « Necesse est infidelem in omni opere peccare » (Denz. n. 1165). « Omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est » (n. 11). — 3. Clemens XI damnavit hanc Quesnellii propositionem 48am : « Quid aliud esse possunt nisi aberratio, et nisi peccatum sine fidei lumine, sine caritate ? » (Denz. n. 1263). — E damnatis propositionibus sequitur fieri ab ethnicis posse actiones quae non sunt peccaminosae. Quare hae actiones sunt aut indifferentes in individuo aut moraliter bonae. Atqui probatur philosophice non dari actiones indifferentes in individuo. Ergo.

II Arg. Ex Patribus. 1. Affirmant ethnicos quaedam opera bona facere posse ; illud probant tum quia mercedem aliquam temporalem a Deo acceperunt, tum quia natura non est penitus depravata. — 2. Praeterea laudant ethnicos de non paucis factis.

Origenes : « Gentilis, si ratione naturali motus justitiam teneat, vel caritatem, vel temperantiam, etc., custodiat : iste licet a vita alienus videatur aeterna, quia non credit in Christum... videtur quod per ea, quae dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam et honorem et pacem penitus perdere non possit » (1).

Basilius. « Sunt et apud nos virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsi animae non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura inest. Sicuti enim nulla disciplina nos docet morbum odisse, sed spontaneam habemus detestationem adversus ea quae nobis molesta sunt ; sic etiam est animae quaedam declinatio et fuga vitii citra doctrinam (2). »

Gregorius Naz. Patrem suum nondum fide christiana praeditum laudat dicens : « Ille etiam antequam ad nostram causam se contulisset, noster erat. Mores quippe ipsum nobis adsciscebant. Ut enim multi ex nostris nobiscum non sunt, quos scilicet a communi corpore vita removet ; sic contra multi exterorum ad nos spectant, quicumque nimirum fidem moribus antevertunt, ac solo nomine carent, cum rem ipsam teneant. » Quae applicans patri suo ethnico ait : « Quo in

(1) Origenes, *In Rom.* II, 14. — (2) Basil. *Hom. IX in Hexaem.*

numero meus quoque pater erat, ramus quidem ille alienus, ceterum vita et moribus ad nos propendens ([1]). »

AUCTOR OPERIS IMPERFECTI. « Audi mysterium, quod Petrus apud Clementem exposuit... Si infidelis fecerit opus bonum, hic (in terra) ei prodest opus ipsius, et hic ei reddit Deus bona pro opere suo, in illo autem saeculo nihil ei prodest. Nec enim collocatur inter ceteros fideles propter opus suum, et juste, qui naturali bono motus fecit bonum non propter Deum ([2]). »

HIERONYMUS : « Ex quo perspicuum fit natura omnibus inesse Dei notitiam nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiae et justitiae, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant ([3]). »

PROSPER : « Naturae humanae, cujus creator est Deus, etiam post praevaricationem manet substantia, forma manet, manet vita, et sensus et ratio ceteraque corporis et animi bona, quae etiam malis vitiosisque non desunt. Sed non in illis veri boni perfectio est, quae mortalem vitam honestare possunt, aeternam conferre non possunt ([4]). »

FULGENTIUS : « Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo potuerunt hi justi esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem christianae fidei caritatisque non referant ? Quibus aliqua quidem bona, quae ad societatis humanae pertinent aequitatem, inesse possunt, sed, quia caritate Dei non fiunt, prodesse non possunt ([5]). »

S. AUGUSTINUS non aliter loquitur ac ceteri Patres : a) In libro *de spiritu et littera*, quamvis teneat Paulum ad Rom. loqui de Gentibus ad fidem conversis, attamen non improbat interpretationem oppositam ; quare intelligit verba Pauli de gentibus naturaliter facientibus ea quae legis sunt, de ethnicorum factis quae laudanda sunt ; censet tamen vix inveniri facta quae mereantur laudem, si discutitur finis ob quem fiunt. Ducit itaque nonnulla facta moraliter honesta, etiam ratione finis, fieri posse et reapse fieri. Haec enim scribit : « Si autem hi qui naturaliter quae legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero

([1]) GREG. NAZ. *Or. XVIII*, al. XIX, n. 6. — ([2]) AUCTOR OP. IMPERF. *Hom. XXVI in Matth* — ([3]) HIER. *In cap.* I *ad Gal.* — ([4]) PROSPER, *Cont. Collat.* n. 36. M XLV, 1817. — ([5]) FULGENT, *De Inc. et gr. Chr.* c. XXVI.

eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium, quaedam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus ; quanquam, si discutiantur quo fine fiant, vix invenirentur quae justitiae laudem defensionemve mereantur » (1). — Rationem dat quia natura non est penitus corrupta per P. O. ; addit tamen opera illa bona non prodesse vitae aeternae, sicuti peccata venialia justorum non nocent vitae aeternae, et de operibus bonis malorum hominum agens, advertit difficillime non invcniri aliqua bona opera in vita cujuslibet hominis possimi. « Quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea veluti lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae, facere aliqua legis, vel sapere (2). » Et paulo post verba Apostoli : « Habentes opus legis scriptum in cordibus, » sic exponit : « Id est, non omnino deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est... Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis sentit et facit. » Et paulo post : « Sicut non impediunt a vita aeterna justum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur ; sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. » — b) Alibi duplicem distinguens caritatem, divinam et humanam, humanamque dividens in licitam et illicitam, dicit plebi suae licere humana caritate diligere conjuges, filios, amicos, cives, eosque monet istam caritatem esse posse paganorum. « Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina necessitudinis habent vinculum et gluten quoddam caritatis. Sed videtis illam caritatem esse posse et impiorum, id est, paganorum, judaeorum et haereticorum (3). » — Demum c) in opere *de civitate Dei* docet Deum concessisse Romanis gloriam et imperium « ut redderetur merces bonis actibus eorum, id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. » Ac deinceps enumerat has ipsas virtutes, dicens : « Privatas res suas pro re communi, hoc est republica et pro ejus aerario, contempserunt, avaritiae restiterunt, consuluerunt patriae,

(1) Aug. *De sp. et litt.* c. xxvii et xxviii, n. 48. M. XLIV, 229. — (2) Ib. c. xxviii. — (3) Id. *Serm.* cccxlix, *de tempore*, c. i, n. i. M. XXXIX, 1529.

consilio libero, neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxii. His omnibus artibus tanquam vera via nisi sunt ad honores, imperium et gloriam [1]. »

Probatio III^a^. Ex ratione. 1. Adversus Traditionalistas probatur non ita exstinctum esse lumen intellectus, ut sine revelatione non possit perveniri ad notitiam multarum rerum, puta ad notitiam Dei, moralitatis, honestatis, officii et juris. Ergo ita etiam non est debilitata vis voluntatis, ut numquam valeat velle id quod intellectus ipsi tamquam honestum proposuerit. — 2. Eo quod omnia infidelium opera forent peccaminosa, consequens foret vel impossibile esse ut ethnicus ex fine honesto sibi vim inferret ad vincendas certas vitiosas inclinationes naturae, vel ut stipem pauperi erogaret, vel proximum a periculo mortis liberaret, vel parentibus obsequium deferret, vel haec varia esse vitiosa ratione finis aut circumstantiarum. Atqui utrumque est falsum. Ergo.

177. — TERTIA PARS. GRATIA ACTUALIS NON EST NECESSARIA AD OMNE OPUS MORALITER BONUM.

Probatio I^a^. Ex Scripturis. Superius ostensum est peccatores et infideles facere et fecisse opera moraliter bona. Non affirmatur quidem disertis verbis defuisse gratiam actualem; verumtamen etiam non affirmatur eam adfuisse ; immo potius dicendum est juxta Scripturam saepe nullam gratiam fuisse subministratam. Cum enim taceant Scripturae datum fuisse adjutorium speciale Dei, id colligendum esset aut ex natura rei, aut ex traditione. Atqui e neutro colligitur, quod arg. seq. perspicuum erit.

Probatio II^a^. Ex Traditione. I^m^ Arg. Ex RR. PP. 1. Juxta Pium V, Gregorium XIII, Urbanum VIII in damnatis propositionibus Baii, falsum est liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere, nullum posse vitare peccatum, nulli posse resistere tentationi. Cf. prop. 27, 28, 29, 30. Denz. n. 907 seq. Atqui a libero arbitrio quod sine gratia valet ad aliud quam ad peccandum, quod potest vitare aliquod peccatum et resistere tentationi, procedere potest actio moraliter bona. Ergo.

2. Clemens XI damnavit sequentes propositiones Quesnellii: 38^m^, « Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris. » — 39^m^ : « Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se praecipitandum, virium nisi ad se

[1] Id. *De Civ. Dei*, l. V, c. xv. M. XLI, 160.

vulnerandum : est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum. » — 40m : « Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem. » — 42m : « Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei : sine hoc, nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas. » Denz. n. 1253 sq.

3. Pius VI in damnatione Synodi Pistoriensis, propositione 24a, asserit falsum esse inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam quae damnatur, non dari dilectionem humanam licitam quae non reprehenditur (Denz. n. 1387). Manifestum est agi de dilectione naturaliter honesta.

IIm Arg. Ex Patribus. Non modo affirmant Patres supra citati peccatores et infideles posse ponere actus nonnullos moraliter bonos, sed illud probant ex eo quod natura non est intrinsecus vitiata, nec addunt gratiam actualem tribuere vires et supplere defectum fidei et caritatis. Atqui haec loquendi ratio omnino ostendit judicio Patrum actus illos fieri ex solis naturae viribus. Ergo.

Probatio IIIa. Ex ratione. 1. Impotentia hominis operandi honeste peteretur aut ab extrinseco, h. e. ex impedimentis vincendis vel removendis, aut ab instrinseco, quatenus nempe intellectus afficeretur impotentia ad judicandum de honestate vel voluntas ad volendum honesta intellectualiter apprehensa. Atqui e neutro impotentia oritur. Ergo. — *Non oritur semper ab extrinseco.* Etenim : a) non semper occurrit specialis difficultas ne ponatur actus bonus, puta ne inopi succurratur, ne reverentia et obedientia praestentur parentibus. Contra b) homo non raro ab extrinseco juvatur et excitatur ut honeste potius quam inhoneste agat. — *Non oritur semper ab intrinseco :* a) Intellectus enim in hoc ordine rerum revelatione et magisterio optime novit quaenam sint honesta et quaenam inhonesta. Deinde est capax physice et moraliter perveniendi sine subsidio revelationis ad cognitionem multorum praeceptorum legis naturalis. — b) Voluntas, licet per concupiscentiam sollicitetur ad inhonesta volenda, attamen non amisit libertatem quam attenuatam quidem dicit Tridentinum, vetat autem dici exstinctam.

2. Eo quod exigeretur gratia ad omnem actum honestum, consequeretur hominem esse laesum in pure naturalibus per P. O. Id enim constat quia in statu naturae purae homini debita est potentia non modo physica sed etiam moralis bona faciendi sine auxilio speciali, ubi desunt tentatio gravis et magna difficultas. Atqui natura humana non est laesa per P. O. in pure naturalibus, uti demonstratur in tractatu de Deo creante.

3. Requiritur quidem cogitatio congrua, quoniam congrua vocatur omnis et sola cogitatio ad quam sequi potest consensus voluntatis. Verum nulla datur ratio asserendi causas naturales sibi permissas non posse excitare cogitationes congruas in actu primo, tales nempe ut prorsus sufficiant ad hoc ut voluntas honeste operetur.

178. — QUARTA PARS. De facto eliciuntur actus moraliter boni sine auxilio gratiae.

Prob. I^m Arg. Petitur ex controversia pelagiana. Docebat Pelagius hominem sine gratia facere multa bona, eaque bona sufficere ad justificationem obtinendam. Defensores gratuitatis et necessitatis gratiae non negant opera honesta fieri viribus naturae, sed asserunt nulla opera ad salutem conducere, esse sicut opertet, etc., nisi fiant, auxiliante gratia. Sic Augustinus passim (1), auctor Hypognosticon (2), auctor libri *de dogm. eccles.* (3), Concilium Arausicanum (can. 7), Concilium Tridentinum (sess. VI, can. 3) aliique quos citat Ripalda (4). Jamvero hoc modo loquendi indicatur non modo sine gratia fieri posse actus naturaliter honestos, sed adhuc de facto poni. Et re quidem vera quemadmodum, cum dicitur sola opera libere facta esse salutaria, affirmatur implicite esse opera facta sine libertate, quae non sint salutaria, ita pariter cum dicitur sola opera bona cum auxilio gratiae elicita esse salutaria, implicite affirmatur esse opera bona sine auxilio gratiae elicita, quae salutaria non sunt.

II^m Arg. *Ex propositionibus damnatis Baii, Quesnellii, Synodi Pistoriensis.* 1. Damnatur ut falsa propositio asserens hominem sine gratia nihil boni efficere posse. Atqui ista propositio, stante sententia Ripaldae, posset quidem esse falsa ac damnabilis in sensu ab assertoribus intento; attamen in rigore verborum videtur propugnari posse. Si enim Deus tulit legem vi cujus non vult ut ullus actus honestus fiat nisi cum auxilio gratiae, consequenter ad hanc legem jam nullus actus bonus videtur posse fieri sine gratia. — 2. Plures propositiones damnatae loquuntur de actibus *qui fiunt* sine auxilio gratiae : Sic propositio 37^a Baii asserit cum Pelagio sentire eum qui dicit aliquid boni fieri ex solis viribus naturae; propositio 61^a asserit explodendam esse distinctionem inter adimpletionem salutarem et naturalem praeceptorum Dei; similia dicuntur prop. 62^a et 64^a. Jamvero manifestum est ad mentem damna-

(1) Cf. *De gr. Chr.* n. 27. — (2) Cf. c. x. — (3) Cf. c. xliv. — (4) Ripalda, *De ente*, d. cxiv, s. 13, n. 120.

tionis istarum propositionum esse quod reapse quaedam opera moraliter bona fiant per liberum arbitrium sine gratia.

III^m Arg. *Ex Patribus.* In testimoniis supra citatis non modo affirmant peccatorem et infidelem posse honeste agere, sed insuper dicunt eos reapse quaedam opera bona efficere. Jamvero ex ratione quam Patres afferunt, modo conclusum est excludi omnem gratiam. Ergo censent ss. Patres reapse quaedam bona fieri sine ulla gratia.

Satisfit difficultatibus.

179. — **Annotationes praeviae.** Occurrunt passim in Milevitano, Arausicano, et apud Augustinum propositiones quae, si verba materialia inspiciuntur, vix differunt a propositionibus quae in Baio fuerunt damnatae. Speciatim leguntur seq. : Opera peccatorum sunt peccata. Opera infidelium sunt peccata. Omnia opera sine auxilio gratiae facta sunt peccata. Sine caritate aut sine fide aut sine Dei auxilio nullus actus bonus fit. — Verum has propositiones alio quidem sensu usurpari ab Augustino et a Patribus Milevitanis et Arausicanis, alio autem sensu a Baio, constabit sequentia perpendenti ([1]).

A. Peccatum sumitur sensu lato et sensu presso : a) Sensu *lato* peccatum est idem ac *defectus* seu opus quo agens deficit a fine. Secundum hunc sensum natura et ars dicuntur peccare quoties finem non obtinent per opera sua ; intellectus quoties in operationibus suis adhaeret falso ;

([1]) Milevit. Can. 4 : « Item quisquis dixerit eamdem gratiam Dei per J. C. D. N. propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum..., non autem per illam nobis praestari ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, A. S. » Denz. n. 68.

Araus. Can. 22 : « Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiae, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via. » Denz. n. 165.

August. *De necessitate fidei et caritatis* ad salutariter operandum : « Praecepta dilectionis, id ex caritatis... tanta et talia sunt, ut quidquid se putaverit homo bene facere, si fiat sine caritate, nullo modo bene fiat. » *De gr. et lib. arb.* c. xviii, n. 37. M. XLIV, 903. — « Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur nec recte bonum opus vocatur, quia « omne quod non ex fide est, peccatum est » (Rom. xiv, 23) ; et « fides per dilectionem operatur » (Gal. v, 6). *De gr. Chr.* l. I, c. xxvi. M. XLIV, 374. — « Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas. » *Enchiridion*, n. 117.

« Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccadum valet, si lateat veritatis via : et cum id quod agendum et quo nitendum est, coeperit non latere, nisi etiam delectet et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, caritas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium liberum, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » *De sp. et litt.* c. iii, n. 5. M. XLIV, 203. — « Neque computet opera sua bona ante fidem ; ubi fides non erat, bonum opus non erat. » *Enarr. in ps.* xxxi in praef. n. 4. — « Quamtumlibet opera infidelium praedicentur, ejus-

voluntas cum ponit opera quibus non tendit ad finem ei a Deo praestitutum. — b) Sensu *presso* peccatum est actio moralis difformis a recta ratione seu contraria legi divinae. Est materiale, si deest advertentia actualis ad difformitatem istam aut libertas; formale, cum haec adsunt.

Actus moralis conformis regulis morum vocari potest *bonus* triplici sensu: Bonus nempe dici potest quia est actus *honestus* seu conformis regulis morum, sive eliciatur auxiliante gratia, sive solis naturae viribus. Haec significatio est prorsus propria, licet latior. Restringere quis potest actus bonos ad eos qui sunt *salutares*, adeoque fiunt cum auxilio gratiae actualis. Immo eos restringere potest ad actus a justis elicitos cum auxilio gratiae : ratio restringendi est quia hi soli actus *merentur praemium aeternum.*

B. Inde colligitur quonam sensu dici queat et quonam sensu dici nequeat opera peccatorum aut infidelium, vel quaelibet opera sine auxilio gratiae facta, esse peccata eaque carere bonitate.

1. De operibus *infidelium.* a) *Omnia opera* infidelium, etiam moraliter honesta ratione objecti, finis et circumstantiarum, sunt peccata *sensu lato*, iisque denegatur bonitas sensu restrictiori, siquidem fiunt sine auxilio gratiae supernaturalis (fides enim est initium salutis), et proinde non ducunt ad finem supernaturalem (praeter quem iis non est alius finis attingilibis, cum fini naturali substitutus sit a Deo finis supernaturalis). — Eadem opera generatim inspecta possunt vocari peccata *sensu presso*, α) ubi fiunt ex infidelitate (tunc enim sunt saltem peccata materialia); β) quatenus *pleraque* eorum opera erant peccata formalia, siquidem secundum doctrinam Pauli (Rom. II) indulserunt omni vitio ; aut γ) quatenus nulli infideles servaverunt totam legem naturalem. —

---

dem Apostoli sententiam veram novimus: « Omne quod non est ex fide, peccatum est. » *De gestis Pelagii*, c. XIV. M. XXXXIV, 341.

De necessitate gratiae. « Liberum arbitrium captivatum nonnisi ad peccatum valet ; ad justitiam vero nisi divinitus adjuvetur ; desertum vero divino adjutorio, qualibet scientia legis polleat, nullo modo habebit justitiae soliditatem, sed inflationem impiae superbiae et exitiosum tumorem. » *Ep.* CLVII, n. 58. M. XXXIII, 675. — « Voluntatem in tantum liberam esse, in quantum libera est... alioquin totam esse vitiosam cupiditatem, peccatoque servientem. » *Retract.* l. I, c. XV, n. 4. M. XXXII, 609.

PROSPER : « Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono ; ubi enim deest agnitio aeternae et incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus. » *Sent. ex Aug.* n. CVI. M. XLV, 1868. — « Manifestissime patet in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse et polluta. » *Cont. Collat.* c. XIII, n. 39.

Auctor libri de vocat. gent. I, VII : « Sine cultu veri Dei etiam quod virtus videtur esse, peccatum est ; nec placere ullus Deo sine Deo potest »

Verum b) nequit affirmari infideles *nulla* opera potuisse edere aut nulla de facto edidisse quae non fuerint peccata sensu presso, neque honesta sensu proprio quidem, verum latiori.

2. De operibus *peccatorum*. a) Omnia opera peccatorum elicita *sine gratia* actuali fuerunt peccata *sensu lato* carueruntque bonitate sensu restrictiori, haud secus ac opera infidelium, etiamsi fuerunt honesta ex fine, objecto et circumstantiis ; opera facta *ex auxilio gratiae* actualis interdum vocantur *non bene facta* aut etiam peccata *sensu latissimo* improprio, quatenus sunt mortua seu quatenus non merentur vitam caelestem ; immo eadem opera vocantur peccata formalia, dummodo vox *omnia* sumatur relative pro *plerisque*. — Verum b) nequit affirmari peccatores non posse aut de facto numquam edere opera quae non sint peccata *sensu presso*.

3. De operibus, etiam justorum, factis *sine auxilio gratiae*, affirmari quidem potest ea esse peccata sensu lato, eaque carere bonitate sensu restrictiori; verum de iis dici nequit ea esse peccata sensu stricto et carere bonitate sensu proprio quidem verum latiori, nisi vox *opera* sumatur cum restrictione.

C. Porro Augustinus, eoque duce, Milevitanum et Arausicanum asserunt quidem iis testimoniis, quae a Baianis afferuntur, opera peccatorum aut infidelium, aut quaelibet opera facta sine auxilio gratiae dici *peccata sensu lato*, eaque carere bonitate morali *sensu restrictiori;* non raro etiam affirmat Augustinus opera infidelium ex spiritu infidelitatis facta, esse peccata sensu stricto ([1]), aut adhuc saepe vel immo plerumque peccaminosa esse sensu stricto infidelium opera; vel fortassis loquitur identidem de voluntate resistente gratiae vel sollicitata tentationibus gravibus; vel de impotentia vitandi diu omne peccatum ; aut nomine peccati audit motus indeliberatos concupiscentiae, qui vocantur peccata quia adversantur rectae rationi; verum *nullatenus asserit absolute omnia haec opera esse peccata sensu stricto ac carere bonitate sensu quidem proprio, verum latiori.* Hoc autem constat tripliciter.

1. Status controversiae permittit et suadet hanc interpretationem locorum qui a Baianis objiciuntur. Pelagiani enim asserebant actus honestos positos sine gratia esse salutares meritoriosque regni caelo-

([1]) Existimat Ernst Augustinum ideo dicere opera infidelium esse peccata, quia ducit ea esse conjuncta cum rejectione gratiae omnibus oblatae, et quod defectus ille ordinationis in finem supernaturalem consequens fidei defectum, propter quem ab eo dicuntur peccata, esset sequela peccati originalis, participans proinde ejus reatum. *Die Werke und Tugenden der Unglaubigen*, § 22 sq.

rum ; semipelagiani vero dicebant actus, quibus aiebant constare initium fidei, mereri gratiam necessariam ad augmentum fidei seu ad observationem legis divinae, proindeque hos actus esse vere salutares. Augustinus autem cum Milevitano et Arausicano asserebat actus sine gratia positos esse peccata. Porro huic asserto annecti potest duplex significatio: vel enim vocantur peccata quia omnis honestas eis denegaretur et tunc dicenda sunt esse peccata sensu presso; vel vocantur peccata quia eis denegatur omnis ratio conducentiae ad finem ultimum, et tunc dicuntur esse peccata sensu lato. Jamvero illud posterius sufficit ad hoc ut attingatur scopus intentus, qui erat defendere hominem per solas naturae vires nullum posse edere opus sicut oportet.

2. Confirmatur auctoritate s. Bonaventurae qui « Hoc credendum est, ait, sensisse Augustinum, licet verba ipsius exterius propter detestationem erroris pelagianorum aliud sentire videantur. Ut eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum, *plus dicens* et *minus volens intelligi* » (1).

3. Nullus est locus a baianis allatus qui non permittat praefatam interpretationem. Ratio est quia non insuetum est Augustino adhibere peccatum sensu lato. Sic α) in *Enchir.* n. 20 permittit ut omnis *error* dicatur *peccatum;* jamvero non est peccatum formale. β) In libro *de utilitate credendi* scribit solum sapientem non peccare, stultum omnem peccare, et rationem dat quod illud omne vocatur peccatum, quod recte factum non est, quod non a recta ratione proficiscitur (2). Jamvero iterum omnia quae a stulto fiunt non sunt peccata sensu presso. γ) Contra Julianum scribit « quidquid boni fit ab homine et non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est » (3). Ergo agnoscit Augustinus actiones dici peccatum, quoties non sunt directae ad finem quem vera sapientia praecipit ; cum itaque nulla actio infidelum dirigatur ad finem supernaturalem, eo ipso vocandum est peccatum, etiamsi est honesta naturaliter. — Ibidem diserte asserit infideles potuisse observare legem naturalem, hanc tamen observationem non fuisse sine peccato, quia non fuit relata ad finem ad quem referri debeat. Jamvero ubi

(1) Bonav. in *Brevil.* p. III, § 5.

(2) Aug. « Omne factum, si recte factum non est, peccatum est : nec recte factum esse ullo modo potest, quod non a recta ratione proficiscitur. Porro, recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum virtus nisi sapientis animo praesto est? Solus igitur sapiens non peccat. Stultus ergo omnis peccat, nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperaverit ; a recta enim ratione talia facta proficiscuntur. » *De utilit. credendi*, n. 27.

(3) Id. *Contra Julianum*, l. IV, n. 21. M. XLIV, 749.

ignorantia istius finis erat invincibilis, nullum peccatum formale, immo etiam materiale sensu presso dari potest (1). — Nec juvat dicere in eodem loco Augustinum affirmare observatores legis esse puniendos, si legem non observarunt cum auxilio gratiae, adeoque non deesse huic observationi peccatum sensu presso. Si enim attenditur judicio Augustini omnem eum qui decedit sine gratia sanctificante, adeoque ipsos parvulos vita functos, baptismo non recepto, puniri tum privatione regni caelorum et vitae aeternae, tum poena ignis, apparet sensum hujus loci non esse quidem adultos legis observatores puniendos esse *propter observationem legis*, sed sensum esse eos puniendos esse, *non obstante hac observatione*, attamen eos puniendos esse remissius quam eos qui legem Dei violaverunt, quia observationi naturali legis deest ratio peccati sensu stricto. Eodem sensu loquitur Augustinus passim (2).

Confirmatur haec interpretatio quia eodem significatu occurit peccatum tum apud Clementem Alexandrinum aientem : « quidquid est praeter rectam rationem peccatum est » (3), tum apud Theodorum Abucam apud Suicerum (4) qui « peccatum, ait, est aberratio a scopo, » tum apud s. Thomam (5). — Confirmatur adhuc verbis s. Bonaventurae

(1) August. « Ad hoc eos in die judicii cogitationes suae defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter quae legis sunt, utcumque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut aliis non facerent, quod perpeti nollent : hoc tamen peccantes, quod homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. » Ib. n. 25. M. XLIV, 751.

(2) Id. « Ea enim ipsa opera quae dicuntur ante fidem, quamtumvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse ut magnae vires et cursus celerrimus praeter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem : ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. *In Ps.* xxxi, n. 3. Cf. *tract.* xlv *in Joh.* n. 2 ; *tract.* x *in ep. Joh.* n. 1. *Cont. duas epist. Pelag.* l. III, c. v, n. 14. M. XLIV, 598. — Contra Julianum scribit : « Noveritis itaque non officiis, sed finibus, a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est : finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur. Quae tu non attendens, fines ab officiis separasti, et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti... Quidquid autem boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. *Contra Julianum*, l. IV, n. 21. M. XLIV, 749. In eodem opere : « Aut certe quoniam saltem concedis opera infidelium, quae tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere ; scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum... per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cetera quae videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes verae, videantur opera bona et sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona : voluntas quippe infidelis atque impia non est bona. Dicantur secundum se hujusmodi voluntates arbores bonae, sufficit quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonae. » Ib. n. 33. M. 755.

(3) Clem. Alex. *Paedag.* l. I, c. xiii. — (4) In *thesauro* 1,203. — (5) S. Th. *Comp.* c. cxix ; in 2. d. 41, q. ii, a. 1.

sic interpretantis verba sanctorum ubi asserunt hominem nullum efficere opus bonum sine gratia ([1]).

4. Si loci quae a baianis objiciuntur permittunt ut intelligantur de peccato sensu lato et de carentia bonitatis sensu restrictiori, haec interpretatio debet iis attribui. Hoc enim constat tripliciter : a) Amico foedere componi debent isti loci cum aliis testimoniis inter argumenta allatis, quibus s. Aug. disertis verbis affirmat non omnem actum peccatorum aut infidelium, neque omnem actum solis naturae viribus elicitum esse peccatum sensu proprio, neque carere bonitate morali sensu proprio quidem, verum latiori. Jamvero, admissa interpretatione baianorum, daretur manifesta oppositio. — b) Componi etiam debent cum aliis ejusdem testimoniis bene multis ubi de malis hominibus asserit difficillime vitam cujuslibet pessimi hominis inveniri sine aliquibus bonis operibus ([2]) ; de peccatoribus eos cum Dei gratia actuali posse et debere credere, sperare, paenitere, etc. (cf. theses de distributione gratiarum) ; de infidelibus loquitur eodem modo ac de peccatoribus. Praeterea c) data opera explicans quomodo eorum opera sint mala, non affert nisi carentiam bonitatis sensu strictiore, sc. absentiam conducentiae ad regnum caelorum (cf. in Ps. XXXI, n. 4). — Denique d) ista sententia affirmans sine gratia sanctificante aut sine fide aut sine gratia actuali nullum poni posse actum honestum, inducit multa absurda quae profecto sunt aliena a mente divi Augustini. An negat Augustinus parentes umquam honeste diligi posse a filiis, filios a parentibus, uxorem a conjuge, conjugem ab uxore, honeste posse stipem erogari pauperi, et alia id genus ?

180. — CONTRA I^m PARTEM. Obj. 1°. Peccatores affirmantur nunquam fecisse opera bona. Atqui haec absentia omnis operis boni arguit impotentiam moralem efficiendi ea in statu peccati. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Affirmantur nunquam fecisse opera bona, h. e. *honesta*, *Neg.* : *meritoria regni caelorum*, *Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui peccatores affirmantur numquam fecisse opera honesta. Illud enim constat tum ex Ps. XIII, 4 ubi legitur : « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt ; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, » tum ex Rom. III, 12 ubi Paulus applicat haec verba toti gentilitati.

([1]) BONAV. « Propterea dicere sanctos quod nec cogitare nec velle possit homo bonum absque juvamine divinae grati ae, quia loquuntur de bono secundum quod est ordinatum ad assequendam beatitudinem. » In 2. d. 28, a. 2, q. III.

([2]) AUG. *De sp. et litt.* c. XXVIII, n. 48. M. XLIV, 229 sq.

Resp. Psaltes regius loquitur de atheis, asseritque non dari inter eos qui absolute dici possunt bene vivere et esse boni, h. e. continenter insistere bonis operibus a quibus censeri aut dici queunt boni. Non vero negat impios aliquando facere opera bona. — Paulus applicat eadem verba toti gentilitati et ex iis concludit gentibus debitam non esse justitiam, sed gratuito dari cuicumque datur a Deo ; iterum nullatenus asserit nullum esse qui ullum opus bonum efficere valeat aut ullum bonum opus effecerit, sive sine fide, sive sine gratia sanctificante, sed de facto gentes non coluisse verum Deum (v. 12), eas esse faedatas criminibus pessimis (vv. 13-18), adeoque nullum esse ex gentilibus qui bene vixerit et dici queat bonus et justus.

Obj. 2° Peccator, testante Christo, non potest efficere opera bona. Eum enim comparat Christus arbori malae, de qua dixit : « Mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere ; neque arbor mala bonos fructus facere » (Matth. VII, 17, 18). Unde sic : Quam habet habitudinem arbor mala ad fructus bonos, eamdem habet habitudinem peccator ad bona opera. Atqui arbori malae deest, teste Christo, potentia edendi bonos fructus. Ergo.

Resp. Non una suppetit responsio : a) Ex verbis quae praecedunt colligitur arborem bonam supponere pro doctrina vera aut pro docente veram doctrinam, arborem malam pro *doctrina falsa* aut *falso propheta*. Modo enim dixerat Christus : « Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos » (vv. 15, 16). — Si verba Christi intelliguntur de omni peccatore, advertitur b) Christum adhibere modum loquendi proverbialem, qui enuntiat id quod communiter evenit, non vero id quod semper et necessario habet locum. Inde distinguitur major : Peccator *in multis* operibus habet habitudinem arboris malae ad fructus bonos, *Conc. ; in omnibus* operibus, *Neg.* — Praeterea c) arbore mala intelligendus est peccator *formaliter* sumptus seu mala voluntate operans, non vero peccator materialiter sumptus quasi non posset operari nisi voluntate perversa. Illud enim manifestum est oppositione inter justum qui, stante ista interpretatione, comparatur bonae arbori et hominem malum pro quo supponit arbor mala. Dici quidem debet justum, ubi agit qua justus, efficere opera bona, verum non asserit Christus justum materialiter consideratum nullum peccatum veniale posse committere. Idem constat ex s. Augustino, qui ait : « Non itaque (homo) in quantum homo est, quod est opus Dei, sed in quantum malae voluntatis est, quisque arbor mala est et bonos fructus facere non

potest » ([1]). — Demum d) nomine fructus boni intelligi potest opus meritorium regni caelorum, quod effici nequit a peccatore etiam materialiter considerato. Ideo autem non negatur potestas honeste agendi, quod colligitur vel ex ipsa comparatione : mala enim arbor etsi non producit fructus optimos, identidem tamen gignit fructus non omnino malos.

Obj. 3°. Opera honesta non displicent Deo, neque Deus se ab iis avertit. Atqui orationes et supplicationes peccatorum Deo factae dicuntur displicere Deo, Deus dicitur se ab iis avertere. Ergo nulla peccatorum opera sunt honesta. — *Prob. min.* a) Ex Is. I, 15 ubi Deus Israelitis, qui sceleribus erant faedati, dicit : « Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis ; et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. » — b) Ex Joh. IX, 31 : « Deus peccatores non audit. »

Resp. *Dist. maj.* Opera honesta non displicent *proprie* Deo, neque ab iis veluti a peccatis Deus se *proprie* avertit seu ea odio non habet, *Conc.;* non displicent *minus proprie*, Deus se non avertit ab iis *minus proprie*, puta denegando ea praemia aut ea bona quae impetrantur, aut alia bona ejusdem valoris, *Subd.* si orationes et supplicationes fiunt *cum auxilio gratiae*, *Conc.;* si fiunt solis naturae viribus, speciatim si fiunt a peccatoribus pessimis, *Neg.* — *Cdt. min.*

Ad Isaiam : Non raro dicitur Deus rejicere opera peccatorum, puta sacrificia, orationes, etc., se ab iis avertere : ea autem rejicit aut se avertit ab iis vel quia fiunt ex pravo fine, adeoque sunt inhonesta, vel quia, licet naturaliter honesta, non sunt digna praemiis quae expostulantur, ob peccata eorum qui ea efficiunt. Hoc autem est motivum ob quod Deus dedignatur sacrificia, festivitates et solemnitates Judaeorum, siquidem ispe Deus id affirmat : « Manus enim vestrae sanguine plenae sunt, » h. e. homicidiis, injuriis in proximum, sceleribus quorum symbolum est sanguis.

Ad Johannem : Referuntur verba caeci nati, non autem Christi. Agitur enim hoc loco de miraculo quod Christus in gratiam caeci nati operatus erat ; Christus autem a pharisaeis dicebatur esse peccator et blasphemus ; caecus eos refutat dicendo : « Scimus autem quia Deus peccatores non audit, » sc. ad patranda miracula in genere, in specie ad ea patranda quibus sanctitas et veritas doctrinae comprobarentur.

Obj. 4° Quod fit ex cupiditate, id non est moraliter bonum, idemque proprie displicet Deo. Atqui omnia peccatorum opera fiunt ex cupidi-

([1]) Aug. *Cont. Julian.* l. IV, n. 30. M. XLIV, 754.

tate, secundum Augustinum. Ergo. — *Prob. min.* Quidquid fit, vel fit ex cupiditate, vel ex caritate : id enim aperte dicit Augustinus tum in opere *de Trinitate* (1), tum in *Enchiridio* l. c. ubi ait : « Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas. » Atqui peccatores non agunt ex caritate. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Quod fit *ex motivo cupiditatis*, id non est moraliter bonum, *Conc.*; quod fit *in statu peccati*, id nunquam fieri potest nisi ex motivo cupiditatis, adeoque numquam potest fieri sive cum gratia sive sine gratia, ex motivo honesto proindeque esse honestum, *Neg.* — *Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. maj.* eodem modo et *Cdt. min.*

Non datur medium inter *statum* caritatis et statum peccati seu cupiditatis. Sed datur multiplex medium inter actum ex *motivo* caritatis et actum ex fine pravo. Ex tractatu de virtutibus mediat multiplex actus supernaturalis. Ex hac thesi mediat actus naturaliter honestus ex multiplici motivo. Porro ex eo quod peccator agit *in statu peccati*, concludi non potest eum semper agere ex motivo malo, eumque peccare actu, quemadmodum ex eo quod quis est in statu gratiae concludi nequit eum semper agere ex motivo caritatis aut ex motivo honesto, ita nempe ut numquam venialiter peccet. — b) Praeterea Augustinus non semper intelligit caritatem sensu quo nunc ista vox sumitur, *pro statu gratiae sanctificantis aut pro actu ex amore benevolo Dei ;* saepe enim caritatis nomine intelligit vel eam gratiam actualem quae est adulta et robusta, vel quamlibet gratiam voluntatis, vel amorem ordinis et honestatis, uti ex thesi de necessitate inspirationis ad actum salutarem liquido constat (2). Quare responderi etiam potest *concedendo majorem* et *negando minorem ;* ad probationem minoris *distinguendo majorem :* Quidquid fit, vel fit ex cupiditate *sensu lato* vel ex caritate *sensu lato*, *Conc.;* si *sensu presso* utraque accipitur, *Neg.* — *Cdt. min.* Peccatores numquam agunt *ex caritate sensu presso,* siquidem eo ipso jam non essent peccatores, *Conc. ;* numquam agunt *ex caritate sensu lato*, h. e. ex amore ordinis et honestatis, *Neg.*

Inst. Atqui juxta Augustinum peccator numquam recte agit ex motivo caritatis sensu lato acceptae seu ex amore ordinis aut honestatis. Etenim:

Obj. 5°. Juxta Augustinum a) quidquid se putaverit homo bene facere, si fuit sine caritate, nullo modo fit bene (3) ; b) ubi non est dilectio,

(1) Aug. *De Trinit.* l. IX, c. vii, viii. *Enchir.* n. 117. — (2) Cfr. Petavium, *De lege et gratia*, l. I, c. vii, l. II, c. ii; de Rubeis, *De caritate theologica*, c. li sq. — (3) Aug. *De gr. et lib. arb.* c. xviii, n 37. M. XLIV, 903.

nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur ([1]); c) « Licet a quibusdam tunc verae et honestae putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur ; etiam tunc inflatae et superbae sunt, et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt » ([2]). Atqui quod non fit bene nec rectum, id non est honestum. Ergo.

Resp. *Ad a) et ad b) Dist. maj. Sine motivo caritatis* nihil fit bene juxta Augustinum, *Neg.* ; extra *statum caritatis*, *Subd.* nil fit *meritorium regni caelorum*, *Conc.* ; nihil fit *honeste*, *Neg.* — *Cdt. min.* Cum Augustinus asserit *non fieri bene* aut *esse peccatum* quidquid fit sine caritate, negat bonitatem perfectam, meritoriam regni caelestis ; non negat omnem bonitatem de omni actu peccatoris. Constat ex statu quaestionis agitatae cum Pelagianis, atque ex alibi dictis ab eodem Augustino.

Ad c) Dist. Vitium esse dicenda est ea virtus quae refertur ad seipsam, h. e. quae exercetur *ex vana gloria, Conc.* ; quae exercetur *ex amore honestatis aut pulchritudinis* ipsius, *Subd.* quae exercetur ex amore honestatis veluti *finis simpliciter ultimi*, *Conc.* ; veluti *finis ultimi secundum quid*, *Neg.* aut *Subd.* dicenda est vitium, h. e. habenda est pro carente *omni* honestate, *Neg.*; pro *inani* et *sterili* quoties exercetur sine auxilio gratiae, *Conc.* — *Cdt. min.* Qui facit actionem honestam ex inani gloria vel ob finem per se bonum, sed excludendo ordinationem actionis et boni intenti ad Deum, perverse agit, siquidem a Deo se avertit ; verum qui intendit honestatem actionis, in eaque sistit nec tamen ulteriorem ordinationem in Deum excludit, is honeste agit, et de eo non loquitur Augustinus.

181. — CONTRA II^m PARTEM. Obj. 6°. Paulus ad Rom. XIV, 23 scribit : « Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est. » Ergo omnia opera infidelium peccata sunt. — Confirmatur ex Augustino qui saepe, maxime autem contra Julianum ([3]), citatis Apostoli verbis Julianum premit, ut probet nullas in infidelibus esse veras virtutes.

Resp. 1. *Ad Paulum :* a) Patres omnes, graeci et latini, ante s. Augustinum, et multi post ipsum, Apostoli verba intelligunt non de fide theologica, sed de firma persuasione, seu de dictamine conscientiae ; itaque ponunt hunc esse sensum : Omne, quod non fit ex conscientia dictante id esse licitum, peccatum est. b) Haec interpretatio omnino conformis est contextui et scopo Apostoli ; agit enim ibi de ciborum

([1]) Aug. *De gr. Chr.* l. I, c. XXVI. M. XLIV, 374. — ([2]) Id. L. XIX *de Civ. Dei*, c. XXV. M. XLI, 656. — ([3]) Aug. *Cont. Jul.* l. IV, c. III, n. 24. M. XLIV, 750.

delectu, et dicit quod quivis manducat cibum, quem credit illicitum, peccet, quia contra conscientiam agit. Conformis etiam est loco parallelo I Cor. VIII, 1-11, ubi de eodem casu sermonem faciens ter rationem peccati repetit ex eo quod quis contra conscientiae dictamen manducet idolothyta. — c) Concilium Lateranense IV, c. XLI, textum Apostoli de conscientiae dictamine exposuit dicens : « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis. » — Quare respondetur *distinguendo :* Quod non est ex bona fide, h. e. juxta dictamen conscientiae, illud est peccatum juxta Apostolum, *Conc. ;* quod non est *ex fide theologica*, *Neg.*

2. *Ad Augustinum* : Conceditur s. Doctorem interpretari Paulum de fide theologica. Hoc concesso, remanet duplex responsio ; altera explicat vocem *non ex fide*, altera *peccatum :* a) *Dist.* Quod *contra* fidem fit seu ex infidelitate, puta eleemosyna data in honorem Jovis, id est peccatum, *Conc.* ; quod fit, *absente fide*, *Neg.* b) *Dist.* Quod fit, absente fide, est peccatum *sensu lato*, seu non conducit ad vitam aeternam, *Conc.;* est peccatum *sensu presso*, *Neg.*

Obj. 7°. In epistola ad Hebraeos XI, 6 legitur : « Sine fide impossibile est placere Deo. » Atqui qui actum moraliter bonum ponit, placet Deo. Ergo sine fide nullus talis actus ponitur. *Prob. min.* Qui actum honestum ponit, vel placet Deo vel displicet. Atqui non displicet. Ergo placet.

Resp. Probat Paulus fidem esse necessariam ut quis ad justitiam et ad vitam aeternam perveniat. Ii autem soli dicuntur placere Deo qui sunt justi ; ceteri displicent ; non ideo tamen omnes eorum actus displicent seu odiosi sunt Deo. Quare *Dist. Maj.* Sine fide impossible est *ut aliqua persona* Deo placeat, *Conc.* ; ut aliquis *actus* placeat, *Subd.* placeat, h. e. conducat ad vitam aeternam, *Conc.* (requiritur enim non modo fides, sed et status gratiae) ; impossibile est ut placeat, h. e. ut non sit *positive odiosus Deo*, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 8°. Paulus ad Titum I, 15 ait « Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum mens et conscientia. » Itaque nulla opera infidelium sunt munda. Atqui quod est immundum, id non est moraliter bonum. Ergo.

Resp. Paulus refutat errorem judaizantium qui certos cibos reputabant immundos adeoque videbantur existimare legem mosaicam adhuc vigere. Docet Paulus nullum cibum esse immundum christianis : « Omnia, ait, munda mundis, » sc. christianis in sanguine Christi mundatis, nullus cibus ex se, vel ex lege immundus est. Coinquinatis autem et

infidelibus, et judaizantibus nullus cibus est mundus, ob eorum scilicet infidelitatem et conscientiam erroneam. Cum nempe ducunt ex lege mosaica a carne suilla abstinendum esse, vel abstinent ab illa, et sic contra fidei veritatem peccant (saltem materialiter) superstitione ; vel non abstinent, et sic peccant formaliter contra conscientiam sibi dictantem abstinendum esse. Itaque : « Inquinatae sunt eorum mens et conscientia, » sc. mens per errorem suum, conscientia per peccatum, quod erroris sui fructus et effectus est. Manifestum est ex his verbis concludi non posse *omnia* infidelium opera esse proprie peccata. Quamobrem *negatur major* et *negatur suppositum.* Supponit enim objectio « nihil esse mundum » significare « *nullum opus esse mundum.* »

Obj. 9°. S. Augustinus in variis locis asserit liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valere, ex quo concludit nullas esse infidelium virtutes, sed omnia eorum opera esse peccata ([1]). Ergo.

Resp. *Dist. antec.* Juxta Augustinum opera infidelium sunt *ut plurimum* peccata, aut omnia opera *ex infidelitate* facta sunt peccata, aut *quoties resistitur Dei gratiae*, *Conc.; nullum* datur aut dari potest opus ab infideli patratum quod non sit peccatum, *Subd.* quod non sit *peccatum sensu lato*, seu quod non sterile sit et inane, quod sit meritorium regni caelorum et gaudeat bonitate morali *sensu strictiori, Conc.;* quod non sit peccatum *sensu stricto* et gaudeat bonitate morali sensu quidem proprio, verum *latiori*, *Neg.*

182. — CONTRA III^m PARTEM. Obj. 10°. « Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore » (Gen. VI, 5. Cfr. VIII, 21). — « Respondit eis Jesus : Amen, amen dico vobis : quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati... Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis » (Joh. VIII, 34-36). — « Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato » (Rom. VII, 14. Cfr. VII, 15-17). Ergo nullus actus honestus poni potest sine auxilio gratiae.

Resp. *Ad Gen.* VI, 5. Tantum asseritur homines fuisse pronos ad malum et de facto deditos flagitiis; itaque non asseritur impotentia moralis faciendi ullum actum bonum. Praeterea non asseritur nullum prorsus actum bonum fuisse elicitum, omnes prorsus homines flagitiosam vitam duxisse, siquidem Noe cum familia sua recte egit vitam. Quare universalitas hominum et actuum perversorum non est physica,

---

([1]) Sic a) l. I *Retract.* c. XV, n. 4 ; b) l. *de sp. et litt.* c. III, n. 5 ; c) *Enarr. in ps.* XXXI in praef. ; d) l. *de gestis Pelagii*, c. XIV. e) *Contra Julianum*, l. IV, c. III. M. XLIV, 743.

sed moralis. Demum non denegatae fuerunt a Deo gratiae actuales, siquidem narratur Noe diu homines excitasse ad paenitentiam. Itaque *objectio probat nimis*, cum ex ea, si esset valida, consequeretur non sufficere gratiam actualem, sed exigi gratiam sanctificantem ad recte agendum.

Ad Joh. VIII, *34.* Eo quod peccator dicitur esse *servus peccati*, non sequitur eum omni actu peccare, quemadmodum ex eo quod quis est justus non sequitur eum semper honeste agere. Et re quidem vera peccator est servus peccati, quia jam non est filius adoptivus Dei, sed obnoxius damnationi adeoque diabolo; quia in statu peccati juvatur paucioribus Dei auxiliis et sic frequentiores fiunt lapsus; denique quia indiget Dei gratia ut salutariter eum paeniteat et reconcilietur Deo.

Ad Rom. VII, *14.* Apostolus tota hac epistolae parte (vv. 10, 25) loquitur in persona veteris hominis. Hic autem vetus homo dicitur carnalis, h. e. carni obtemperat, sequitur appetitum sensuum, non vero dictamen rationis, perficit desideria carnis (Gal. V, 16). Metaphorice additur veterem hominem venumdari sub peccato, quorum verborum hic est sensus: instar venumdati mancipii subjectus est dominio innatae concupiscentiae. — Porro ex hoc versiculo et ex sequentibus colligitur quidem hominem gratiae auxilio destitutum esse moraliter impotentem diu servandi legem naturalem et vincendi tentationes graves quaslibet, speciatim tentationes concupiscentiae carnalis; verum nullatenus ex iisdem verbis concludi potest eum esse impotentem eliciendi ullum actum honestum, nisi juvetur Dei gratia.

Obj. 11°. *Ex Milevitano,* canone 4° (Denz. n. 68). Gratiae Dei tribuendum est quod non peccemus, quod facere diligamus et valeamus id quod faciendum cognoverimus. Atqui hoc falsificatur, si vires naturales sufficiunt ad honeste agendum. Ergo. — Confirmatur ex Caelestino P. I referente sententias Innocentii P. I, Zosimi P. : « Quod nemo, ait, nisi per Christum, *libero bene utatur arbitrio*, idem magister (Innocentius P. I) in epistola ad Milevitanum Concilium data praedicat... » (Denz. n. 91). Atqui falsum est neminem bene uti libero arbitrio, si hoc arbitrium ornatur potentia morali edendi opera honesta. Ergo.

Resp. *Ad Milevitanum: Dist. maj.* Gratiae Dei tribuendum est quod non peccemus, quoties *graviter tentamur*, quod *per notabile tempus* facere diligamus et valeamus quae lege divina praescribi cognoverimus; eidem gratiae tribuendum est quod non peccemus *lato sensu*, et quod *salutariter* facere diligamus et valeamus ea quae facienda cognoverimus, *Conc.;* eidem gratiae semper tribuendum est, etiam non urgente tentatione

gravi, quod non peccemus *sensu presso,* quod *honeste*, non tamen *salutariter*, facere valeamus singula ex his quae lege Dei praescribuntur, *Neg.* — *Cdt. min.*

Ad verba Caelestini P. I: Dist. maj. Nemo sine viribus gratiae utitur libero arbitrio bene, h. e. *salutariter*, aut utitur *diu honeste*, aut *urgente gravi tentatione*, *Conc.;* bene, h. e. *honeste* et *non urgente gravi tentatione*, *Neg.* — *Cdt. min.* — Cfr. annot. praeviam.

Inst. Atqui sine gratia nemo umquam utitur honeste libero arbitrio, nec honeste facere diligit et valet quae facienda cognoverit. Etenim Milevitanum et Caelestinus non ponunt distinctionem inter actus honestos salutares et actus honestos non salutares. Ergo dicendum est eorum judicio nullum actum honestum fieri posse sine auxilio gratiae.

Resp. *Dist. ant.* Non faciunt *explicite* distinctionem, *Conc.;* eam non faciunt *implicite*, seu eam esse faciendam non eruitur ex scopo, ex statu controversiae, ex cogente ratione, *Neg.*

Obj. 12°. *Ex Arausicano II*, can. 9 et 22 (Denz. nn. 152, 165). Mendacium, peccatum, injustitia non sunt actus moraliter boni. Atqui juxta Arausicanum homo agens solis naturae viribus non efficit nisi mendacium, peccatum et injustitiam. Ergo nullum actum moraliter bonum efficit, nisi juvetur auxilio gratiae.

Resp. *Dist. maj.* Mendacium, peccatum et injustitia non sunt actus moraliter boni *conducentes ad regnum caelorum*, *Conc.;* non sunt actus *honesti* quidem, verum *steriles* et *inanes*, cum nullatenus sint meritorii gratiae sanctificantis et vitae aeternae, *Subd.* si haec vocabula mendacium etc. sumuntur *sensu presso*, non significant actus honestos, *Conc.;* si sumuntur *sensu lato* non valent actus honestos denominare *prouti opponuntur actibus salutariter bonis*, in quibus nempe solis deprehenditur veritas, bonitas et justitia quae vere proficuae sunt homini, *Neg.* — *Cdt. min.* Homo ex se non habet nisi mendacium, peccatum, injustitiam, *sensu presso*, *Neg.;* aut sensu presso aut sensu lato, *Conc.* — *Dist. cons.* Ergo homo ex se nullum valet elicere actum bonum *qui sit salutaris*, *Conc.;* nullum actum *honestum* licet *inanem et sterilem*, *Neg.*

Inst. Atqui juxta Arausicanum homo ex se non habet nisi peccatum, mendacium et injustitiam sensu presso.

Prob. a) Arausicanum non tribuit hisce vocabulis significationem quam nullus homo sive doctus sive rudis eis attribuit. Atqui nullus homo tribuit haec nomina actibus moraliter quidem bonis, verum ad salutem non conducentibus. Ergo. — b) Actibus moraliter quidem bonis, verum non conducentibus ad salutem, deest tantum major veri-

tas, bonitas, justitia. Atqui nemo vocat mendacium, peccatum, injustitiam actus qui sunt boni, veri, recti, quia eis deest major veritas, bonitas, rectitudo. Ergo.

Resp. Si homo non fuisset elevatus ad finem supernaturalem, actus naturaliter honesti numquam vere vocari possent mendacium, peccatum, injustitia; immo si non attenditur expresse ad praesentem ordinem et si actus naturaliter honesti non opponuntur ad actus honestos auxilio gratiae elicitos qui soli sunt salutares, etiam tunc non valent sic denominari. Verum merentur has appellationes, ubi opponuntur ad actus salutares. Jamvero fit haec oppositio, quotiescumque asseritur hominem ex se non habere nisi mendacium, peccatum, injustitiam, uti ex statu controversiae manifestum est. Quamobrem *neg. min. subs.*

Ad 1m probat. *distinguitur major:* Arausicanum non tribuit hisce vocabulis significationem quam nullus homo eis tribuit *in praesenti ordine, cum eos opponit ad actus salutares, Conc.;* quam nullus homo eis tribuit *in alia oeconomia* et in praesenti oeconomia *cum non intendit facere praedictam oppositionem, Neg. Cdt. min.*

Ad 2m probationem etiam *distinguitur major:* Actibus moraliter bonis et non salutaribus deest tantum *qualiscumque* major veritas, bonitas, rectitudo, *Neg.;* deest ea major veritas, bonitas, rectitudo ratione cujus defectus hi actus sunt *inanes et steriles, Conc. — Cdt. min.*

Inst. Atqui ex scopo intento et ex statu controversiae non patet Arausicanum usurpare haec vocabula sensu latiori. Scopus enim Arausicani est refellere semipelagianos qui asserebant homines per actus quibus constat initium fidei posse mereri gratiam necessariam ad augmentum fidei. Atqui ad hunc scopum attingendum nihili interest asserere hos actus non esse supernaturales, siquidem semipelagiani non tuebantur oppositum; contra efficaciter attingitur scopus dicendo actus naturales non esse nisi mendacium, peccatum, injustitiam. Ergo.

Resp. a) Non contendimus ab Arausicano explicite asseri actus ex gratia factos esse supernaturales: supernaturalitas enim horum actuum nonnisi ratiocinio colligitur ex variis quae asseruntur a Conciliis, a Patribus et a Scriptura; sed tantum affirmat Arausicanum actus solis naturae viribus elicitos esse inanes, steriles, non salutares; id autem significat dicendo hominem ex se non efficere nisi mendacium, peccatum, injustitiam. Jamvero scopus plane obtinetur si haec nomina sumuntur sensu latiori; aliunde vero vetat ratio cogens ne intelligantur sensu presso. Quamobrem negatur suppositum quod latet heic sub minori. — b) *Conc. maj. Dist. 1a pars min.* Ad scopum attingendum non

interest *explicite* asserere hos actus non esse supernaturales, *Transm.;* id asserere *implicite*, dum asseruntur *non esse salutares*, *steriles, peccata sensu lato*, *Neg.* — *Dist. 2ª pars min.* Ratio efficax, *non tamen necessaria* et quae insuper cogenti argumento apparet esse *falsa*, traditur, cum actus quibus constat initium fidei affirmantur esse sensu presso mendacium, peccatum, injustitia, *Conc.;* ratio efficax traditur, *non tamen necessaria* et praeterea *evidenter falsa*, *Conc.*

Obj. 13°. *Ex Augustino.* Saepius asserit liberum arbitrium sine gratia nonnisi ad peccandum valere, nullum actum bonum posse efficere, non esse nisi vitiosam cupiditatem ([1]). Ergo juxta Augustinum arbitrium ex se nullum actum honestum facere potest.

Resp. *Dist. ant.* Juxta Augustinum arbitrium ex se *ut plurimum*, vel cum occurrit *tentatio gravis* non valet nisi ad peccandum, *Conc.*; *numquam* valet ad actum bonum, nonnisi ad peccandum valet, *Subd.* numquam valet ad actum insignem bonitate *perfecta* et sensu *strictiori*, tantum valet *ad peccatum saltem sensu lato*, *Conc.*; numquam valet ad actum insignem bonitate vera quidem, *inani* tamen et *sterili*, sed non valet nisi ad *peccatum sensu presso, Neg.* Cf. annot. praeviam.

Inst. Atqui juxta Augustinum liberum arbitrium ex se non valet nisi ad peccatum sensu presso. Ex his enim quae asserit contra Julianum ([2]) sic arguitur: Quod punitur a Deo est peccatum sensu presso et formali. Atqui juxta Augustinum l. c. homo punietur a Deo ob observationem legis solis naturae viribus. Ergo.

Resp. a) Ipse Augustinus in hoc loco fatetur nihil aliud deesse observationi legis divinae ex solis naturae viribus, nisi quod non fuerit ordinata ad finem supernaturalem. Ergo favet sententiae quam tuemur, nedum ei adversetur. — b) Duplex interpretatio traditur hujus loci: α) Punientur adulti, *non obstante* hoc quod observaverunt Dei legem; punientur nempe quia eis non fuit remissum peccatum originale; et punientur remissius, quia observaverunt legem Dei. Inde *Conc. maj. Dist. min.* Punientur adulti *ob observationem legis*, *Neg.; non obstante hac observatione*, *Conc.* β) Ipsi hi actus punientur quia non fuerunt debito modo ordinati ad Deum; verum remissius punientur quia fuerunt naturaliter honesti Inde *Dist. maj.* Quod punitur a Deo *ob defectum omnis honestatis* est peccatum sensu presso, *Conc.;* quod punitur unice *ob defectum relationis ad finem supernaturalem, Neg.* — *Cdt. min.*

([1]) Sic *contra duas Pelagii epist.* l. III, c. VIII, n. 24; *ep.* CLVII, n. 5.
([2]) AUG. *Contra Julian.* l. IV, c. III, n. 25. M. XLIV, 751. Vid. p. 322 ad calcem.

Obj. 14°. *Ex ratione.* Honestus non est actus qui non refertur ad finem ultimum. Atqui actus ex solis naturae viribus elicitus non refertur in finem ultimum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Actus qui non refertur *explicite* et *formaliter* in finem ultimum, non est honestus, *Neg.;* qui non refertur saltem *virtualiter* in finem ultimum, *Subd.* qui neque refertur in finem *naturalem* neque in finem *supernaturalem. Conc.;* qui non refertur in finem *supernaturalem*, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui nullus actus referri potest in finem naturalem. Etenim nequit referri in finem qui non exsistit adeoque non est attingibilis. Atqui finis naturalis non exsistit. Ergo.

Eadem objectio sic adhuc proponitur : Ut actus sit honestus, debet tendere in finem ultimum. Atqui actus ex solis naturae viribus elicitus non tendit in finem ultimum. Ergo. — *Prob. min.* Tenderet hic actus aut in finem naturalem, aut in finem supernaturalem. Atqui actus elicitus ex solis naturae viribus non tendit in finem naturalem, siquidem hic finis non exsistit : neque tendit in finem supernaturalem, siquidem ei deest proportio ad hunc finem. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Nullus actus refertur in finem qui *per se* non exsistit, *Transm.;* qui non exsistit *per accidens*, quia Deus positiva voluntate ei substituit finem altiorem in quo virtualiter continetur iste alius finis, *Neg. Cdt. min.* — b) *Dist. maj.* Nullus actus refertur *efficaciter* in finem qui non exsistit, *Conc.;* non refertur *intentionaliter* licet *inefficaciter*, *Subd.* in finem qui non exsistit neque formaliter in se, neque *virtualiter* in alio fine altiori, *Conc.;* in finem qui non exsistit *formaliter* in se, *Neg. Cdt. min.* — Actus solis naturae viribus elicitus potest explicite et formaliter referri in Deum. Verum hoc non exigitur ad honestatem actus; sufficit enim ut referatur virtualiter. — Porro hic actus per se tendit in finem ultimum: hic enim finis per se est naturalis. Per accidens, quia nempe Deus positiva voluntate substituit huic fini finem supernaturalem in quem tenditur fide, spe, caritate et omni actu ex gratia elicito, per accidens, inquam, fit ut actus honestus naturae viribus sine gratia elicitus in nullum finem efficaciter tendat, adeoque inanis sit et sterilis ; verum non exigitur efficax tendentia ad honestatem actus, sufficit enim ut per se tendat in finem huic actui proportionatum et ut non explicite excludatur relatio ad eum finem quem Deus positive instituit.

183. — CONTRA IV^m PARTEM. Obj. 15°. Licet voluntas ex natura rei possit honeste agere sine auxilio gratiae, attamen de facto potentia non transit ad actum, sed, ob legem libere a Deo latam, auxi-

lium gratiae se inserit actioni cuilibet honestae. Secus enim explicari nequeunt Joh. XV, 5: « Sine me nihil potestis facere; » nec Sap. VIII, 21: « Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. »

Resp. a) Argumentum nimis videtur probare, adeoque nihil: si enim asseritur agi in textibus allatis de qualibet operatione honesta, et de qualibet victoria a qualibet tentatione, asseri videtur impotentia petita ex natura rei, non vero consequens tantum ad liberum Dei decretum. — b) *Dist. 1m*: Sine me nihil *salutariter* potestis facere, *Conc.;* nihil honeste, *Neg.* — *Dist. 2m*. Nisi Deus det non possum esse continens, quia natura moraliter impotens est vincendi *tentationes graves*, *Conc.;* alia de causa, *Neg.*

Obj. 16°. Patres saepe indefinite asserunt gratiam exigi ad non peccandum, ad vincendas tentationes, ad operandum bonum, nulla facta distinctione inter tempus longum aut breve observationis legis, tentationes graves aut leves, bonum supernaturale aut naturale. Atqui haec loquendi ratio ostendit gratiam exigi ad singula opera honesta; sed non exigitur ex natura rei, ergo ex lege divina. Ergo.

Resp. a) Ex iisdem Patrum testimoniis colligit Ripalda voluntatem esse *physice* impotentem eliciendi ullum actum salutarem, vincendi salutariter ullam tentationem. — b) Patres in istis locis non loqui nisi de *diu* vitandis venialibus, de vincendis tentationibus *gravibus*, adeoque, iis urgentibus, de vitando lethali, demum de operatione salutari, manifestum est quia iidem Patres in aliis locis diserte affirmant hominem sine gratia posse vincere tentationes leves, aliquo tempore servare legem, efficere nonnulla opera moraliter bona.

Obj. 17°. Angelicus haec habet: « Si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei per quam interius motum mentis operatur.... sic nullum bonum homo potest facere sine gratia Dei » (1).

Resp. Aquinatem non loqui nisi de actu salutari constat ex iis quae adduntur: « Et exteriora ordinat ad hominis salutem; » constat etiam quia in superioribus non requirit nisi concursum Dei generalem ad operationem naturaliter honestam (2). Ceterum videtur

(1) S. Th. *De verit.* q. XXIV, a. 14.

(2) Ib. « Illud autem bonum, quod est naturae humanae proportionatum, potest homo per liberum arbitrium explere.... Quamvis autem hujusmodi bona homo possit facere sine gratia gratum faciente; non tamen ea potest facere sine Deo, cum nulla res possit in naturalem operationem exire, nisi virtute divina, quia causa secunda non agit, nisi per virtutem causae primae, ut dicitur in lib. *de causis*. Et hoc verum est tam in naturalibus agentibus, quam in voluntariis. »

argumentum nimis probare: constat quia sequi videtur gratiam requiri ex natura rei.

S. Thomam censere arbitrium sine gratia aliqualem actum bonum elicere posse, constat ex modo quo interpretatur verba Augustini comparantis liberum arbitrium, gratia destitutum, tibiae curvae quae, si ambulat, non potest non claudicare: « Exemplum Augustini, ait, de curvitate quantum ad aliquid non est simile; quia scilicet non est in potestate tibiae, ut utatur curvitate, vel non utatur; ideo oportet omnem motum tibiae curvae claudicationem esse (si nimirum ambulet). Liberum autem arbitrium potest uti, vel non uti sua curvitate ; et ideo non oportet, quod in omni actu suo peccet, sed potest quandoque vitare peccatum. Est autem simile quantum ad hoc, quod non est possibile omnia vitare » (1).

Obj. 18°. *Ex Bonaventura* (2) qui concedit quidem homini non deesse facultatem actum moraliter bonum ponendi sine gratia, tenet tamen quod homo sine gratia vix aut numquam faceret nisi malum, propter peccati originalis corruptionem.

Resp. a) Bonaventura non negat nonnumquam arbitrium bene agere sine gratia ; tenet plerumque actionem objective bonam vitiari fine inhonesto. De tentationibus sic loquitur : « Liberum arbitrium omni gratia destitutum, nec potest omni tentationi resistere, nec necesse habet omni tentationi succumbere. » b) Rationem ob quam arbitrium sibi relictum inhoneste agat, petit s. Bonav. ex corruptione naturae, non vero ex positiva lege Dei. Quare parum favet Ripaldae.

Obj. 19°. Omnes actus boni de facto destinantur ad finem supernaturalem : destinantur enim ad eumdem finem atque natura ipsa. Atqui in tantum in hunc finem destinari valent, in quantum eliciuntur, juvante Dei gratia. Ergo.

Resp. a) Ex principio ad summum sequitur omnes actus honestos a justis elicitos fieri cum auxilio gratiae, quod probabilissimum videtur. Verum aliunde scitur peccatoribus obduratis et infidelibus paucas a Deo concedi gratias, adeoque paucas actiones ordinari posse tamquam dispositiones ad alias gratias et ad acquisitionem justitiae; sine ratione asseritur numquam aut nonnisi paucissimas actiones honestas elici. Ceterum nihil vetat quin hi actus dicantur disponere negative, saltem remote, ad finem supernaturalem. Quare *Dist. maj.* Omnes actus boni destinantur ad finem supernaturalem, quatenus ad eum saltem *negative*

(1) Id. *De ver.* q. XXIV, a. 12, ad 4m. — (2) BONAV. in 2 d. XXVIII, a. 2.

disponunt, *Conc.;* quatenus *eum merentur, Subd.* omnes actus justorum, *Conc.; peccatorum*, praesertim obduratorum, et infidelium, *Neg. Conc. min.* — b) *Transm. maj. Neg. min.* Etenim « etiam creare naturam propter finem supernaturalem, inquit Suarez, et conservare illam propter eumdem finem, est beneficium aliquo modo superans naturam; et tamen non propterea dicemus influxum, quo Deus conservat naturam, esse gratiam, sed solam illam ordinationem ad supernaturalem finem a quadam extrinseca gratia provenire. Et simili modo bona complexio, ingenium, conveniens educatio, immo et origo ex talibus parentibus, in tali loco, vel tempore, sunt media conducentia ad salutem, ac subinde sunt ex divina praedestinatione, et electione ordinata : et tamen in se non sunt gratiae, sed solum per denominationem extrinsecam ab electione et praedestinatione gratuita; ita ergo est in praesenti » ([1]).

ARTICULUS V.

De amore Dei super omnia.

§ 1. Status quaestionis.

184. — **Notiones.** Amor Dei dupliciter dividitur : a) ratione illius quod est notum de Deo; b) ratione objecti formalis voluntatis.

Iª Div. Amor Dei est objective naturalis aut supernaturalis. a) *Naturalis objective* amat Deum uti per solas vires naturales cognoscitur esse auctor naturae et uti est finis naturalis hominis non elevati ad statum supernaturalem. — b) *Supernaturalis objective* amat Deum ut per revelationem cognitus est esse auctor gratiae et esse finis supernaturalis. Distinctionem esse admittendam constat ex damnatis Baii prop. 34, 36. — Uterque amor potest esse subjective tum naturalis, tum supernaturalis, prouti elicitur concurrente gratia aut sine hoc concursu.

IIª Div. Ratione objecti formalis amor alius est concupiscentiae, alius benevolentiae. — a) Amor *concupiscentiae* amat Deum ratione bonitatis relativae, seu prout est bonus amanti, seu prout ejus possessio valet perficere et beare amantem. — b) Amor *benevolentiae* amat Deum ratione bonitatis absolutae, seu prout est bonus sibi et in se. — Uterque potest iterum esse subjective naturalis aut supernaturalis.

([1]) Suarez : *De Gratia*, l. I, c. xv, n. 6.

III^a Div. Amor concupiscentiae et amor benevolentiae subdividuntur in perfectum et imperfectum: — a) Qui habet *perfectum* amorem Dei, est paratus ad servanda omnia Dei praecepta, et se omniaque sua refert in Deum. Dicitur *efficax*, appretiative summus seu appretiative super omnia; ratio nominis est quia Deum pluris facit omnibus bonis creatis. — Ipse amor efficax est duplex : α) *Affective efficax*, qui consistere potest in unico actu quo Deus summe amatur et elicitur propositum placendi Deo in omnibus et vitandi omnia peccata. Advertere juvat hunc amorem sibi non proponere servare omnia praecepta sine auxilio requisito ad hoc. β) *Effective efficax* diu perseverat et importat actualem observationem praeceptorum Dei. — Uterque potest concipi fieri ex viribus naturae aut ex viribus gratiae — b) *Imperfectus* est amor, si amans non est paratus ad servanda omnia Dei praecepta, nec se totum omniaque in Deum refert.

QUAESTIO. Inquiritur utrum homo ex solis naturae viribus valeat amare Deum *amore perfecto*, seu *efficaci*, seu appretiative super omnia. Conveniunt Doctores in negando hominem habere potentiam moralem amandi Deum super omnia amore *effective efficaci*. De amore *affective efficaci* abeunt in sententias duas :

Prima, quae est Bellarmini et Suarezii, concedit quidem amorem Dei *imperfectum*, seu inchoatum, esse possibilem moraliter sine gratia; verum de *affective efficaci* id negat. Suarez eam dicit sanam, securam, probabiliorem ([1]).

Secunda, quam defendunt Molina, Cajetanus, Bañez, Dom. Soto ([2]), affirmat. — Multos theologos adhaesisse huic sententiae ostensum est in Congregationibus de Auxiliis ([3]). Eidem sententiae adhaeremus.

Itaque defendimus hominem lapsum sine auxilio gratiae posse physice et moraliter elicere actum quo α) Deum pluris facit omnibus rebus creatis; β) ipsum paenitet de peccatis praeteritis; γ) sibi proponit servare, cum Dei auxilio necessario, omnia praecepta legis divinae, adeoque placere Deo in omnibus, vitare peccata quaelibet; — attamen moraliter impossibilem esse amorem effective efficacem, quo nempe per longum tempus amor affectivus ad exsecutionem perducitur sine auxilio gratiae.

([1]) Suarez : *De gratia*, l. I, c. xxxiii, n. 1 ; c. xxxiv, n. 12 et 17. Bellarm. *De gr. et lib. arb.* l. VI, c. vii. — ([2]) Molina : *Concordia*, q. xiv, a. 13, d. xiv, memb. 3. Cajet. In II^m II^ae, q. clxxi, a. 2. Banez : In II^m II^ae, q. xxiv, a. 2. Dom. Soto : *De nat. et gr.* l. I, c. xxi. — ([3]) Cf. Liv. de Meyer : *Hist. Congr. de Aux.* l. IV, c. xi et l. V, c. x.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXVII^a. — Potest homo lapsus non modo physice sed etiam moraliter, amare Deum appretiative super omnia amore affective efficaci, non tamen amore effective efficaci.

185. — PRIMA PARS. Deus potest sine gratia amari amore affective efficaci.

Prob. I^m Arg. Ibi habetur Dei amor affective efficax, ubi dantur ista duo: a) seria volitio observandi Dei legem cum auxilio divino requisito; b) verus dolor ex dilectione Dei de peccatis praeteritis. Atqui homo habet physicam et moralem potentiam eliciendi utrumque actum sine Dei gratia. Ergo.

A. Possibile est physice ut tota lex divina diu observetur sine auxilio gratiae divinae; ergo a fortiori possibile physice est ut homo sibi proponat diu eam servare. Posita physica possibilitate, impotentia moralis non potest affirmari nisi contendendo semper valde difficile fore voluntati praeferre Deum omnibus creatis et sibi proponere observationem totius legis cum auxilio divino necessario. Atqui non perpetuo adest summa difficultas ad eliciendum hujusmodi actum. Ergo. — *Prob. min.* Difficultas eliciendi hunc actum oriretur vel ab extrinseco vel ab intrinseco. Atqui ab extrinseco non perpetuo excitatur summa difficultas; siquidem adjuncta in quibus homo versatur non raro favent exercitio virtutis, nedum tentatio gravis semper detur. Neque etiam semper oritur ab intrinseco. Etenim difficultas eliciendi hunc actum amoris Dei, ab intrinseco orta, se teneret ex parte intellectus qui bonum voluntati offert, vel ex parte voluntatis quae illud amare debet super omnia. Atqui non adest semper summa difficultas a) *ex parte intellectus.* Est enim moraliter potens, sine auxilio gratiae, cognoscendi amabilitatem Dei, vanitatem bonorum mundanorum, honestatem amoris Dei. Neque b) *ex parte voluntatis.* Etenim α) non est necesse ut efformentur proposita specialia, sed sufficit propositum generale sine distincta singulorum praeceptorum enumeratione. β) Praecepta divina non sunt omnia actu hic et nunc servanda, sed postea et successive; jamvero absentia minus movent et solent videri minus ardua quam praesentia. γ) Propositum potest efformari cum certitudine auxilii divini non defuturi exsecutioni propositorum. δ) Ad illud efformandum stimulatur voluntas cogitatione praemiorum quibus observatores legis divinae sunt praemiandi et poenarum quibus plectentur violatores.

B. *Homo non indiget gratia ad paenitendum de peccatis ex motivo dilectionis Dei.* Hoc enim colligitur tum rationibus quibus modo probatum est gratiam non esse necessariam, ne moraliter quidem, ad hoc ut quis actu intendat observare Dei legem, tum auctoritate theologorum: citat Molina s. Thomam, s. Bonav., Scotum, Canum, Gabrielem, Ockam, Cajet., Petr. de Alliaco, Marsilium, Palud., Richardum, Victorium, Vegam. « Denique, inquit, neminem hactenus me legisse memini ex doctoribus Soto et Cano antiquioribus, qui huic communi opinioni adversetur, modo Majorem excipias » ([1]).

II^m Arg. Homo in statu naturae purae fuisset insignitus potentia physica et morali amandi Deum super omnia amore affective efficaci, sine auxilio gratiae. Ergo eadem potestate insignitur homo lapsus. — *Patet ant.* quia ornatus fuisset homo in statu naturae purae potentia morali attingendi finem suum; ad hoc autem requisitus fuisset dolor de peccatis ex motivo dilectionis Dei et serium propositum observandi Dei legem. Utrumque actum potuisse elici sine auxilio Dei speciali probatur rationibus expositis in arg. praecedenti. — *Patet consequentia* quia si homo lapsus privatur potentia qua erat insignitus homo naturae purae, dicendum erit eum esse laesum in pure naturalibus per P. O., siquidem natura pura non ornabatur nisi donis naturalibus.

186. — SECUNDA PARS. MORALITER IMPOSSIBILIS EST AMOR EFFECTIVE EFFICAX.

Prob. 1. Moraliter impossibile est ut sine gratia diu servetur quoad substantiam lex divina. Atqui amor effective efficax involvit diuturnam legis observationem. Ergo. — 2. Moraliter impossibile est ut quis sine gratia vincat tentationes graves. Atqui amor effective efficax supponit ipsum impugnatum esse tentatione gravi. Etenim a) tentationes graves occurrunt cuilibet homini intra longum temporis spatium; b) illecebrae creaturarum quae postponuntur Deo, cum sensibus aut phantasia vivide apprehenduntur, solent graviter tentare.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

187. — Obj. 1°. Juxta Arausicanum in canone 25 (Denz. 168) prorsus donum Dei est diligere Deum. Atqui quod est totaliter Dei donum, non est positum in potestate morali voluntatis. Ergo.

([1]) Cf. LIV. DE MEYER, l. IV, c. XIII. Cf. etiam l. V, c. IX ubi Gregorius de Valentia ostendit Augustinum huic assertioni non esse contrarium.

Resp. Arausicanum loquitur de amore Dei *sicut oportet,* adeoque salutari, ut ex seq. constat; si simul respiceret naturalem amorem, dicendum esset non agere nisi de amore effective efficaci. Quare *Dist. maj.* Diligere *salutariter* Deum, est donum Dei, *Conc.;* diligere Deum *dilectione qualibet*, *Subd.* dilectione *effective efficaci*, *Trans.; affective efficaci*, *Neg.* — *Conc. min.* — *Dist. Cons.*

Inst. Atqui Arausicanum rejicit dilectionem Dei affective efficacem ex solis naturae viribus. Probatur ex statu controversiae cum semipelagianis. Hi affirmabant ultimum actum initii fidei esse dilectionem Dei affective efficacem, eamque fieri solis naturae viribus: admittebant enim necessitatem gratiae ad augmentum fidei, quod aiebant consistere in observatione legis divinae, adeoque in amore Dei effective efficaci. Unde sic: Arausicanum negat id quod affirmabant semipelagiani de dilectione Dei. Atqui semipelagiani non asserebant vires naturae sufficere ad amorem Dei *effective* efficacem, sed affirmabant tantum has vires sufficere ad Dei dilectionem *affective* efficacem. Ergo.

Resp. Semipelagiani affirmabant duo: sc. dilectionem Dei fieri solis naturae viribus, et hanc dilectionem esse salutarem, siquidem ponebant eam esse meritoriam gratiae requisitae ad augmentum fidei. — Arausicanum tantummodo negat hanc dilectionem esse salutarem; id vero exprimit dicendo sine gratia non posse Deum diligi sicut oportet. — Quare *Dist. maj.* Arausicanum negat id quod semipelagiani affirmabant, quatenus contendebant dilectionem Dei ex solis naturae viribus esse *salutarem*, *Conc.;* quatenus contendebant naturae viribus Deum *posse diligi*, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui Arausicanum negat id quod asserebant semipelagiani prout intelliguntur affirmare Deum diligi posse solis naturae viribus.

Prob. dupl. a) Ratio ob quam homo lapsus dicitur incapax diligendi Deum, petitur ex infirmitate liberi arbitrii, quae est sequela P. O. Atqui infirmitas ista non induxit incapacitatem diligendi Deum salutariter, siquidem liberum arbitrium hominis innocentis et integri erat pariter impotens diligendi salutariter sine gratia. Ergo restat ut in statu naturae lapsae quaelibet dilectio Dei asseveretur impossibilis, saltem moraliter. — b) Ea dilectio vocatur ab Arausicano donum Dei, quae erat constituta in libero arbitrio hominis innocentis. Atqui haec est dilectio naturalis. Ergo.

Resp. Ut rite intelligatur canon 25us Arausicani, ad sequentia adverte: 1. Distinguitur duplex gratia: a) *mere elevans* quae etiam dicitur gratia sanitatis, ex pura liberalitate: haec fuit collata Adamo; b) *medicinalis*

et elevans; dicitur esse ex misericordia. — 2. Liberum arbitrium hominis innocentis, quod heic sumitur pro voluntate seu potestate operandi, non modo carebat fomite, sed adhuc instructum erat gratia et habitibus virtutum quibus eliciuntur actus salutares. In Arausicano autem sic consideratur. Quare arbitrium hominis lapsi dupliciter inclinatum et infirmatum est : a) amissa gratia, factum est physice impotens diligendi Deum salutariter : de hac impotentia explicite loquitur Arausicanum ; b) obnoxium concupiscentiae, factum est moraliter impotens diligendi Deum amore naturali effective efficaci : fortassis haec incapacitas in obliquo connotatur ab Arausicano. Ut igitur amet Deum tum salutari amore, tum amore naturali effective efficaci, necesse est ut praeveniatur gratia medicinali et elevante ex misericordia collata. Unde pergit Concilium dicendo Abeli, etc. collatam fuisse fidem per gratiam misericordiae praevenientis.

Quare ad 1m prob. *Dist. maj.* Ratio ob quam homo lapsus dicitur incapax diligendi Deum, petitur ex infirmitate, h. e. *ex jactura triplicis gratiae* de qua supra, *Conc.; ex laesione virium naturae*, sine respectu ad amissionem gratiae, *Neg. Cdt. min.* — Ad 2m prob. *Dist. maj.* Ea dilectio vocatur Dei donum, quae erat constituta in libero arbitrio Adae, h. e. *in potestate naturali*, *Neg.* ; in potestate arbitrii *elevati gratia habituali et gratia sanitatis*, *Conc.* — *Cdt. min.*

Obj. 2°. Juxta Augustinum : « Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus » (1). « Amor Dei quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo. Per hunc amorem creatoris bene quisque utitur creaturis ; sine hoc amore creatoris nemo bene utitur creaturis » (2). « Quis istam, quamvis parvam, dare coeperat caritatem, nisi qui praeparat voluntatem ? » (3).

Resp. Per liberum arbitrium intelligit saepe Augustinus potestatem ponendi tum actum primum tum actum secundum (4), et per dilectionem Dei intelligit amorem supernaturalem. Liberum arbitrium hominis innocentis includebat gratiam et proinde erat potestas amandi Deum supernaturaliter. Inde haec verba « liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus » haud secus atque canon 25 Araus. hunc sensum faciunt : Adamus habuit potestatem diligendi

(1) Aug. *Ep.* cvii *ad Vitalem.* — (2) Id. L. IV *Contra Jul.* c. iii. — (3) Ib. c. xvii.

(4) In II. ad *ad Bonif. cont. duas. epist. Pelagianorum*, cap. ii, n. 5, scribit : « Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed *illa quae in paradiso fuit*, habendi plenam cum immortalitate justitiam. Unde natura humana divina indiget gratia, dicente Domino : « Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. » M. XLIV. 552.

Deum supernaturaliter, ratione donorum supernaturalium voluntatem ejus informantium, hanc potestatem amisimus vi P. O. — Insuper si ageretur de amore naturali, tantum excluderetur amor effective efficax.

Obj. 3°. Non pauci Patres asserunt ideo creaturam posse diligere Deum, quia a Deo per gratiam est creata in statu naturae perfectae et integrae ; in hoc quidem statu non indiguisse hominem auxilio gratiae ad diligendum Deum, contra vero in statu naturae lapsae. Sic Leo Magnus, Gregorius Magnus, s. Thomas ([1]).

Resp. Haec et similia explicantur uti modo explicatus est Augustinus.

Obj. 4°. Per concupiscentiam homo avertitur a Deo et inclinatur ad creaturas. Atqui, his stantibus, moraliter impossibilis est Dei amor super omnia etiam affective efficax. Ergo. — *Prob. min.* Mandatum de amore Dei est maximum; ipse amor est difficillimus. Atqui moralis impotentia consequens ad concupiscentiam imprimis profecto afficit id quod est difficillimum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ita avertitur homo ut numquam possit amore *affective efficaci* se convertere sine gratia, *Neg.;* avertitur et inclinatur ad creaturas, h. e. facile res sensibiles alliciunt voluntatem, et facile enascuntur tentationes quae sine gratia superari nequeunt, adeoque moraliter impossibilis est amor Dei *effective efficax*, *Conc.* — Ad prob. *Dist. maj.* Amor Dei *effective efficax* est difficillimus, *Conc.;* amor *affective efficax, Subd.* est difficillimus *relative* seu difficilior quolibet alio amore, *Transm.;* est *absolute* difficillimus seu superat vires naturales naturae, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 5°. Amor affective efficax includit haec tria: a) odium omnium rerum adversantium legi divinae; b) propositum omnia subeundi potiusquam Deum offendere; c) dispositionem servandi totam legem et vincendi quaslibet tentationes. Atqui singula sunt moraliter impossibilia sine gratia. Ergo. — *Prob.* 1ª *pars min.* Qui potest odisse omnia adversantia legi, potest totam legem observare, quod est impossibile sine gratia. — *Prob.* 2ª *pars min.* Propositum subeundi omnia mala est actus heroicus. Atqui talis actus est moraliter impossibilis sine gratia.

([1]) Leo M. « Rationalis creatura ideo dilecta, ideo quaesita est, ut et ipsa ex non quaerente quaerens et ex non diligente sit diligens, dicente Apostolo: « Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. » *Serm.* XLVIII, al. X *in quadrag.* c. I.

Greg. M. L. XXIII *Mor.* c. XX, n. 25.

S. Th. « Homo in statu naturae integrae non indigebat dono gratiae superadditae naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis ; sed in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis. » Iª IIªᵉ, q. CIX, a. 3.

Ergo. — *Prob.* 3ª *pars min.* Observare totam legem est amor effective efficax. Atqui ex 2ª parte hic superat vires morales naturae lapsae. Ergo.

Resp. Conceditur 1ª pars majoris et *negatur* 1ª *pars minoris.* Ad prob. *Dist. maj.* Qui potest uno aliquo actu odisse omnia adversantia legi divinae, potest hoc actu sibi *proponere* observationem successivam totius legis, *Conc.*; potest sine gratia *observare* legem, *Neg. Cdt. min.* — *Dist.* 2ª *pars maj.* Amor affective efficax includit propositum *generale* subeundi, juvante Dei auxilio, omnia mala, quae tamen distincte non debent proponi menti, *Conc.;* includit propositum se extendens ad singula *in particulari* obversantia menti, *Neg. Cdt. min.* Ad prob. respondetur eodem modo. — *Dist.* 3ª *pars maj.* Amor affective efficax reddit dispositum ad servandum sine gratia legem quae *actu urget*, et ad vincendas sine gratia tentationes quae *actu* sollicitant, *Neg.;* reddit dispositum ad observandum cum auxilio divino legem quae *postea* urgebit et ad vincendas cum eodem auxilio tentationes quae *postea* sollicitabunt, *Conc.* — *Cdt. min.* — Ad prob. respondetur eodem modo.

Obj. 6°. Ratione : Si homo peccator posset viribus naturae diligere Deum supra omnia, iisdem viribus vel auferret peccatum habituale, vel cum peccato habituali in eo remanente componeret Dei dilectionem supra omnia. Atqui utrumque est impossibile. Ergo.

Resp. Peccatum lethale habituale tolleretur totaliter in statu naturae purae ; tollitur partialiter in statu naturae elevatae. In hoc enim statu includit aversionem a Deo fine naturali et aversionem a Deo fine supernali. Dilectio Dei naturalis a peccatore elicita gignit conversionem naturalem ad Deum, adeoque tollit aversionem a fine naturali ; verum non potest gignere conversionem ad Deum, finem supernaturalem, seu gratiam sanctificantem, adeoque nequit tollere aversionem a fine supernaturali. Attamen ad eam disponit negative.

Inde *Dist. maj.* Vel posset homo viribus naturae tollere *aversionem a Deo fine naturali*, vel dilectio naturalis componeretur *cum peccato habituali philosophico*, h. e. cum aversione a Deo fine naturali, *Conc.;* vel viribus naturae tolleret aversionem *a Deo fine supernaturali* adeoque induceret conversionem ad Deum finem supernaturalem quae habetur beneficio gratiae sanctificantis, vel componeret dilectionem naturalem Dei cum peccato habituali philosophico seu aversione a Deo fine naturali, *Neg.:* datur enim medium, siquidem dilectio Dei naturalis tollit aversionem a Deo fine naturali. — *Cdt.* 1ª *pars min.* Impossibile est ut tollat homo viribus naturae peccatum habituale *philosophicum*, seu aversionem a Deo fine naturali, *Neg.;* peccatum habituale *theologicum*,

Conc. — *Cdt.* 2ª *pars min.* Impossibile est ut componat dilectionem Dei naturalem cum peccato *theologico*, *Neg.;* cum *philosophico*, *Conc.*

Inst. Atqui impossibile est componere dilectionem Dei ex solis naturae viribus cum aversione habituali a Deo fine supernaturali. Etenim impossibile est componere conversionem ad Deum finem supernaturalem cum aversione a Deo fine naturali. Ergo a pari impossibile est componere aversionem a Deo fine supernaturali cum conversione ad Deum finem naturalem. — *Probatur paritas.* Ratio ob quam repugnat componere conversionem ad finem supernaturalem cum aversione a fine naturali, est quia homo foret conversus ad duos fines ultimos sibi non subordinatos, sc. Deum et creaturam. Atqui idem inconveniens daretur, si homo esset conversus ad finem naturalem et aversus a Deo fine supernaturali. Etenim ubi datur aversio ab uno termino, ibi datur conversio ad terminum oppositum: ergo ubi datur aversio a Deo fine supernaturali, ibi datur conversio ad creaturas.

Resp. *Negatur paritas.* Conversio ad Deum finem supernaturalem includit conversionem ad finem naturalem cui superaddit perfectionem visionis intuitivae; inde coexsistere nequit cum aversione a fine naturali. Contra cum conversio ad Deum finem naturalem non includat conversionem ad finem supernaturalem, dari potest sine ea, adeoque coexsistere potest cum privatione gratiae sanctificantis. — Ad probat. *Conc. maj. Neg. min.* Conversio ad finem naturalem est imperfecta, caretque conversione ad finem supernaturalem; verum ex eo quod homo privatur sola conversione ad finem supernaturalem, non consequitur eum converti ad creaturas; huic conversioni enim ad finem supernaturalem etiam opponitur conversio ad finem naturalem.

Obj. 7°. De ratione finis ultimi intenti est ut homo omnes affectus actuales et habituales voluntatis ipsi subjiciat. Atqui hoc non datur, si homo conversus ad finem naturalem est aversus a fine supernaturali. Ergo. — *Prob. min.* Aversio a Deo fine supernaturali non potest referri ad Deum finem naturalem. Ergo omnes affectus non referuntur.

Resp. *Dist. maj.* De ratione finis ultimi est ut homo omnes affectus *positivos* subjiciat fini ultimo, *Conc.;* ut omnes affectus *negativos* seu carentiam affectuum subjiciat, *Neg.* — *Cdt. min.* Homo naturaliter conversus ad Deum non excludit positivo actu conversionem ad finem supernaturalem, quasi eum respueret, sed simpliciter ejus actus, quia non est elevatus, caret ulteriori conversione supernaturali.

CAPUT V.

De gratia sufficienti.

Postquam actum est tum de gratia in genere, tum in specie de gratia excitante et de adjuvante, considerandae speciatim veniunt duae aliae gratiarum species, nempe gratia sufficiens et gratia efficax. De prima specie quaeritur: a) num *detur* gratia sufficiens; b) quisnam sit ejus *effectus formalis* seu quid tribuat homini; c) utrum ei per modum *proprietatis* competat quod sit Dei beneficium; d) quodnam sit ejus *subjectum*, seu quomodo fiat *distributio* gratiae sufficientis. — In hoc capite de tribus prioribus fiet investigatio.

ARTICULUS I.

De exsistentia gratiae sufficientis.

§ 1. Status quaestionis.

188. — Notiones. Uti ex hactenus disputatis manifestum est, gratia interna est donum Dei indebitum, facultati inhaerens, eam elevans et adjuvans ad operandum salutariter. — Gratia divisa est in excitantem et adjuvantem. — Excitans reponitur in illustratione et inspiratione, quae voluntatem movent ad consentiendum salutariter. — Adjuvans stat in principio quod supernaturalitatem dat actui salutari; ostensum autem est istud principium esse ipsam gratiam excitantem et habitum infusum, cum physice influant in effectionem actus salutaris; utrum praeterea detur aliud principium gratiae adjuvantis, dispicietur in capite sequenti. — Gratia quae sortitur effectum, seu cui arbitrium praestat libere consensum et quae proinde cum voluntate efficit actum salutarem, vocatur *efficax*. Includit itaque gratiam excitantem, cui nempe homo consentit, et gratiam adjuvantem quae dat consensui supernaturalitatem. Antecedenter ad consensum praestitum, gratia, quae fuit efficax, erat *praecise sufficiens* ad hoc ut sequeretur consensus salutaris, seu praestabat plenam potestatem salutariter agendi. Verum omnis gratia excitans non est efficax; ea enim cui voluntas renuit consentire, fuit tamen sufficiens ad obtinendum finem suum, uti brevi ostendetur; haec gratia sufficiens, cum frustrata sit suo effectu seu inefficax sit, dicitur *pure sufficiens*. — Porro alia gratia dicitur *proxime*

sufficiens, alia *remote*, prouti sufficit ad eliciendum immediate actum salutarem respectu cujus consideratur, aut non sufficit nisi ad eliciendum alium actum salutarem (puta orationem) qui merebit ulteriorem gratiam excitantem quae erit proxime sufficiens ad ponendum actum salutarem qui intendebatur (puta victoriam de tentatione). — Ex his efflorescunt sequentes definitiones.

A. Definitur *gratia sufficiens*. Est auxilium supernaturale praestans homini potentiam sufficientem, h. e. proportionatam et necessariam, ad operandum salutariter; aut etiam dicitur gratia interior praeveniens, tribuens per seipsam potestatem expeditam operandi salutariter. — Dicitur *vere sufficiens* si potestas quam confert est vera, plena et expedita.

B. Dividitur in praecise, positive et pure sufficientem. In gratia nempe sufficienti attendi potest sufficientia, prorsus praecisa efficacia aut inefficacia et habetur gratia *praecise* sufficiens; connotari potest efficacia aut inefficacia et habetur gratia *positive* aut *pure* sufficiens. — a) *Praecise* sufficiens confert praecise potestatem agendi ac *praescindit* ab hoc utrum consequatur finem ob quem data est, an secus, h. e. utrum facta sit efficax an pure sufficiens. — b) *Positive* sufficiens *consequitur finem*, adeoque confert potestatem agendi et actum supernaturalem qua talem. — c) *Negative* aut *pure* sufficiens *frustratur fine*, adeoque contulit *solam potestatem* agendi.

Quaeritur utrum detur gratia *pure et vere sufficiens*, an omnis gratia, a Deo collata, sit *efficax;* sive aliter, utrum praeter gratiam excitantem, cui liberum arbitrium dedit consensum, a Deo concedatur gratia quae ex una parte sit *vere sufficiens*, conferens nempe homini plenam et expeditam potestatem agendi salutariter ; ex altera parte sit *pure sufficiens*, seu frustretur fine et effectu, nempe consensu salutari.

189. — Sententiae. Ia est *Protestantium* asserentium *nullam dari gratiam pure sufficientem*, sed omnem gratiam Christi esse *physice necessitantem*, adeoque efficacissimam. Rationem esse dicunt quia liberum arbitrium est exstinctum per P. O. adeoque nullius esset utilitatis gratia quae non foret necessitans. — Sic Calvinus [1], Synodus Dordracena.

IIa est *Janseniorum*. Propter damnatam sententiam Lutheranorum retinuerunt nomen gratiae sufficientis; vi principiorum suorum tenebantur denegare gratiam sufficientem, qualis a catholicis propugnatur. Ideo, distinctione facta, asserunt dari quidem gratiam pure sufficien-

(1) CALVINUS : *Instit.* l. II, c. 2 sq. LUTHERUS, *De servo arbitrio.*

tem, sed *negant hanc gratiam esse vere et relative sufficientem*, seu negant ea conferri potestatem talem ut *in adjunctis in quibus homo versetur*, penes eum sit salutariter operari. — Quae sententia sic explicatur : Ut vitarent censuram, quae Lutheranismo erat inusta, admiserunt Janseniani aliquam gratiam *parvam*, quam sufficientem dicunt. Haec gratia *confert potentiam absolutam* praestandi opus bonum; h. e. si inspicitur gratia secundum se, si inspicitur id in quod gratia ex se tendit, si inspicitur natura hominis independenter ab adjunctis, si inspicitur voluntas Dei antecedenter ad praescita adjuncta hominis, proinde si fit totalis praecisio ab adjunctis in quibus homo actu versatur, seu in sensu diviso ab iis, tribuit haec gratia homini potestatem agendi salutariter ; verum *non confert potentiam relativam,* seu potestatem agendi in his adjunctis in quibus homo hic et nunc versatur. — Rationem esse dicunt quia gratia ista parva est delectatio aliqua caelitus immissa gradu minor ac debilior quam delectatio terrena seu gradus concupiscentiae malae hic et nunc hominem afficiens; jamvero, cum velint *hominem non posse non sequi delectationem majorem* qua sollicitatur, concludunt per gratiam pure sufficientem non conferri potestatem plenam et expeditam agendi salutariter.

Ex eodem principio concludunt gratiam vere et relative sufficientem, seu talem ut in sensu composito cum adjunctis et concupiscentia actualiter premente, plenam et expeditam potestatem conferat, reponi in delectatione caelesti quae gradu superat delectationem terrenam, adeoque dicendam esse victricem ([1]).

III[a] sententia est *Catholicorum* tuentium praeter gratiam efficacem *dari gratiam pure et vere sufficientem*, quae nempe frustratur effectu, non quidem quia non confert expeditam potestatem, sed quia liberum arbitrium detrectat consensum, proindeque quia gratiam *praecise* sufficientem efficit *pure* sufficientem potiusquam efficacem. — Quae sententia est *de fide definita*.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXVIII[a]. — Praeter gratiam efficacem datur in praesenti ordine Providentiae gratia pure quidem, vere tamen et relative sufficiens, conferens nempe homini potestatem plenam expeditamque operationis salutaris, in iis adjunctis in quibus versatur homo gratia sufficienti motus.

---

[1]) Cfr. Jansenius l. III. *De gr. Chr.* cc. I, III; l. IV, c. X; Arnaldus : Diss. *de gratia efficaci*, part. III, art. 5 et 12.

190. — **Ia Probatio. Ex. Script. Arg. Im.** Ex V. L. Deus in Scripturis exhibetur increpans peccatores quod non sectentur justitiam, editis operibus, quod se non convertant, quod indulgeant vitiis. — Testatur se praestitisse omnia auxilia requisita ad hoc ut fugiant peccata et virtuti se dedant. — Hortatur peccatores ut se convertant ad ipsum. — Atqui singula supponunt penes hominem stare ut operetur salutariter, observet Dei legem, abstineat a peccato et vincat tentationes; hoc autem falsum est, nisi praeventus fuerit gratiis vere et relative sufficientibus. Ergo. — Major constat ex variis testimoniis : a) Is. v, 4, Deus infidelitatem, vitia et contumaciam Judaeorum increpans, ait : « Judicate inter me, et vineam meam : quid est, quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei ? an quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas ? » — b) Is. LXV, 2 sq. Deus dicit : « Tota die expandi manus meas ad populam incredulum qui graditur in via non bona post cogitationes suas : Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper. » Porro his verbis Judaei de sua infidelitate maxime arguuntur, quia Deus tota die ad ipsas manus expandit, id est, eis gratias exteriores et interiores concessit, quibus fidem concipere, et paenitentiam agere potuissent, nisi perversa voluntate restitissent. — c) Prov. I, 24 sq. Deus ait : « Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret ; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. » Manifestum est vocatione, extensione manuum, consilio Dei etiam intus operantis indigitari gratiam vere et relative sufficientem ; hominum vero voluntatis resistentiam indicari verbis, « renuistis, despexistis ». Ergo homines Deo vocanti et gratias suas offerenti resistere possunt ; et ideo interitu ac maximis poenis digni declarantur. — d) Ps. XCIV, 8 : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. »

Arg. IIm. Ex. N. T. a) Apud Matth. XI, 20 sq. de Christo Domino dicitur : « Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent paenitentiam. Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida ; quia si in Tyro et in Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere paenitentiam egissent. Verumtamen dico vobis : Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. » Unde sic : Corripiuntur Corozain et Bethsaida quod paenitentiam non egerint ; ergo potuerunt salutariter paenitere ; sed hoc eis fuit impossibile, nisi praeter gratias externas, eis datae fuerint gratiae internae relative sufficientes. Ergo.

b) Matth. XXIII, 37 sq. Christus exclamat: « Jerusalem, Jerusalem... Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta ». Ergo Judaei fuerunt ornati gratia interna vere sufficiente ad credendum Christo, et tamen credere noluerunt adeoque gratiam reddiderunt inefficacem. — c) Act. VII, 51, Stephanus Spiritu S. plenus sic Judaeos increpat: « Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos. » Stephanus increpat Judaeos quod gratias externas et internas, ad ipsorum conversionem et salutem a Spiritu Sancto ordinatas, sua malitia frustraneas reddiderint. — d) Apoc. III, 20, Deus dicit: « Ecce sto ad ostium, et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo: et ipse mecum. » Ergo frequenter Deus ad ostium cordis pulsat mentem illustrando et movendo voluntatem. Effectus qui intenditur a Deo, non absolute praenuntiatur, sed sub conditione, « si quis audierit vocem meam; » itaque potest homo consentire gratiae aperiendo ostium cordis, potest etiam gratiae resistere.

II^a Probatio. Arg. I^m. Ex SS. PP. Affirmant penes hominem esse ut obtemperet gratiae vel ut ei resistat. Atqui in tantum vera sunt ista verba, in quantum praesto est gratia vere et relative sufficiens. Ergo.

A. Ex PATRIBUS GRAECIS quos Jansenius fatetur sibi adversari. Sic loquuntur:

IRENAEUS: « Aliud est quod ait: « Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti? » veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam ad utendum vocatione Dei voluntarie, et non coactum a Deo. Vis enim a Deo non fit, sed bona vocatio adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus, posuit autem in homine potestatem electionis » (1). Et alibi: « Dei manus tuam substantiam firmavit; ipsa te intus et foris mundissimo auro et argento vestiet, ac ita ornabit, ut ipse rex concupiscat decorem tuum... Quodsi te ipsi per fidem et obedientiam committas, ipsius artem consecutus perfectum Dei opus fies. Si autem in ipsum non credis, et te ejus manui subtrahis; causa imperfectionis in te erit, qui non obedivisti, et non in illo, qui vocavit te. Misit enim servos suos, ut

(1) IREN. *Adv. haer.* l. IV, c. XXXVII, n. 1. M. VII, 1099.

vocarent ad nuptias, et illi, qui nolebant venire, seipsos regio convivio privarunt. Haud ergo divina ars manca est, quoniam potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae ; sed qui illius non fit particeps, sibi ipsi suae imperfectionis causa exsistit » (1).

Cyrillus Hieros. : « Quacumque gratia donetur homo, sibi semper liberum est vel assentiri vel rejicere » (2).

Chrysostomus disserens de Judaeorum obstinatione et Gentium conversione, ait : « Ostendens id quod factum fuerat non ex sola Dei gratia esse, sed etiam ex accedentium voluntate, audi quid adjiciat. Ad Israelem vero dicit : « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem » : diem hic totum praeteritum tempus dicit; expandere manus, vocare, attrahere et exhortari significat. Deinde ostendens totum crimen eorum esse, ait, « ad populum non credentem et contradicentem » : Vide quanta sit accusatio ! Hi ne quidem vocanti obsecuti sunt, sed et contradixerunt non semel, non bis, non ter, sed omni tempore dum haec facientem viderent » (3). « Non vi et necessitate quadam Deus bonos facere consuevit; neque electio ejus violenta est, sed suasoria : ut enim intelligas, non cogere vocationem, multos vocatos perire continget » (4).

Ambrosius : « Numquid si quis ostia domus suae claudit, solis est culpa quod non illuminet domum ejus? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam judicaverit, et Verbi a se splendorem stultus avertat, ac sibi inferat insipientiae caecitatem, causari poterit quod sol justitiae noluerit intrare, aut infirmitatem luminis caelestis arguere » (5) ?

Hieronymus : « Infelicissimum humanum genus ! qui peccata excusamus dicentes : Victus sum a natura ; cum in potestate nostra sit et peccare, et, Domino adjuvante, non peccare » (6). — Ad illa verba : « Nunc ostendam, quid ego faciam vineae meae », asserit Deum gratia sua excolere primum animam, deinde, cum fructus exspectatos non fert, eam deserere. « Cuncta quae dicuntur de vinea, possunt et ad animae humanae referri statum, quae, a Deo plantata in bonum, non uvas attulerit, sed labruscas » (7).

Auctor l. *de vocat. gentium :* Postquam dixit hominem habere de de sua mutabilitate si deficit, de gratiae opitulatione si proficit, addit :

---

(1) Iren. Ib. c. xlix. — (2) Cyr. Hier. *Procatech.* n. 17. — (3) Chrys. *Hom.* xviii *in ep. ad Rom.*, n. 2 — (4) Id. *Hom.* xlvi *in Joh.* — (5) Ambros. *Serm.* xix *in Ps.* cxviii, n 4. — (6) Hieron. *In Ps.* cxl. — (7) Id. *Comment in Is. cap.* v.

« Hanc opitulationem per innumeros modos sive occultos, sive manifestos omnibus adhiberi; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod vero a multis suscipitur, et gratiae est divinae, et voluntatis humanae » ([1]).

FULGENTIUS: « Homo tanti medicaminis (paenitentiae) beneficio caret, cujus gratiam contumax atque ingratus oppugnat » ([2]).

LEO M. « Gratiae igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo bona esse non potest, deficiat, ac si quid sit impossibile, aut arduum in mandatorum effectibus experitur, sed ad jubentem recurrat, qui ideo dat praeceptum, ut excitet desiderium, et praestet auxilium » ([3]).

GREGORIUS M. « Idcirco nequaquam caelestis patriae praemia percipiunt, quia ea nunc, cum promereri poterant, contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens a terrenis desideriis, gratia aspirante, suspenditur.... Bonum quippe, quod agimus, et Dei est et nostrum; Dei per praevenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, unde ei gratias in aeternum agimus? rursum si nostrum non est, unde nobis retribui praemia speramus? quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quod ejus munere praevenimur; et rursum quia non immerito retributionem quaerimus, scimus, quod, obsequente libero arbitrio, bona eligimus, quae ageremus » ([4]).

II^m^. Arg. EX AUGUSTINO cui Janseniani potissimum confidunt:

1. Qui habet justitiam et fidem, id non debet sibi, sed gratiae qua vocatus est; contra, qui his donis caret, id debet sibi quia nempe non respondit Deo vocanti; illud probat exemplo Esau qui non cucurrit, sed potuisset currere cum auxilio gratiae, et ad metam pervenire. Porro haec veritate carent nisi concedatur homini gratia relative sufficiens. « Ad illam coenam, quam Dominus dicit in Evangelio praeparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; nec illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur... Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate... Propterea etsi quisquam sibi tribuit, quod vocatus venit, non potest sibi tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum praemii, ut voca-

([1]) *De vocat. gent.* l. II, c. XXVI. — ([2]) FULGENT. *De Inc. et gr.* c. XVII. — ([3]) LEO M. *Serm.* XLIII, al. LXII, c. I. — ([4]) GREG. M. *Mor.* l. XXIII, n. 39.

retur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit » ([1]). « Noluit ergo Esau, et non cucurrit; sed si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset; qui etiam velle et currere vocando praestaret, nisi, vocatione contempta, reprobus fieret » ([2]).

2. Asserit Aug. in cujusque voluntate esse consentire Deo vocanti vel ab eo dissentire. « Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes... sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriae voluntatis est » ([3]).

3. Asserit peccatores juste puniri quia credere noluerunt; eos esse reos quia acceperunt a Deo sufficientissimam facultatem. « Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitione veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt ; nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno et summo bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt » ([4]). « Ex eo quod non accepit, nullus reus est; ex eo autem quod non facit quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit et voluntatem liberam et sufficientissimam facultatem » ([5]). Itaque juxta Augustinum omnia requisita ad credendum fuerunt a Deo constituta in potestate hominis. Atqui juxta disertam ejus doctrinam, impossibile est ut quis credat salutariter, nisi ei collata fuerit a Deo gratia sufficiens, uti ex disputatis adversus Pelagium est manifestum. Ergo.

III^m Arg. Ex Conciliis. 1. Juxta *Arausicanum*, « accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, et possint, et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere ». Atqui hoc est falsum, nisi gratia sit vere et relative sufficiens. Ergo. Denz. n. 169.

2. Juxta *Tridentinum*, (sess. VI, c. v) homo potuit rejicere illam inspirationem quam recepit; Deus non deserit sua gratia semel justificatos, nisi ab eis prius deseratur (ib. c. xi); nisi homines gratiae illius defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere (ib. c. xiii); doctrina Ecclesiae excludit a regno Dei omnes

---

([1]) Aug. L. *LXXXIII quaest.* q. lxviii. — ([2]) Id. *Ad Simpl.* l. I, q. II, n. 10. M. XL, 117. — ([3]) Aug. *De sp. et litt.* c. xxxiv, M. XLIV, 240. — ([4]) Ib. c. xxxiii, n. 58. — ([5]) Id. *De lib. arb.* l. III, c. xvi, n. 45.

qui lethalia committunt peccata, a quibus cum divinae gratiae adjumento abstinere possunt (ib. c. XV). Atqui singula supponunt dari gratiam vere et relative sufficientem. Ergo.

IV^m Arg. *Ex damnatis ab Innocentio X propositionibus Jansenii.* (Denz. n. 966, sq.). Eludere conantur Janseniani censuram doctrinae suae inustam, asserendo quinque propositiones ab Innocentio P. X damnatas falsas quidem esse quatenus simpliciter intellectae excludunt *gratiam absolute sufficientem* adeoque merito damnari; verum easdem propositiones esse veras, si intelliguntur excludere *gratiam relative sufficientem*, hoc autem sensu dumtaxat eas occurrere in libris Jansenii. — Falsam scilicet esse concedunt hanc propositionem ordine 1^m : « Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia (absolute sufficiens) qua possibilia fiant. » — At vera est sic intellecta : « Aliqua Dei praecepta hominibus justis... sunt impossibilia; deest quoque illis gratia *(relative sufficiens)* qua possibilia fiant ». — Falsa est haec ordine 2^a : « Interiori gratiae *(absolute sufficienti)* in statu naturae lapsae numquam resistitur ». At vera est sic intellecta : « Interiori gratiae *(relative sufficienti)* numquam resistitur ». Ratio est quia haec gratia gradu superat concupiscentiam oppositam, adeoque est relative victrix. — Falsa est haec propositio 3^ia : « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas *(absoluta,* seu in sensu diviso a majore delectatione sive bona sive mala) a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ». At vera est hoc sensu : « Ad merendum... non requiritur libertas *(relativa)* a necessitate seu in sensu composito, h. e. non requiritur facultas rejiciendi aut admittendi gratiam relative sufficientem aut delectationem malam ». — Falsa est 4^a : « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris *(absolute sufficientis)* necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere et obtemperare ». At vera est hoc alio sensu : « Semipelagiani admittebant necessitatem gratiae *relative sufficientis* ad initium fidei, et in hoc erant haeretici quod vellent voluntatem huic gratiae posse resistere aut obtemperare ». — Demum propositio 5^a : « Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse, » merito damnatur quia Christus omnibus meruit gratias *absolute sufficientes.* At vera est sic intellecta : « Falsum est dicere Christum pro omnibus esse mortuum, quasi omnibus meruisset gratias *relative sufficientes* ».

Porro propositiones praefatas esse damnatas eo sensu intellectas quod deest interdum justis gratia relative sufficiens, numquam resistitur gratiae relative sufficienti, ad merendum requiritur libertas a necessitate in sensu composito cum gratia relative sufficienti, etc., manifestum est, tum quia fuerunt damnatae in sensu ab auctore intento, tum quia secus aut injuste damnatus est Jansenius aut nemo est qui fuit ab Innocentio damnatus, tum quia mentem suam clarissime expressit Ecclesia damnatis propositionibus Quesnellii.

V^m Arg. *Ex damnatis a Clemente XI propositionibus Quesnellii et a Pio P. VI damnata Synodi Pistoriensis doctrina.*

Quesnellii 9^a propositio : « Gratia Christi est gratia suprema, sine qua Christum confiteri numquam possumus, et cum qua numquam illum abnegamus ». Ergo datur gratia pure sufficiens, quae movit ad confitendum Christum qui tamen est abnegatus. — 10^a : « Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil potest impedire aut retardare ». — 11^a : « Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet ». — 12^a : « Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei ». — 13^a : « Quando Deus vult animam salvam facere et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit ». Ergo gratia Christi est quidem vere sufficiens, verum voluntas potest ei resistere adeoque eam reddere pure sufficientem ». Denz. n. 1224 sq.

Synodi Pistoriensis 21^a propositio, quae asserit quod non vere detur interior gratia Christi, cui resistitur, falsa est. Denz. n. 1384.

Probatio III^a. Ex ratione theologica. 1. Deus vult serio salutem omnium hominum, non modo electorum sed etiam eorum qui reprobi facti sunt. Atqui seria non est haec Dei voluntas, nisi praeter gratias efficaces dentur gratiae pure sufficientes. — *Prob. min.* Seria non est Dei voluntas, nisi tribuat potentiam sufficientem ad eliciendos actus quibus comparetur salus, proindeque nisi tribuat gratias praecise sufficientes, non modo electis, sed etiam reprobis. Atqui omnes gratiae praecise sufficientes reprobis collatae non fuerunt efficaces, siquidem secus non essent reprobi vel tales essent ob defectum gratiarum sufficientium. Ergo seria non est Dei voluntas circa reprobos, nisi praeter gratias efficaces, collatae ipsis fuerint gratiae vere sufficientes. — 2. Si non daretur gratia pure sufficiens, quotiescumque quis, sive justus, sive peccator, sive infidelis, gravi tentationi consentit, caruisset gratia qualibet, adeoque moraliter impossibile fuisset ei vitare

peccatum. Atqui hoc est falsum ; sic enim dicendus esset Deus praecipere ea quae sunt moraliter impossibilia naturae, et non ferre auxilium. — 3. Consequens etiam foret Deum non dare gratiam ad salutariter operandum, quoties imperatur actus salutaris quem quis culpabiliter omittit. Atqui sic Deus praeciperet physice impossibilia. Ergo.

Satisfit difficultatibus.

191. — **Obj.** 1°. Gratia sufficiens numquam in Scripturis occurrit. Ergo non est admittenda.

Resp. 1. Etiam nomen gratiae efficacis nullibi in S. Scriptura occurrit, et nihilominus illam adversarii asserunt et defendunt : eodem ergo jure etiam Catholici gratiam sufficientem propugnant. — 2. Non invenitur explicite in Scriptura propositio : « datur gratia pure sufficiens » his verbis aut aequivalentibus concepta ; verum invenitur implicite, seu clare eruitur ex his quae Scriptura dicit. Cfr. Arg. 1m. — Non raro evenit ut nomina nova fuerint adhibita ab Ecclesia ad brevius et clarius exprimendas veritates jam diu aut semper admissas. — 3. *Neg. ant.* In II cor. XII, 9 legitur « *sufficit* tibi gratia mea », inde gratia dicitur *sufficiens* ad vincendum.

Obj. 2°. Ex una parte Deus vult actum salutarem, quoties tribuit gratiam suam ; ex altera parte nemo potest resistere voluntati Dei, secundum verba Pauli ad Rom, IX, 19 : « Voluntati enim ejus quis resistit ? » — Atqui haec conciliari nequeunt, nisi dicatur nullam gratiam esse pure sufficientem. Ergo.

Resp. *Dist. 1a pars maj.* Deus vult *conditionate* actum ad quem movet gratia, nempe si voluntas vires suas jungit viribus gratiae, *Conc. ;* vult *absolute*, *Subd. ;* vult *consequenter* ad conditionate praevisum consensum, *Conc. ; antecedenter*, *Neg.* — *Dist. 2a pars maj.* Nemo potest resistere voluntati Dei *absolutae*, *Conc. ;* voluntati *conditionatae*, *Neg. Cdt. min.* — Hanc distinctionem ipsi quoque adversarii admittere coguntur. Negare enim non possunt, ex una parte Deum mandatorum suorum observantiam velle, et ex altera parte plurimas istorum transgressiones dari, seu peccata committi : ex quo necessario inferre debent Deum non absolute, sed conditionate mandatorum suorum observantiam velle, nisi ipsa quoque peccata in absolutam Dei voluntatem refundere velint.

Obj. 3°. Paulus ad Rom. scribens IX, 15 sq. inducit Deum aientem : « Miserebor cujus misereor ; et misericordiam praestabo, cujus mise-

rebor »; ex his concludit Apostolus : « Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei ». Unde sic : Si daretur gratia pure sufficiens, ea instructi fuissent illi Judaei qui caruerunt gratia efficaci adeoque fide. Atqui secundum Apostolum illi Judaei qui carent fide nullam gratiam sufficientem acceperunt. *Prob. min.* Si illi Judaei qui fidem non habent, tamen receperunt gratiam sufficientem ad credendum, tunc omnes Judaei receperunt gratiam praecise sufficientem, credere aut non credere fuit constitutum in potestate omnium Judaeorum, proindeque non solius Dei miserentis, sed adhuc hominis currentis et volentis est habere gratiam efficacem et fidem potiusquam gratiam inefficacem. Atqui Paulus manifeste tenet oppositum. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probat. *Dist. maj.* Si Judaei fide carentes receperunt gratiam sufficientem, tunc omnes Judaei receperunt gratiam praecise sufficientem, quam Deus tamen decrevit *cum praescientia aliorum quidem consensus conditionate futuri, aliorum vero dissensus;* credere aut non credere fuit constitutum in potestate omnium, ita ut Deus ope scientiae mediae praescius fuerit usus hujus potestatis ; hominis currentis et volentis est habere gratiam efficacem, h. e. dare gratiae sufficienti consensum, qui tamen conditionate est praescitus, *Conc.;* homini currenti et volenti tribuenda est praedestinatio gratiae quae aeternaliter fuerit praescita conditionate efficax, omissa gratia quae conditionate praescita est pure sufficiens, *Neg.*

Explicatur : 1. Paulus capite IX ad Rom. agit de exclusione plerorumque Judaeorum a gratia evangelica et de vocatione gentium (seu de promissionibus spiritualibus factis semini spirituali Abrahae). Eo quod Judaeorum pars magna gratiam fidei non acceperit, arguendus non est Deus quod promissis factis Abrahae et semini ejus non satisfecerit ; ratio est quia ista Dei promissio non facta est omnibus Judaeis seu semini corporali, sed electis seu semini spirituali. Deinde ostendit Apostolus aliorum electionem, aliorum vero rejectionem fuisse typice praefiguratam electione Isaac et Jacob et rejectione Ismael et Esau. Itaque dicendus est Deus gratuito dare fidem, non vero ob merita naturalia : « miserebor cujus misereor... igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. » Quamobrem Paulus agit de sola gratia *efficaci*, quae nempe dat potentiam et actum credendi, cui pars Judaeorum praestitit consensum et beneficio cujus ad fidem et ad justificationem devenerunt. Ex eo autem quod altera pars Judaeorum non recepit gratiam *efficacem* fidei aut quod asseritur a Paulo Dei miserentis esse, non vero hominis currentis et volentis, habere gratiam

efficacem, nullatenus consequitur secundum Paulum gratiam esse efficacem ab intrinseco (e quo ulterius sequeretur gratiam pure sufficientem non esse relative sufficientem) ; neque sequitur eos Judaeos qui non crediderunt non habuisse gratiam *praecise sufficientem* ad credendum; neque gratiam, quae pure sufficiens in iisdem fuit, non fuisse *vere et relative sufficientem.* Verba enim Pauli admittunt varias interpretationes quarum una optime conciliat relativam sufficientiam gratiae pure sufficientis ejusque concessionem iis Judaeis qui non habuerunt gratiam efficacem fidei, cum iis quae dicit s. Paulus de gratia efficaci fidei uni parti Judaeorum concessa, quod nempe hominis currentis aut volentis non sit sed Dei miserentis habere gratiam efficacem ; cum autem haec interpretatio sola concordiam statuat inter hunc locum et varia alia loca paulina in hac thesi et in aliis exposita, haec interpretatio est habenda pro genuina. — Restat ut indicemus varias interpretationes afferri solitas.

2. Si nempe quaeritur quaenam sit judicio Pauli natura gratiae efficacis, quomodo explicetur quod donum gratiae efficacis adscribendum sit soli Dei miserenti, respondetur alios aliter hunc locum interpretari : Secundum *Jansenianos* iis solis qui *efficaciter* vocati sunt ad fidem evangelicam, data est gratia ; ceteris aut nulla data est gratia aut saltem non fuit relative sufficiens. Secundum Thomistas omnibus quidem data est gratia vocationis ad fidem ; sed iis solis, qui dicuntur electi in vasa gloriae, data est gratia ab *intrinseco efficax ;* ceteris, qui dicuntur indurati et electi in vasa ignominiae, data est gratia *sufficiens* conferens nudum posse : cum itaque efficacia sit intrinseca gratiae adeoque a solo Deo, auctore gratiae, sit repetenda, inde verum est quod soli Deo miserenti, non vero homini currenti aut volenti adscribenda sit fides et omnis alia gratia efficax. — Secundum *Molinianos* omnibus Judaeis data est gratia relative sufficiens ad fidem amplectendam, sed de hac gratia omnibus communi non fit sermo apud Apostolum ; verum ante decretum conferendi gratias praesciebat Deus per scientiam mediam quaenam gratiae futurae essent conditionate efficaces, quaenam inefficaces ; praesciebat itaque quod si eligeret hunc ordinem gratiarum quem reapse elegit, alii Judaeorum consensum darent et fidem amplecterentur, alii contra dissentirent. Praelucente hac scientia media, elegit liberrimo actu certum ordinem gratiarum. Quamobrem una gratia est efficax ratione consensus a Deo aeternaliter praesciti, altera vero est inefficax ratione dissensus praesciti. Porro ratione decreti a se liberrime lati de danda aliis quidem Judaeis gratia praescita efficaci,

aliis vero gratia sufficienti conditionate praescita inefficaci, dicitur Deus misereri cujus miseretur, eligere alios quidem in vasa gloriae, alios vero in vasa ignominiae, siquidem solius Dei miserentis, non vero hominis currentis, est quod homini *praedestinetur gratia praescita conditionate efficax* potius quam pure sufficiens. (Dividuntur Moliniani circa quaestionem utrum decretum illud latum fuerit a Deo ex praevia voluntate absoluta dandi gloriam an secus). Patet ultimam interpretationem prorsus sufficere ut attingatur tum scopus generalis primae partis epistolae, qui est ostendere gratuitam esse vocationem ad fidem et ad justificationem, tum scopus particularis capitis IX, qui est explicare rejectionem plerorumque Judaeorum. Cum Paulus in hoc loco tantum affirmet a Deo ob solam misericordiam uni tantum parti Judaeorum fuisse praedestinatas gratias infallibiliter efficaces, non vero explicet naturam gratiae efficacis, neque dicat utrum reliquae Judaeorum parti concessa an denegata fuerit gratia sufficiens ad fidem et ad justitiam, colligendum est ex natura rei, ex aliis locis, ex interpretatione Patrum quaenam sit ejus mens de his quaestionibus. Jamvero rejiciendam esse sententiam Jansenii constat ex multiplici testimonio Scripturae, quo nempe ostenditur Deum velle omnes homines salvos fieri proindeque omnibus subministrare gratias relative sufficientes ut perveniant ad fidem et ad justificationem, sine quibus nullus adultus ad salutem pervenit. — Sententiam neothomistarum esse falsam, ostendetur postea testimoniis Scripturae, nominatim vero Pauli, et testimoniis Patrum praemotiones physicas excludentibus.

Obj. 4°. Nemo potest se discernere in negotio salutis, juxta Apostolum in I Cor. IV, 7 : « Quis te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ? » Atqui si duobus hominibus detur gratia sufficiens, cui unus obtemperet, alter resistat ; qui obtemperavit, se discernit ab eo qui resistit. Ergo non datur talis gratia.

Resp. a) *Negatur suppositum.* Supponitur agi apud Paulum de donis ordinis supernaturalis (Cfr. cap. VI^m^, de gratia efficaci). — b) Ut quis actu discernatur, exigitur gratia quae fuit prius *conditionate praescita congrua.* Deus enim non fertur in incertum, dum condit decretum de ordine gratiarum. Jamvero a Deo pendet quod detur gratia congrua potiusquam incongrua. Inde *Dist. maj.* Nemo se discernit, h. e. a nemine pendet quod recipiat a Deo gratiam quae praescita est *congrua* potiusquam quae praescita est *incongrua, Conc. ;* ab homine non pendet *consensus* gratiae aut *dissensus, Neg. Cdt. min.* — c) Apostolus ab aliis, et melius ad scopum suum, dicitur negare quidem hominem se discer-

nere *per vires naturales,* nempe actibus naturalibus, merendo gratiam, non vero negare id fieri posse ab homine per gratiam excitato et adjuto. Apostolus prohibet ne fidelis glorietur de bono opere quasi non acceperit a Deo principium boni operis, aitque neminem se discernere sed unumquemque a Deo discerni dum ejus gratia excitatur. Sic Augustinus [1]. Ideo *Dist. maj.* Nemo se discernit *actibus naturalibus* merendo gratiam aut actum salutarem ponendo sine viribus gratiae, *Conc.;* gratiae sufficienti consentiendo, adjutus gratia, *Neg. Cdt. min.* Se discernit dum excitatus gratia, proindeque elevatus, eidem gratiae consentit, *Conc.;* merendo gratiam aut actum salutarem ponendo *per solas vires naturae, Neg.* — Solutio evolvetur ubi idem locus paulinus discutietur adversus neothomistas.

Obj. 5°. Christus apud Joh. VI, 45 ait : « Omnis qui audivit a Patre meo et didicit, venit ad me ». Atqui *audire* a Patre est recipere gratiam excitantem; *discere* est doctrinam auditam facere suam eam intelligendo; *venire* ad Filium est habere actum salutarem fidei. Ergo omnis qui habet gratiam excitantem, habet etiam actum salutarem, proindeque praeter gratiam efficacem non datur alia gratia.

Resp. Omnis qui venit ad me (h. e. qui salutariter credit) audivit a Patre (h. e. habuit gratiam internam excitantem) et didicit (h. e. consensum dedit huic gratiae). Inde non sequitur omnem eum qui non credit, nec audivisse nec didicisse. Defectus fidei potest oriri ex duobus : vel ex eo quod non didicit licet audierit, vel ex eo quod ne audivit quidem. Itaque *Dist. maj.* Omnis qui audivit a Patre, h e. qui *excitatur gratia* et qui insuper didicit, h. e. qui consentit, ille venit ad Filium, *Conc.;* omnis qui audivit, excitatus gratia, ille didicit et venit ad Filium, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 6°. *Ex Augustino.* Innumera sunt testimonia Augustini de gratia efficaci in libris quos scripsit *de gratia et libero arbitrio*, *de correptione et gratia*, *de praedestinatione sanctorum*, *de dono perseverantiae*, etc.; vix ulla verba ejusdem doctoris afferri valent ab iis qui defendunt gratiam pure sufficientem. Ergo Augustinus non cognovit nisi gratiam efficacem.

---

(1) Aug. « Quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat,... profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine... consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriae voluntatis est. Quae res non solum non infirmat, quod dictum est : « Quid habes, quod non accepisti ? » verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo : ac per hoc, quid habeat et quid accipiat, Dei est : accipere autem, et habere utique accipientis et habentis est. » *De sp. et litt.* c. XXXIV, n. 60. M XLIV, 240.

Resp. *Conc. ant. Neg. cons.* Cum Pelagio principaliter agebatur de gratia efficaci, de ea nempe cujus auxilio homo reapse credit et servat Dei legem; cum semipelagianis pariter principaliter agebatur de gratia efficaci, affirmabant enim actus credendi, sperandi, paenitendi, quibus constat initium fidei, esse salutares, licet fierent sine auxilio gratiae; asserebat Augustinus hos actus non fieri nisi ex viribus gratiae; haec itaque gratia, cujus ope eliceretur actus salutaris, erat sane efficax. Quare haec principaliter immo fere unice ab Augustino habetur prae oculis, ideoque relative pauca deprehenduntur apud ipsum testimonia de gratia pure sufficienti. Inde non sequitur nullam aliam gratiam ab Augustino fuisse agnitam, siquidem non desunt testimonia gratiam pure sufficientem propugnantia, uti constat ex thesi praesenti et ex diversis thesibus de distributione gratiarum.

Inst. Atqui Augustinus in iisdem libris aperte rejicit pro statu naturae lapsae omnem gratiam praeter efficacem:

Obj. 7°. In libro *de correptione et gratia* opponit gratiam a Deo datam in statu innocenti gratiae ab ipso datae in statu lapso. In primo statu dedit Deus adjutorium-sine-quo-non: eo datum est Adamo posse non peccare, posse non mori, posse non deserere; in statu naturae lapsae dedit Deus adjutorium-quo: eo autem collatum est non posse non velle, non posse peccare, non posse mori, non posse deserere. Atqui hoc perinde est atque admittere quidem gratiam sufficientem in statu innocenti, eam vero denegare in statu lapso. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Juxta Augustinum Deus in statu naturae lapsae non dat nisi eas gratias quibus constat adjutorium-quo, *Neg.;* Augustinus hoc loco non considerat nisi gratias electis datas et quibus efficaciter ducuntur ad salutem, praeter quas dantur multae aliae gratiae tum efficaces datae a Deo iis qui non sunt praedestinati ad gloriam, tum pure sufficientes datae non modo iis qui non salvabuntur, sed etiam iis qui sunt electi, *Conc.* — *Cdt. min.*

Observa. Adjutorium-sine-quo-non complectebatur gratias positive sufficientes, seu quae revera fuerunt efficaces; considerantur tamquam sufficientes, quia collatae fuerunt ante usum scientiae mediae; complectebatur praeterea dona habitualia. — Adjutorium-quo complectitur non quidem omnes gratias efficaces hominibus collatas, sed solas gratias efficaces electorum; complectebatur insuper alia dona. — Patet ex his nullatenus sequi nullam dari gratiam quae sit pure et vere sufficiens.

Obj. 8°. Ex modo quo Augustinus interpretatur Joh. VI, 45: « Quid

est, ait, « omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me, » nisi : nullus est qui audiat a Patre et discat et non veniat ad me ? Si enim omnis qui audivit a Patre et didicit, venit; profecto *omnis qui non venit, non audivit a Patre nec didicit;* nam si audivisset et didicisset, venisset » [1]. Unde sic : Posita gratia sufficienti, daretur homo qui non veniret ad Patrem, licet audierit Filium. Atqui Augustinus asserit contrarium. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Verborum enim Augustini sensus est : de omni eo qui non venit, non verificatur complexus horum duorum *audivit et didicit :* nullatenus asserit Augustinus eum qui non venit ad Filium ne audivisse quidem, seu nullam gratiam excitantem accepisse a Deo, sed tantum asserit complexum horum duorum inveniri quidem in omni eo qui venit ad ipsum, deesse vero iis qui non veniunt. Quid sentiat de gratia sufficienti qua quis audiat et cui non obtemperet seu qua non discat, dijudicandum est ex alibi dictis.

Obj. 9°. Ille negat gratiam pure sufficientem esse vere sufficientem, qui tenet gratiam efficacem esse talem ab intrinseco. Atqui haec est sententia Augustini de gratia efficaci. Ergo. — *Prob. min.* a) Ad verba Pauli ad Rom. IX, 19 : « Voluntati enim ejus quis resistit ? » scribit Augustinus : « Non est dubitandum voluntati Dei.... humanas voluntates non posse resistere. »

Resp. a) Interdum interpretatur Augustinus verba Pauli : « Voluntati ejus quis resistit, » de voluntate absoluta Dei, quotiescumque datur gratia. Verum dicitur absoluta quatenus pro termino habet disjunctive actum bonum aut poenam peccati; Deus nempe elargiendo gratiam quamlibet, vult absolute non quidem actum bonum, sed vel hunc actum vel poenam. — b) Non raro eadem verba interpretatur Augustinus de voluntate Dei ad actum salutarem terminata, cum praedestinatur gratia efficax. Verum quoties confertur gratia *efficax,* voluntas absoluta de opere bono explicari potest duobus modis, uti statim dicetur. — Itaque conceditur major et negatur minor. Ad probationem distinguendum esse constat ex modo dictis.

Obj. 10°. b) Juxta Augustinum gratia efficax non potest respui ab ullo corde duro ; Dei misericordia non pendet a voluntate nostra. Scribit enim : « Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur : ideo quippe tribuitur,

---

(1) AUGUST. *De praedest. Sanct.* VIII, 13. M. XLIV, 970.

ut cordis duritia primitus auferatur ? » (1). Et alibi : « Nescio, inquit, quomodo dicatur frustra misereri Deum, nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur, etiam volumus... Non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut fustra ille misereatur, si homo nolit » (2). Atqui qui sic loquitur, admittit gratiam ab intrinseco efficacem.

Resp. Multis modis extollitur ab Augustino efficacia gratiae ; dicitur non posse rejici, non posse non obtinere effectum. Hujusmodi locutionibus nihil dicitur de *natura* efficaciae : verificantur enim non modo de gratia ab intrinseco efficaci, sed adhuc de gratia ab extrinseco efficaci et decreta a Deo consequenter ad usum scientiae mediae. — Igitur ex his locutionibus non potest concludi judicio Augustini gratiam efficacem esse talem ab intrinseco, neque concludi potest gratiam pure sufficientem non esse vere et relative sufficientem.

ARTICULUS II.

Quid gratia sufficiens voluntati conferat.

§ 1. Status quaestionis.

Postquam stabilita est exsistentia gratiae relative sufficientis, conferentis nempe homini plenam expeditamque potestatem salutariter agendi, examinandum est quomodo intelligenda sit haec potestas plena et expedita, utrum nempe talis sit ut voluntas ad actum salutarem *immediate transire valeat*, quin intercedat ulla alia gratia inter gratiam sufficientem et actum salutarem ; proinde inquirendum est quibusnam elementis constituatur gratia sufficiens cujus ope elicitur actus salutaris.

192. — SENTENTIAE. Ia est neothomistarum seu Bannesianorum asserentium per gratiam sufficientem non conferri homini nisi *verum et relativum posse operari* salutariter ; illud *posse* est hujusmodi ut physice impossibile sit, ob defectum intrinseci alicujus absolute requisiti, actum salutarem sequi, nisi natura prius infundatur alia gratia quae efficax dicitur (3).

Observa. Si a Neothomistis petitur quare non detur auxilium praedeterminans ei cui collata est gratia sufficiens, reponunt : quia non

(1) Aug. *De praed. SS.* viii, 13. M. XLIV, 971. — (2) Id. *Ad Simplic.* q. ii, n. 12, 13.
(3) Cfr. Billuart : *De gratia*, diss. v, a. 2, § 2. Serry : *Schola thomist. vindicata*, Prael. ii. Gazzaniga : *De gratia*, p. II, diss. v, c. vi, n. 267. Graveson : *Epistulae*, cl. I, ep. 1, n. 3 (ed. Romae 1728, p. 15). Alvarez : *De gratia*, d. cviii, n. 4 ; d. lxxix, n. 4.

bene usus est gratia sufficienti. Si ulterius quaeritur quare non bene usus sit gratia sufficienti, reponunt: quia ipsi defuit auxilium efficax seu determinans. Neque aliud responsum tradere valent, nisi deserant suum systema, vi cujus actus liber nullus, sive salutaris sit sive naturalis ponitur ab homine, nisi homo ad eum ponendum praemotus a Deo fuerit. — Itaque manifestum est fieri circulum vitiosum.

IIª sententia est Molinianorum negantium praeter gratiam relative sufficientem requiri aliam gratiam inter sufficientem et actum salutarem. — Hi proinde dicunt gratiam sufficientem contineri gratia excitante, seu illustratione et inspiratione, et principiis gratiae adjuvantis salutariter operaturo paratis, seu gratia adjuvante in actu primo.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XXIXª. — Gratia relative sufficiens non tribuit voluntati illud posse salutariter operari, quod Neothomistae comminiscuntur, absolute nempe irreductibile ad actum, nisi superaddatur praemotio physica; verum eam tribuit sufficientiam ad operandum, quae a solo arbitrio concursum denegante inefficax redditur. Quare physice reponenda est in gratia excitante et in principiis gratiae adjuvantis quae praesto sint omni ei qui gratia praevenienti instruitur.

193. — PRIMA PARS. Gratia relative sufficiens non dat tantum posse.

Probatur ratione theologica. Iᵐ Arg. In statu naturae lapsae, praeter gratiam efficacem, datur gratia quae simul sit pure, vere et relative sufficiens. Atqui hoc falsificatur eo quod gratia sufficiens non daret nisi *posse*, et quod requireretur aliud auxilium natura prius quam ponitur actus salutaris. — *Prob. min.* Illud auxilium, quod ad agendum requireretur praeter gratiam sufficientem, vel pertinet ad actum primum proximum, seu tribuit arbitrio potentiam plane expeditam ad agendum; vel pertinet ad actum secundum seu reddit arbitrium actu operans salutariter. Atqui quidquid dicatur, destruitur vera et relativa sufficientia gratiae pure sufficientis. Ergo. — *Prob. min.* 1. Si auxilium pertinet ad *actum primum*, vel confertur quotiescumque datur gratia sufficiens, vel non. Atqui, *si primum* dicitur, destruitur gratia *pure* sufficiens: Etenim istud auxilium talis est naturae, ut, eo habito, non possit non sequi actus; illud enim conceditur ab adversariis et debet concedi, secus gratia non esset nisi sufficiens et rediret quaestio quomodo ad actum transeatur. Porro si omni gratiae sufficienti annectitur

hujusmodi auxilium, omnis gratia est efficax, seu nulla datur gratia *pure sufficiens* et inciditur in sententiam Lutheranorum, denegantium omnem gratiam distinctam ab efficaci. — Si *secundum* dicitur, ea gratia, quae caret isto auxilio, non erit *vere* sufficiens, siquidem arbitrium non habebit plenam et expeditam potentiam ad agendum, sed potentia, priusquam agat, erit complenda in ratione potentiae; sic inciditur in sententiam Janseniorum. — 2. Ulterius si auxilium istud constituit actum *secundum,* actus primus proximus constituetur sine hoc auxilio; arbitrium non habebit potentiam integram, siquidem aliquid intrinseci ei essentialiter deest et nulli actui primo est concedendum. Atqui si potentia non est integra, nulla gratia in signo priori ad actum salutarem est *vere* sufficiens, adeoque gratia inefficax non fuit vere sufficiens, et iterum inciditur in sententiam Jansenianorum.

II^m Arg. Ob gratiam vere sufficientem fit ut nonnisi homini bonum non facienti imputari valeat omissio actus salutaris, puta salutaris adimpletionis mandatorum Dei. Atqui haec non valet imputari homini, posito quod gratia sufficiens non conferat nisi posse neothomisticum salutariter operari, et non sufficiat ut homo ad nutum suum ad actum salutarem transeat. Ergo. — *Prob. min.* In tantum omissio actus salutaris imputari valet homini, in quantum homo fuerit instructus omnibus essentialiter requisitis ad agendum. Atqui, posito gratiam sufficientem non conferre nisi posse neothomisticum et exigi ulterius auxilium ut ad actum secundum transeatur, homo non est instructus omnibus essentialiter requisitis. — *Prob. min.* Posito quod gratia sufficiens non confert nisi posse neothomisticum, ut nihilominus dici valeat instructus omnibus requisitis, oportet ut penes hominem, salutariter operaturum, sit sibi comparare istud auxilium, a) vel libere utendo gratia sufficienti et sic merendo auxilium efficax (tunc gratia esset remote sufficiens ad opus quod consideratur, et proxime ad aliud opus supernaturale quo homo meretur auxilium ulterius); b) vel libere omittendo ope auxilii sufficientis opus malum, ita ut omissio sit meritoria auxilii efficacis; c) vel libere non resistendo gratiae sufficienti, et sic iterum merendo auxilium efficax. Atqui nullum ex his tribus dici valet, stante sententia Neothomistarum. Ergo.

Prob. 1^a pars min. Libere uti gratia sufficienti esset supernaturaliter et salutariter agere. Atqui, si arbitrium valet cum gratia sufficienti agere supernaturaliter, habetur sententia moliniana, et deseritur sententia neothomistica, qua nullum opus salutare dicitur effici sine auxilio efficaci ab intrinseco.

Prob. 2ª pars min. Nulla omissio actus, stante sententia neothomistica, est vere libera. Ut enim libera sit, oportet ut positio actus sit possibilis homini, seu ut voluntas possit non omittere: illud enim est de ipsa notione libertatis. Atqui positio actus, sive naturalis sive supernaturalis, non est possibilis in sententia neothomistarum sine auxilio efficaci. Ergo.

Prob. 3ª pars min. Stante sententia Neothomistarum, homo non agit cum vera libertate ubi non resistit: ratio est quia impossibile ei est ut resistat. Etenim resistentia libera gratiae excitanti fieret vel libere non consentiendo gratiae, vel libere eliciendo actum oppositum. Atqui, stante sententia Neothomistarum, neutrum fieri valet: *Non primum:* Etenim alterum ex contradictorie oppositis non est positum in potestate arbitrii; ergo nec illud. *Non secundum:* Ad omnem enim actum exigunt auxilium efficax.

Si ais: Auxilium efficax constituitur in potestate arbitrii, neque exigitur ab arbitrio sive positio sive omissio ullius actus, eo nempe quod Deus sine conditione illud gratuito confert.

Resp. Vel Deus semper illud annectit et tunc nulla gratia est *pure* sufficiens; vel interdum, et tunc gratia pure sufficiens non fuit *vere* sufficiens. Quare ut fuerit saltem remote vere sufficiens, exigitur ut homo beneficio hujus possit sibi comparare auxilium efficax.

194. — SECUNDA PARS. GRATIA SUFFICIENS CONSISTIT IN COMPLEXU GRATIAE EXCITANTIS ACTU PRAESENTIS ET PRINCIPIORUM GRATIAE ADJUVANTIS OPERATURO PARATORUM.

Prob. Per gratiam sufficientem homo habet plenam et expeditam potestatem ponendi actum salutarem. Atqui talis non est ista potestas, nisi actu praesens sit gratia excitans et praesto sit principium gratiae adjuvantis quo efficienda est supernaturalitas actus salutaris. Ergo. — *Prob. min.* Ut ponatur actus salutaris, natura prius exigitur essentialiter illustratio mentis et inspiratio immediata voluntatis, quibus homo excitetur ad agendum salutariter, atque juvetur saltem moraliter; natura etiam prius exigitur id a quo dimanabit supernaturalitas actus salutaris, seu ejus principium: causa enim est natura prior effectu, inde debet esse praesto natura prius quam effectus sequitur. Praeter ea nullo alio auxilio indigent facultates. Atqui complexus eorum quae essentialiter praeexiguntur ad actum salutarem, quae habent ordinem ad eum, quibus facultates intrinsecus elevantur et juvantur, constituit potentiam plenam et expeditam agendi salutariter. Ergo.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

195. — **Obj.** 1°. Oculus est sufficiens principium ad videndum, etiamsi actu non videt ob defectum luminis. Ergo voluntas cui collatum est posse agere est sufficiens principium, licet requiratur auxilium efficax.

Resp. *Dist. ant.* Oculus est sufficiens principium *in actu primo remoto*, deficiente lumine, *Conc.; in actu primo proximo, Neg.* aut *Subd.* est proxime sufficiens quantum *ad principia intrinseca*, *Conc.;* quantum *ad omnia requisita* ad agendum, adeoque habet completam sufficientiam, *Neg.* — Praeterea in sententia neothomistica deest potentiae aliquid intrinseci praerequisiti ; quare potentia sine auxilio efficaci minus est in actu primo proximo ad agendum, quam oculus sine lumine ad videndum.

Obj. 2°. Inter gratiam sufficientem et efficacem vulgaris haec intercedit distinctio, quod 1° sufficiens dat posse, efficax autem velle et operari ; quod 2° illa includit auxilia excitantia, haec vero adjuvantia et cooperantia. Atqui haec perfecte verificantur in sententia Bannesianorum. Ergo.

Resp. *Dist. 1ª pars maj.* Auxilium vere sufficiens dat posse *completum*, ultra quod non requiritur aliud principium quo compleatur illud posse, *Conc.;* dat tantummodo posse, quo posito, arbitrium *absolute nondum valet transire ad actum. Neg. Cdt. 1ª pars min.* — *Dist. 2ª pars maj.* Gratia sufficiens non includit *intrinsecus* nisi auxilia excitantia, *Conc.*; non requirit, ex vulgi opinione, ut *praesto sint extrinseca requisita ad operandum*, ita ut per hominem stet iis uti aut non, *Neg. Cdt. 2ª pars min.* — Nihil vetat quin gratia adjuvans in actu primo dicatur extrinseca gratiae excitanti.

Obj. 3°. Plura requiruntur ad actu agere, quam ad potentiam completam agendi. Atqui eo quod, posita gratia sufficienti, non requireretur ulterius auxilium e quo procedat ipsa actio salutaris, non requirerentur plura ad actu agere quam ad potentiam. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Plura principia requiruntur ad agere *in actu primo proximo*, quam ad potentiam completam, *Neg.;* ad agere *in actu secundo*, *Subd.* plura requiruntur *principia* e quibus actio procedit, *Neg.;* plures requiruntur *perfectiones, Conc.* Et re quidem vera actus est perfectior potentia ; quare actio affert novam perfectionem, sed ista perfectio non est potentia ad agendum ; quare omne principium adest natura prius quam ponitur actus ; quamdiu unum principium deest, potentia ad agendum non est completa.

Obj. 4°. In tantum rejici posset sententia neothomistica, in quantum destrueret veram sufficientiam gratiae. Atqui eam non destrueret. — *Prob. min.* Illa gratia est vere sufficiens, quae dat actum primum completum. Atqui gratia neothomistice sufficiens dat actum primum completum ; praemotio enim physica, cum sit motio ad actum secundum, se tenet ex parte actus secundi.

Resp. a) Si praemotio est id quo potentia determinatur ad agendum, et si, sine illa, potentia nequit transire ad actum, dicenda est se tenere ex parte actus primi. — b) Dato praemotionem se tenere ex parte actus secundi, consequitur nihilominus α) actum primum nullum dari qui sit completus, siquidem aliquod principium intrinsecum, essentialiter requisitum ad agendum, deest. Si dicitur actum primum habere omne complementum quod est de ratione *actus primi*, reponitur β) actum primum ad salutariter operandum non habere omne complementum quod est de ratione *gratiae sufficientis;* debet enim potentia esse ita completa ut omissio actus secundi homini imputari valeat. Jamvero imputari nequit, si homo non praevenitur nisi gratia neothomistice sufficienti.

Obj. 5°. Sententia Molinae premitur iisdem incommodis ac sententia thomistica. Etenim a) arguitur in secundo argumento adversus sententiam neothomisticam ex eo quod destruit relativam gratiae sufficientiam ad operandum salutariter. Atqui sententia molinistica eam aeque destruit. Ergo. — *Prob. min.* Ad operandum salutariter exigitur Dei concursus. Atqui hic concursus deest in sententia molinistica. Ergo.

Resp. *Negatur paritas.* Concursus Dei semper est paratus et qua talis pertinet ad gratiam sufficientem ; eo ipso quod Deus tribuit gratiam excitantem, offert concursum suum ; quare arbitrium a Deo elevatum libere ponit actum, et tunc concursus actualis datur, aut eum omittit et tunc gratia est pure sufficiens. Contra in sententia Bannesianorum auxilium efficax non semper ultro datur a Deo, nulla enim gratia foret pure sufficiens, et est impossibile ut homo illud mereatur. Itaque *conceditur major* et *negatur minor.* Ad probationem, *distinguitur major :* Ad *actu* operandum salutariter exigitur Dei concursus, *Conc. ;* ad *potentiam* relative sufficientem, *Subd.* exigitur Dei concursus *oblatus et paratus, Conc. ;* exigitur Dei concursus *actu praestitus, Neg.* — *Cdt. min.* Ad *actu* operandum salutariter exigitur Dei concursus, *Conc. ;* ad *potentiam* completam, *Subd.* exigitur Dei concursus *oblatus* et *paratus, Conc. ;* exigitur concursus *actu* praestitus, *Neg.*

Obj. 6°. b) Impugnatur sententia neothomistica dicendo gratiam pure

sufficientem non esse vere sufficientem, si praeter eam exigitur praemotio ad agendum salutariter. Atqui simile incommodum evenit in sententia moliniana. Ergo. — *Prob. min.* Gratia sufficiens, ut distincta ab efficaci, includit negationem consensus. Atqui aeque impossibile est operari cum auxilio includente negationem consensus, quam sine praedeterminatione physica, si haec est necessaria ad actum salutarem. Ergo, si in sententia Bannesianorum non salvatur sufficientia libertatis ad consensum, neque salvatur in sententia Molinianorum.

Resp. a) Gratia pure sufficiens includit quidem absentiam consensus actualis ; at etiam includit potentiam completam ad consensum. — Gratia sufficiens abstrahit a consensu et includit completam sufficientiam ad consensum. — Contra gratia neothomistice sufficiens excludit potentiam completam consensus futuri. — Quare *distinguitur major :* Gratia sufficiens includit negationem consensus *actualis*, *Transm. ;* includit negationem *potentiae praestandi* illico consensum, *Neg.* — *Cdt. min.* — b) In sententia moliniana gratia est pure sufficiens *consequenter* ad denegatum consensum voluntatis ; quare si entitative inspicitur, non aufert potestatem plenam ad consentiendum. Contra in sententia neothomistica est pure sufficiens *antecedenter* ad consensum non praestitum. Itaque patet quomodo sit distinguendum.

ARTICULUS III.

An gratia pure sufficiens sit beneficium Dei.

196. — Gratia sufficiens dicit auxilium relative sufficiens ad salutariter operandum ; ista sufficientia est *intrinseca* gratiae. Gratia *pure* sufficiens huic sufficientiae superaddit carentiam effectus ; ista carentia est extrinseca gratia, eique superadditur ex culpa hominis. — Beneficium *materiale* est donum utile ei cui a donante confertur et quando confertur ; beneficium *formale* est idem donum a donante collatum *qua utile*, seu *ex benevolentia*.

Quaeritur itaque utrum gratia pure sufficiens, cujus inefficacia non latuit Deum antecedenter ad collationem, immo ad decretum absolutum illam conferendi, sit *donum utile* homini et an collata sit a Deo *qua utilis?*

Sententiae. *Negant Janseniani*, quorum dux Jansenius ait: « Istud gratiae sufficientis genus, quo adjuvante, nullum umquam opus factum est, aut fiet umquam, si est verum distinctumque a gratia efficaci membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiae, solummodo

peccatis faciendis, majorique damnationi accersendae serviens, ideoque lapsis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitatum » ([1]). — *Affirmant catholici* quorum sententia quoad primam partem, quae asserit gratiam pure sufficientem esse beneficium Dei materiale, videtur quoad rem *definita*, proscripta hac propositione 6ª ab Alexandro VIII : « Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est ; sicut merito possimus petere : a gratia sufficiente libera nos, Domine » (Denz. n. 1163).

THESIS XXXª. — Gratiae pure sufficienti non deest ratio beneficii, non modo materialis, sed etiam formalis.

197. — PRIMA PARS. AUXILIUM PURE SUFFICIENS EST BENEFICIUM MATERIALE.

Prob. Illud est beneficium materiale, quod est donum utile homini. Atqui gratia sufficiens est donum Dei homini utile. Ergo.

A. *Auxilium pure sufficiens est donum Dei.* Quaelibet gratia simpliciter talis est donum Dei, siquidem secundum doctrinam Ecclesiae, gratia est donum naturae indebitum et ex misericordia collatum a Deo. Atqui auxilium pure sufficiens dicitur simpliciter gratia. — *Prob. min.* a) II Cor. VI, 1 : « Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. » Hortatur Apostolus Corinthios ut bene utantur gratia Dei externa cui profecto Deus superaddit gratiam internam, cum tempus dicatur acceptabile et salutiferum. Censet itaque Paulus gratiam externam et internam posse in vacuum recipi, seu utramque posse reddi pure sufficientem. Nihilominus vocatur gratia. — b) Act. VII, 51 : « Vos semper Spiritui Sancto resistitis. » Spiritus Sanctus metonymice sumitur pro gratia, et ei resistere perinde est ac nolle consentire gratiae, seu eam reddere pure sufficientem.

B. *Illud donum est utile recipienti.* Auxilium pure sufficiens, si spectatur *post dissensum* voluntatis, reapse *non fuit utile ob malitiam voluntatis* quae ipsum effectu frustravit, verum ratio beneficii spectari debet *ante usum* voluntatis, pro instanti quo a Deo confertur, siquidem petitur an id, quod a Deo dimanat et tunc cum ab ipso dimanat, afferat utilitatem homini. Porro conferri donum utile sic probatur : Utile est homini accipere potestatem plenam et expeditam placendi Deo, et vitam aeter-

([1]) JANSENIUS : *De gratia Christi*, l. III, c. III.

nam consequendi. Atqui homo, recipiendo gratiam quam reddit pure sufficientem, recipit a Deo hanc potestatem. — *Constat minor* quia inefficacia gratiae a Deo acceptae non refundenda est in Deo, neque in gratia, sed in voluntate hominis quae potuisset uti gratia ad operandum salutariter.

Idem ferme argumentum sic etiam proponitur : In tantum gratia pure sufficiens non esset donum Dei, in quantum ejus inefficacia repetenda foret vel ex defectu virtutis intrinsecae, vel ex Dei voluntate hanc gratiam praecise conferente quia praescita est inefficax. Atqui primum non posse affirmari, ex thesi praecedenti constat ; alterum esse falsum, liquet quia Deus dat gratiam uti est vere et relative sufficiens. — Patet major quia utrum gratia sit donum, dijudicandum est ex ejus bonitate intrinseca et ex intentione donantis, non vero ex malitia voluntatis renuentis uti donis Dei.

198. — SECUNDA PARS. GRATIA PURE SUFFICIENS EST BENEFICIUM FORMALE.

Prob. I^m Arg. Gratia pure sufficiens confert homini potestatem plenam salutariter operandi, quae inefficax est ex culpa hominis; Deus praescivit quidem inefficaciam gratiae, verum eam non confert *quia* futura est pure sufficiens, seu eam non denegaret si futura esset efficax ; sed contra, eam confert uti est vere et relative sufficiens, et non obstante praescientia inefficaciae. Atqui, his stantibus, dicenda est gratia pure sufficiens esse beneficium formale seu conferri *qua utilis* seu quatenus ex se potest esse utilis homini et quatenus ex intentione Dei debebat esse utilis. Ergo.

Licet argumentum sit jam sufficienter probativum rei intentae, ut tamen evasiones Jansenianorum praecludantur, minorem sequenti ratione communimus: In tantum, his stantibus, gratia pure sufficiens non esset beneficium formale, in quantum Deus praescius inefficaciae posset ordinate agens mutare decretum conferendi hanc gratiam, vel nullam dando gratiam, vel dando gratiam validiorem et efficacem. Atqui Deus non potest ordinate agens 1° mutare decretum *nullam conferendo gratiam.* Peccator enim referret et lucrum et commodum ex malitia sua, siquidem victoriam de tentatione gravi et diuturnam legis observationem sibi redderet moraliter impossibilem, proindeque sine culpa gravi videretur posse legem violare. Atqui non fieret ordinate id e quo fluerent tales sequelae. Ergo. — Non potest 2° mutare decretum *conferendo gratiam validiorem.* Etenim a) periret cura salutis, seu segnitiei se dedere posset homo circa negotium salutis, cum Dei esset eligere

auxilia efficacia. b) Culpa hominis esset sic ratio Deum movens ad conferenda semper majora beneficia. Atqui haec ratio agendi non videtur ordinata. Ergo.

II^m Arg. Simplicissimus actus voluntatis divinae, quo Deus, summe potens, summe justus, summe bonus, vult tum sibi procurare determinatum gradum gloriae extrinsecae, tum conditionate salvare homines, tum consequenter ad praescita merita et demerita absolute alios salvare alios vero reprobare; hic, inquam, actus virtualiter aequivalet innumerae seriei actuum quorum unus est ratio alterius. Ut igitur aliquatenus attingatur natura istius actus, oportet sedulo hanc seriem ordinare. Porro, omissis nonnullis aliis instantibus ad rem praesentem non facientibus, *in priori signo* statuit Deus se velle conditionate hominum omnium salutem; *in secundo signo* absolute statuit dare omnibus gratias vere et relative sufficientes ut ad salutem possint pervenire; *in tertio signo,* per usum scientiae mediae, praescit quaenam gratiae in unoquoque ordine futurae essent efficaces, quaenam pure sufficientes, proindeque quinam in singulis ordinibus salvandi, quinam reprobandi forent; *in quarto signo* decernit unum ex variis ordinibus, in quo homines instruuntur gratiis aliis quidem efficacibus, aliis vero sufficientibus. — Collatio gratiarum, in tempore facta, est exsecutio decreti ab aeterno absolute lati. — Unde sic arguitur: Collatio gratiae pure sufficientis dicenda est formaliter benefica (seu Deus dicendus est conferre gratiam qua utilem et ex benevola voluntate), si decretum ab aeterno latum de hac gratia in tempore conferenda est formaliter beneficum. Atqui tale est. — *Prob. min.* Finis decreti est salus hominum, seu ratio, ob quam fuit latum est quia Deus vult salvare omnes homines adeoque eos esse instructos auxiliis vere et relative sufficientibus. — *Objectum* decreti, quatenus ad gratias pure sufficientes se extendit, sunt hae gratiae quatenus sunt *vere et relative sufficientes,* non autem prout sunt pure sufficientes. Atqui tale decretum est formaliter beneficum. — *Prob. min.* Sola ratio id negandi esset quia Deus diceretur ob praescientiam suam non posse ferre decretum de conferendis gratiis pure sufficientibus, proindeque vel quia deberet nullam gratiam conferre iis qui conditionate praesciti sunt consensum esse denegaturi, vel nonnisi auxilia efficacia. Atqui neutrum affirmari ullatenus posse modo est ostensum. Ergo.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

199. — CONTRA I^m PARTEM. Obj. 1°. Cujus rei carentia est

melior quam ipsa rei possessio, illa res non est beneficium. Atqui carentia gratiae pure sufficientis est melior quam ipsa gratia. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Cujus rei carentia est melior quam ipsa res *antecedenter ad usum malum rei*, id non est beneficium, *Conc.;* cujus rei carentia est *pejor quam possessio rei antecedenter ad malum usum rei,* licet sit melior *consequenter* ad hunc usum, talis res non est beneficium materiale, *Neg. Cdt. min.* — Itaque conceditur majus reponi beneficium in carentia gratiae quam in collatione consequenter ad malum usum; id tamen non impedit quin consequenter collatio maneat beneficium, licet minus, et quin antecedenter fuerit majus beneficium.

Inst. Atqui carentia gratiae pure sufficientis est melior quam ipsa gratia antecedenter ad ejus collationem. Etenim a) carentia gratiae pure sufficientis, judicio multorum, aufert potentiam peccandi formaliter, eo quod dat impotentiam abstinendi a peccato, cum urget gravis tentatio; contra, collatio istius gratiae tribuit non modo potestatem peccandi, sed et certitudinem peccatum committendi. Atqui prior est simpliciter melior posteriori. — b) Gratia pure sufficiens nullam utilitatem affert. Atqui melius est carere hujusmodi re, quam eam possidere. — c) De Juda proditore dicitur: « Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. » Ergo a pari.

Resp. Ad 1^{m}. Collatio gratiae pure sufficientis confert possibilitatem salutariter operandi et ob id fuit collata; carentia dat physicam impossibilitatem. E quo petitur distinctio ad maj. et ad min. — Ad 2^{m}. *Dist. maj. Antecedenter* ad usum aut non usum, *Neg.; consequenter*, *Subd.* ex defectu virtutis vel intentione conferentis, *Neg.;* ex malitia accipientis, *Conc. Cdt. min.* — Ad 3^{m}. *Dist. ant.* Bonum erat Judae, *consequenter* ad proditionem, si natus non fuisset, *Conc.; antecedenter, Neg.*

Obj. 2°. Illud non est beneficium pro quo orari non potest. Atqui pro gratia pure sufficienti non oratur. Secus enim oraretur ut peccatum committeretur, vel saltem abusus gratiae.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Orari nequit ut accipiatur gratia pure sufficiens *reduplicative* sumpta qua pure sufficiens, adeoque involvens dissensum voluntatis, *Conc.;* pro gratia pure sufficienti *materialiter et specificative* sumpta, seu pro gratia conferente potestatem salutariter agendi, licet Deus praesciverit abusum, de quo abstrahitur inter orandum, *Neg.*

Inst. Atqui non oratur pro gratia sufficienti specificative sumpta. Etenim a) nemo petit a Deo nudum posse, sed omnes bonam voluntatem et actionem postulant. — b) Non debemus petere id quod jam habetur,

aut in nostra est potestate, quia juxta Augustinum nihil est stultius quam orare ut facias quod in potestate habeas ([1]). Sed gratiam sufficientem habemus in nostra potestate, dum urget praeceptum. Ergo.

Resp. *Ad 1am prob. Dist.* Nemo *umquam* petit nudum posse *neothomisticum, Conc.;* posse *molinisticum*, *Subd.* nemo illud petit *signate,* seu disertis vertis, *Conc.; exercite*, *Neg.* Ratio cur explicite non petatur nudum posse, est quia petitur potius beneficium majus, qualis est gratia efficax, quam beneficium minus, qualis est gratia sufficiens. Verum saepe non petitur determinata gratia, sed impetratur auxilium quo voluntas valeat superare tentationes, salutariter operari, etc.

Ad 2m prob. *Dist. maj.* Non petimus id quod jam habemus *ex viribus nostris, Conc.;* id quod *a Deo* datur, *Subd.* quod *absolute* datur, *Conc.;* quod *conditionate* datur, nempe sub conditione petitionis factae, *Neg.* Deus promisit se justis collaturum esse gratias sufficientes ad observandam legem, vitandum peccatum, etc.; verum saepe, nisi oratio fiat, non sunt nisi *remote sufficientes*, proxime vero sufficientes conceduntur ob petitiones quae fiunt cum auxilio gratiae remote sufficientis. Deinde ob preces dantur gratiae abundantiores et validiores.

200. — CONTRA IIm PARTEM. Obj. 3°. Qui praestat alicui medium ex quo praescitur ruina illius secutura, non est formaliter beneficus. Atqui Deus sic agit, dum concedit gratiam pure sufficientem. Ergo.

Resp. a) Argumentum *nimis probat.* Ex eo enim sequeretur non tantum Deum non esse formaliter beneficum dum elargitur gratias pure sufficientes, sed insuper repugnare ut hujusmodi gratias tribuat. Jamvero exsistentia gratiae pure sufficientis fuit antea demonstrata. — b) *Dist. maj.* Qui praestat medium e quo *necessario* et *per se* sequitur ruina alterius, non est formaliter beneficus ubi praescitur ruina, *Conc.;* si ruina sequitur *per accidens*, ita nempe ut *per se*, *vi naturae* doni concessi, sequatur bonum ex dono collato, *Subd.* non est formaliter beneficus, si intendit ruinam per accidens secuturam, *Conc.;* si concessit medium *ut oriretur bonum* quod e medio per se sequitur, *Subd.* non est formaliter beneficus, *si tenetur aliunde impedire* ruinam praevisam, *Conc.; si non tenetur*, *Neg.* aut adhuc *Subdist.* dici nequit formaliter beneficus, si saltem *ordinate agens potest derogare* suae legi eamve mutare, *Conc.; si non ordinate derogaret*, *Neg.* — *Cdt. min.* — Cf. arg. 1m.

Obj. 4°. Formaliter beneficus non est ille qui ex duobus bonis quae

([1]) AUGUST. *De nat. et gr.* c. XVII.

praestare potest, eligit bonum minus in perniciem vertendum, cum aeque facile donum majus concedere potuisset. Atqui sic agit Deus gratias pure sufficientes elargiens. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Si confert bonum minus *quia est minus*, *Trans.;* si confert *quia est bonum,* et quia per se conducit ad aeternam felicitatem, *Neg.* aut *Subd.* si homo habet ullum titulum ad recipiendam gratiam praevisam efficacem, *Conc.;* si deest omnis titulus, *Neg.* — *Cdt. min.* — Notandum est Deum concedere gratias efficaces, quoties homo per opera supernaturalia ea meruit.

Obj. 5°. Ut Deus praestans gratias pure sufficientes dici possit formaliter beneficus, exigitur ut per eas serio velit salutem hominis. Atqui seria non est voluntas salutis quae talia media confert. — *Prob. min.* Non vult serio salutem ille qui, cum dare potest media quae scit de facto perductura ad salutem, dat ea quae praescit de facto non perductura ad salutem. Atqui Deus ita agit praestatione auxilii pure sufficientis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Exigitur ut velit serio et *absolute* salutem hominis, *Neg.;* serio idque saltem *conditionate*, nempe si is, qui recipit media sufficientia, iis rite utitur, *Conc.* — *Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. maj.* Non vult serio et *absolute* ille qui, etc. *Conc.;* non vult *conditionate*, *Subd.* si media concessa non perducunt ad salutem *ob imperfectionem* suam aut ex voto concedentis, *Conc.;* si tantum ex malitia illius cui dantur, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 6°. Deus volens ut homo operetur salutariter cum auxilio quod inefficax fore praevidet, vellet ut aliquid fieret contra aeternam suam praescientiam, cuperetque aliquid fieri quod certo scit non futurum; in utroque autem non potest esse voluntas seria ; ergo.

Resp. *Negatur major.* Praescientia divina praesupponit suum objectum et in eo aliquatenus fundatur. Inde homo, non ponendo terminum, indirecte impedit Dei scientiam tum visionis tum mediam. Quare Deus tribuendo auxilium quod futurum est inefficax, nihilominus sincere cupit ut voluntas creata determinet scientiam de positione rei; verum praescit voluntatem non posituram esse actum, et proinde determinaturam esse praescientiam de non positione rei.

CAPUT VI.

De gratia efficaci.

ARTICULUS I.

Praestituuntur fundamenta.

Duplex explicanda et inter se concilianda veniet veritas, scilicet gratiae infallibiliter efficacis antecedenter ad collationem, et libertatis integrae manentis in elicitione actus salutaris. Utraque veritas argumentis suis propriis stabilietur, priusquam exponantur et discutiantur quaestiones inde exortae.

§ 1. De gratiae efficacis infallibili connexione cum actu salutari.

201. — Alia gratia, a Deo collata, est pure sufficiens, alia est efficax. Ostensum est pure sufficientem esse quidem, uti confertur a Deo, vere et relative sufficientem, eaque conferri potentiam expeditam salutariter operandi; ostensum etiam est eam constare motibus gratiae praevenientis et principiis supernaturalibus actus salutaris, quae praesto sint operaturo.

Manifestum est dari a Deo *gratiam efficacem.* Hoc enim nomine intelligitur gratia quae sortitur effectum, seu attingit finem ob quem confertur a Deo, seu cui praestatur consensus salutaris; jamvero, teste Scriptura et Ecclesia, dantur homines sancti qui virtutem colunt, eliciunt actus salutares et in bono perseverant; haec autem fiunt ex auxilio gratiae; itaque datur gratia efficax. — Uti ex superius disputatis liquet, gratia efficax continet gratiam excitantem et gratiam adjuvantem seu principia supernaturalia consensus salutaris; haec autem principia sunt ipsi motus gratiae excitantis, siquidem physice concurrunt ad consensum efficiendum, habitus per se infusus, si datur hujusmodi habitus actui eliciendo correspondens. Examinabitur utrum ad explicandam gratiae efficaciam praeter ista principia, supernaturalitatem actus salutaris causantia, necesse sit admittere aliud quodpiam Dei donum fortassis a Deo datum ad consensum efficiendum.

Verum non modo infunditur a Deo gratia efficax, sed ista gratia est *infallibiliter efficax*, seu infallibiliter connectitur cum consensu salutari, scilicet non tantum in mente excitat pias cogitationes, non qualem-

cumque potestatem salutariter consentiendi tribuit, sed hujusmodi potestatem ut *antecedenter ad consensum* praestitum, *antecedenter ad decretum absolutum* Dei dandi gratiam, hypothetice infallibiliter certus fuerit iste consensus, adeoque ut gratia a Deo fuerit collata *qua efficax*. — Porro hanc esse indolem gratiae efficacis ex fontibus revelatis comprobabitur. Postea examinabitur undenam gratiae efficaci dimanet haec infallibilitas et quomodo concilietur cum libertate actus salutaris.

THESIS XXXI^a. — Revelatione manifestum est eam esse indolem gratiae efficacis consideratae in actu primo, ut infallibilem connexionem cum actu salutari sit habitura et qua talis a Deo fuerit aeternaliter decreta cum affectu specialiter benevolo.

202. — Probatio I^a. Ex Scripturis. I^m Arg. Ex V.T. 1. Apud Ezech. XII, 19 sq. Deus Israelitis ait : « Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum; et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum ». Apud Ezech. XXXVI, 26 sq., de gratia quae per Christum confertur iis, qui ab idololatria convertuntur et observant Dei legem, Deus ita loquitur : « Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri ; et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis et judicia mea observetis et operemini. » — Unde sic arguimus :

Dicit Deus se effecturum esse, adeoque se velle, non quidem conditionate, sed absolute, ut Israelitae et ethnici ad fidem conversi in praeceptis suis ambulent, et judicia custodiant, ideoque se ablaturum esse ab eis cor lapideum, h. e. voluntatem perversam, et daturum esse cor carneum, cor novum, h. e. voluntatem bonam. Atqui hoc Deus velle absolute et efficere nequit, nisi praedestinet et conferat gratias infallibiliter efficaces tum antecedenter ad collationem earum, tum etiam hypothetice antecedenter ad decretum conferendi easdem gratias, adeoque nisi eas conferat cum affectu specialiter benevolo. Ergo. — *Prob. min.* a) Fieri non posse ut Judaei et ethnici ad fidem conversi sine infusione gratiae in praeceptis Dei ambulent, ejus judicia custodiant, habeant voluntatem bonam pro perversa voluntate hactenus habita, manifestissimum est ex superius disputatis de impotentia hominis non modo ad salutariter operandum, sed etiam ad observan-

dum quoad substantiam Dei praecepta et vincendas honeste tentationes graves, nisi Deus eis succurrat immittendo gratias. — b) Gratias istas non esse qualicumque modo efficaces, sed eas, in actu primo consideratas, esse infallibiliter conjungendas cum effectu antecedenter ad collationem suam, perspicuum est quia Deus solemniter praenuntiat se ablaturum esse cor lapideum, daturum cor carneum, effecturum ut praecepta sua observentur et judicia custodiantur. — c) Easdem gratias, in actu primo consideratas, futuras esse infallibiliter, licet hypothetice, efficaces antecedenter ad decretum absolutum eas conferendi, constat tum quia si oppositum admitteretur, consequens foret Deum in incertum ferri dum efformat sua decreta de conferendis gratiis; tum quia decretum absolutum Dei non valet conferre gratiis connexionem infallibilem absolutam, nisi antecedenter ad decretum eadem gratia habuerit hypothetice connexionem infallibilem. — d) Easdem gratias a Deo decerni cum affectu specialiter benevolo, manifestum est quia manifestatur peculiaris amor ubi decernitur peculiare donum, qualis est gratia futura efficax.

Confirmatur interpretatione Augustini qui ex ll. cc. concludit Deum praeparare voluntatem, praebere vires efficacissimas quibus fiat actus intentus ([1]).

2. Apud Jeremiam XXXI, 33, Deus de gratia, in novo foedere conferenda, dicit: « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum ». E quo loco arguitur uti supra ([2]).

II^m Arg. Ex. N. T. — A. Argumentum praeclarum petitur ex epistola Pauli ad Romanos, ubi ferme ubique prae oculis habet gratiam infalli-

---

([1]) Aug. « Certum est nos velle, dum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est: « Praeparatur voluntas a Domino »; de quo dictum est: « A Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet »; de quo dictum est: « Deus est qui operatur in vobis et velle ». Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: « Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis ». Cum dicit: « Faciam ut faciatis », quid aliud dicit, nisi: « Auferam a vobis cor lapideum », unde non faciebatis, et « Dabo vobis cor carneum », unde faciatis. » *De gr. et lib. arb.* c. XVI. M. XLIV, 900.

([2]) Citari etiam solent tum verba Mardochaei orantis Deum ut convertat cor Assueri infensi Judaeis: « Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere tuae voluntati, si decreveris salvare Israel.... Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuae » (Esth. XIII, 9 sq.); tum verba Estheris: « Domine rex deorum et universae potestatis, transfer cor illius in odium hostis nostri », (ibid. XIV, 12 sq.); tum exauditio orationis utriusque: « Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem » (ibid. XVI, 11). — Verum abstinemus ab afferendis his argumentis, quia nihil ostendit immissa esse Assuero auxilia entitative supernaturalia seu gratias propriissime acceptas.

biliter efficacem a Deo aliis quidem datam ex gratuita bonitate, aliis autem ex justo judicio denegatam. Peculiariter id elucet ex capite IX dupliciter : — 1. *Ex querelis Judaeorum :* Apparent Judaei ad christianismum conversi querelas movere quia pars gentis judaicae sit exclusa a fide christiana et a justitia, contra promissiones Abrahae factas. Profecto non valebant movere querelas, nisi quia omnibus Judaeis concessa non erat gratia infallibiliter efficax in actu primo, siquidem omnibus Judaeis data fuerat gratia externa exemplorum Christi et praedicationis Evangelii cui annexa fuerat gratia interna praecise sufficiens. — 2. *Ex responso S. Pauli.* Ostendit Paulus justitiam et fidem christianam non fuisse promissas toti posteritati corporali Abrahae, sed nonnisi parti ; aliorum electionem, aliorum vero rejectionem fuisse praefiguratam in electione Isaac et Jacob et in rejectione Ismaelis et Esau. Concludit gratuita Dei bonitate vocari quicumque vocantur : « Moysi enim dicit : miserebor cujus misereor, et misericordiam praestabo cujus miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei » (IX, 15, 16). — E quo loco sic argui potest : Omnes Judaei habent gratiam sufficientem ad credendum, siquidem omnibus nuntiata est revelatio christiana ; attamen alii credunt, alii non credunt, adeoque alii habent gratiam efficacem, alii vero inefficacem. Rationem hujus repetit Paulus ex Dei misericordia ; itaque Deus ex pura misericordia dat gratiam efficacem in praesenti ordine Providentiae aliis ex Judaeis, non vero omnibus. Ergo Paulus ducit gratiam efficacem dari a Deo adeoque praedestinari *ut efficacem* seu ut infallibiliter sortituram effectum in quem tendit. — Manifesta est sequela, quia si gratia non datur a Deo adeoque praedestinatur qua efficax, dicenda erit dari et praedestinari uti praecise sufficiens. Atqui si datur et praedestinatur uti praecise sufficiens, tunc non unice Dei miserentis est quod alii credant prae aliis, sed adhuc hominis currentis et volentis. Etenim gratia, uti sufficiens considerata, est communis omnibus Judaeis, proindeque quod alii credunt, alii non credunt, hoc ex eo oritur quod alii bene utuntur gratia, alii male. — Confirmatur interpretatione s. Augustini ([1]).

([1]) AUG. Quomodo « non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei », nisi quia et ipsa voluntas, sicut scriptum est, praeparatur a Domino? Alioquin, si propterea dictum est : « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei », quia ex utroque fit, id est, et voluntate hominis et misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus tamquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei : non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis ; ac per hoc, si recte dictum est : « Non volentis hominis, sed miserentis est Dei », quia id voluntas hominis sola non

B. Eph. II, 10. Paulus, ut ostenderet Ephesios justificationem cunctaque bona spiritualia divinae gratiae attribuere debere, inquit: « Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus ». Iterum si Deus praeparat opera bona, praeparat gratias efficaces quas deinde uti tales infundit.

C. Joh. VII 44, 45: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.... omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me ». Asserit Augustinus his verbis significari gratiam efficacem a Deo datam qua talem, hominem nempe interna gratia ita trahi, ut infallibiliter ad Christum veniat (1).

203. — Probatio II^a. Ex Traditione. I^m Arg. Quae est indoles gratiae efficacis electis datae et praedestinatae, eadem est indoles gratiae efficacis ceteris hominibus datae et praedestinatae. Atqui gratia efficax electis data et praedestinata, in actu primo considerata, est infallibiliter conjungenda cum actu salutari, non modo antecedenter ad consensum ab homine dandum, sed adhuc antecedenter ad decretum Dei absolutum eamdem gratiam in tempore conferendi. Ergo.

Prob. min. I. Ex controversia Patrum cum semipelagianis. Ex hac nempe constat duplicem voluntatem Dei salvificam esse distinguendam: altera quidem est universalis et conditionata, vi cujus omnibus praeparantur et conferuntur gratiae praecise sufficientes ad salutem consequendam; altera vero est voluntas misericordiae specialis et restricta ad omnes et solos electos. Atqui voluntas ista misericordiae specialis potissimum in eo consistit quod electis dantur et praedestinantur gratiae efficaces infallibiliter sortiturae effectum, non modo antecedenter ad consensum iis ab electis datum, sed adhuc antecedenter ad decretum Dei absolutum easdem gratias conferendi: Si enim gratiae

implet; cur non e contrario recte dicitur: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? — Porro si nullus dicere christianus audebit: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat; restat ut propterea recte dictum intelligatur: « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei », ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam ». *Enchir.* c. XXXII.

(1) AUG. « Quando Deus docet non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas et ipsa operatio, non sola volendi et operandi naturalis possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus: « Omnis qui audivit a Patre et didicit », potest venire ad me. Non autem ita dixit, sed: « Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me ».... Non est autem consequens ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit. Sed « omnis qui didicit a Patre », non solum potest venire, sed « venit »: ubi jam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus, et actionis effectus est ». *De gr. Chr.* c. XIV. M. XLIV, 368.

electis datae et praedestinatae non dantur a Deo neque praedestinantur nisi uti sunt praecise sufficientes, Deum non gerere ab aeterno erga electos voluntatem misericordiae specialis, constat a) quia Deus ab aeterno omnibus praeparat gratias praecise sufficientes ; b) multis reprobis praeparatae fuerunt gratiae praecise sufficientes non minus numerosae neque minus potentes quam gratiae collatae et praeparatae multis ex electis. Quamobrem si omnes gratiae praeparantur ut praecise sufficientes, tribuendum unice erit bono aut malo usui gratiarum quod alii salvantur, alii autem reprobantur, neque id tribui valet speciali Dei misericordiae.

2. Ex distinctione quam ponit Augustinus in libro *de correptione et gratia* inter *adjutorium-sine-quo-non* collatum Adamo innocenti, et *adjutorium-quo* omnibus et solis electis datum in statu naturae lapsae. Deus nempe in statu innocenti contulit Adamo adjutorium sine quo non, vi cujus poterat Adamus non peccare, poterat non mori, poterat non deserere, poterat perseverare. Contra, electis in statu naturae lapsae tribuitur adjutorium quo fit ut velint, quo perseverantes actu sint, quo jam non possunt peccare, nec possunt mori, nec possunt deserere, quo voluntas agitur indeclinabiliter et insuperabiliter. Atqui tale adjutorium, praeter alia quaedam dona, de quibus postea dicetur, profecto continet innumeras gratias actuales quae dantur a Deo electis et iis praedestinantur veluti infallibiliter conjungendae cum fine, non modo antecedenter ad consensum salutarem iis praestitum, sed adhuc antecedenter ad earumdem praedestinationem : tunc tantum valet affirmari Deum ipsum dare electis non posse peccare, non posse mori, etc.

II^m Arg. Petitur ex locutionibus *gratiae efficaciam extollentibus*.

Chrysologus dicit gratia attrahi nolentes (1). Alibi de paralytico, cum dixisset medicos reluctantium quoque aegrotorum curam gerere, subjungit : « Quanto magis Christus medicus bonitate divina morbis saucios peccatorum et phrenesi criminum laborantes ad salutem etiam invitos attrahit et nolentes » (2).

S. Leo M. asserit gratia accendi mentium lucernas et voluntates inflammari igne (3).

Augustinus innumeris locis efficaciam gratiae extollit. Asserit interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cor-

(1) CHRYSOL. *Serm.* XVI *in Ps.* XXVIII. — (2) Id. *Sermo* L. — (3) LEO M. *Serm.* I *de jejun.*

dibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates ([1]). Praeterea gratiam appellat « inspirationem flagrantissimae et luminosissimae caritatis » ([2]); « omnipotentissimam voluntatem » ([3]); « occultissimam et efficacissimam voluntatem, ac potestatem, quae convertit et transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem » ([4]); « inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem » ([5]). In *Enchiridion* inquit: « Quis tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? » ([6]). Alibi ait: « Haec igitur gratia, quae occulte cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur » ([7]). De perseverantibus in bono loquitur eodem modo in l. *de correptione et gratia* ([8]).

Origenes vocat gratiam efficacem et omnipotentem ([9]).

III^m Arg. Petitur *ex orationibus Ecclesiae.* Ecclesia in orationibus sub sacrificio Missae recitatis ea profecto a Deo postulat, quae a Deo vere concedi et per preces impetranda esse credit. Nam viguit ab antiquis temporibus sententia « ut legem credendi lex statuat supplicandi, » ut loquitur S. Caelestinus P. ad episcopos Galliae. Atqui in orationibus ecclesiasticis postulamus gratiam infallibiliter efficacem. Exsistit ergo haec gratia. — *Prob. min.* Sic orat Ecclesia, « Dirige ad te tuorum corda fidelium, ut spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles et in opere efficaces » ([10]). « Largire supplicibus tuis, ut cogitemus, te inspirante, quae recta sunt, et, te gubernante, eadem faciamus » ([11]). « Concede nobis et nostrae voluntatis pravitatem frangere, et tuorum praeceptorum rectitudinem in omnibus adimplere » ([12]). « Tua medici-

---

([1]) Aug. *De gr. Chr.* c. xxiv. — ([2]) Ib. c. xxxvi. — ([3]) Id. *Cont. Julian.* l. IV, c. viii. — ([4]) Id. *Cont. duas epist. Pelag.* l. I, c. xx. — ([5]) *De corr. et gr.* c. xiv. — ([6]) Id. *Enchir.* c. xcviii. — ([7]) *De praed. SS.* c. viii.

([8]) Id. « Tantum quippe accenditur Spiritu Sancto voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitae hujus... ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur; et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. » *De corr. et gr.* c. xxii, n. 38. M. XLIV, 939.

([9]) Orig. « Omnipotentis Dei misericordiam deprecamur, qui nos non solum auditores verbi sui faciat, sed et factores; et inducat super nostras quoque animas diluvium aquae suae, et deleat in nobis quae scit esse delenda, et vivificet quae scit esse vivificanda per Christum Dominum nostrum, et per Spiritum suum sanctum. » *Hom* ii *in Gen.*

([10]) Fer. iv^a post Domin. ii^m quadrag. — ([11]) Dom. v^a post Pascha. — ([12]) In vigilia Pentec.

nalis operatio tuis semper faciat inhaerere mandatis » ([1]). « Omnium nostrum ad te corda converte » ([2]). Saepe dicitur: « Ad te compelle rebelles nostras voluntates. » Atqui gratia quae praestat ut recta cogitemus et faciamus, quae voluntatis nostrae pravitatem frangit, quae est medicinalis operatio, corda convertit, ac voluntatem etiam rebellem revocat ad obsequium, gratia quae voluntatem reluctantem emendat et ad bonum inclinat, haec, inquam, gratia est infallibiliter efficax.

§ 2. De libertate actus salutaris.

204. — Notiones. A. Definitio libertatis. 1. Libertas a coactione est immunitas a vi extrinsecus illata contra actualem voluntatis propensionem. Actus liber a coactione opponitur actui necessario ab extrinseco; hoc nomine intelligitur actus ad quem eliciendum voluntas determinatur per causam extrinsecam, contra actualem suam propensionem; est proinde actus qui quadamtenus a causa secunda educitur ex potentia voluntatis. — Voluntas non tantum de facto est libera a coactione, verum repugnat ut cogatur circa actus elicitos. — 2. Libertas *indifferentiae*, seu a necessitate, est immunitas *a vi intrinseca,* seu ab intrinseca determinatione ad unum. Definitur: facultas quae, positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest actum elicere aut omittere, elicere actum bonum aut malum, elicere unum ex actibus specifice diversis.

B. Evolvitur libertatis definitio. 1. *Positis omnibus ad agendum requisitis:* Ad agendum praerequiruntur: a) voluntas; b) cognitio objecti; c) concursus Dei; d) absentia impedimenti quod infallibiliter et inevitabiliter excludat unum ex extremis. — 2. *Potest agere aut non agere*: Cum voluntas libera, requisitis stipata, possit agere vel non agere, a) *essentia libertatis arbitrii* dicenda est stare in indifferentia activa. Jamvero ut *indifferentia* habeatur, requiritur ut actus a voluntate, in actu primo constituta, possit procedere et ut possit non procedere, proinde ut voluntas per actum primum non sit determinata ad unum; ut indifferentia sit *activa,* exigitur ut voluntas se ipsam extrahat ex statu indeterminationis. b) *Exercitium formale libertatis* dicendum est stare in electione seu in determinatione activa ad unum.

Quocirca ad libertatem non sufficit indifferentia *objectiva et judicii;* haec tamen requiritur: apprehendendum enim est judicio bonum indif-

([1]) Domin. XIX post Pentec. — ([2]) Domin. XXIV post Pentec.

ferenter appetibile. Neque sufficit indifferentia *subjectiva passiva* sita in eo quod subjectum est indifferens ad patiendum, ad recipiendam formam : sic enim omne corpus esset liberum, materia prima esset summe libera utpote summe determinabilis ad formas. Neque sufficit *indifferentia activa in sensu diviso ab actu primo proximo ;* omne enim corpus est indifferens ad producendum determinatum effectum quandiu non constituitur in actu primo et proinde gauderet libertate. Hinc requiritur indifferentia activa *in sensu composito cum actu primo proximo,* h. e. requiritur ut arbitrium, actualiter stipatum omnibus iis quae constituunt actum primum completum, possit agere vel non agere.

QUAESTIO. In tractatu de Deo creante adversus Novatores et Baianos vindicatur *exsistentia libertatis* in statu naturae lapsae, videlicet ostenditur falso prorsus inter sequelas P. O. enumerari exstinctionem liberi arbitrii ; libertatem fuisse quidem infirmatam, ablatis donis supernaturalibus et praeternaturalibus, immo juxta nonnullos doctores debiliorem esse factam quam fuisset in statu naturae purae ; attamen eam mansisse essentialiter integram. — Superius actum est *de extensione libertatis in ordine naturali,* nempe probatum fuit talem esse hominis lapsi potestatem liberam, ut sine auxilio gratiae divinae valeat, non modo physice sed et moraliter, quaedam opera moraliter bona peragere, amare Deum supra omnia amore affective efficaci, vincere tentationes leves. — Heic inquiritur *de extensione libertatis in ordine supernaturali,* quaeritur nempe utrum libertas hominis lapsi versetur *circa actus salutares;* sive utrum voluntas potuisset *omittere hos actus* qui nunc de facto cum auxilio gratiae efficacis sunt eliciti, sive etiam utrum *gratia, quae nunc de facto fuit efficax, potuisset, homine volente, esse pure sufficiens?*

Sententiae. I^a^. Aperte negant hi omnes qui asserunt libertatem a necessitate esse exstinctam per P. O. — Speciatim negant a) Lutherani, duce Luthero (1) ; b) Calviniani, duce Calvino (2) ; c) Janseniani, duce Jansenio. Hi volunt homini lapso non inesse nisi libertatem a coactione, adeoque volunt actum salutarem fieri per gratiam necessitantem.

II^a^. Affirmant Augustinienses, Neothomistae, Moliniani. Utrum omnes libertatem explicite assertam realiter integram servent ubi

(1) LUTHERUS : « Sequitur nos necessario operari ; necessario dico, non coacte, hoc est, homo, cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia velut captus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte et libenti voluntate facit. » *De serv. arb.* fol. 468.

(2) CALVINUS : « Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor et constanter assevero, ac pro haeretico habeo quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror. » L. II. *De lib. arb.*

explicant in quonam consistat efficacia gratiae, postea discutietur.

Qualificatio : Actus salutares, seu elicitos auxiliante gratia efficaci, esse liberos, est de fide definita ex Trid. sess. VI[a], can. 4 : « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti.... ; neque posse dissentire, si velit.... A. S. »

THESIS XXXII[a]. — Ea non est infallibilitas connexionis gratiae efficacis cum actu salutari, ut libertatem hujus actus e medio tollat.

205. — Probatio I[a]. Ex Scripturis. I[m] Arg. Ex V. L. 1. Actus qui adscribitur electioni est liber. Atqui actus salutaris adscribitur electioni. Ergo. — *Prob. min.* a) In Deut. XXVI, 17 de populo judaico, quando cum foedus cum Deo fecit, dicitur : « Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias caerimonias illius et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio. » Unde sic : Populus judaicus dicitur elegisse Deum, promisisse obedientiam ei ; dubitari non potest eos, qui pium hoc propositum conceperunt, gratia efficaci praeventos et adjutos fuisse, adeoque operatos esse salutariter. — b) Psalmista de seipso dicit : « Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum » (Ps. LXXXIII, 11). Porro Psalmista non caruit gratia efficaci quando unionem cum Deo hominum consortio anteposuit.

2. Actus qui ita ab homine positus fuit, ut potuerit ab eo, si maluisset, omitti, est liber. Atqui actus salutares ab homine positi, dicuntur potuisse ab eo omitti. In Eccli. XXXI, 20 de justo qui inventus est sine macula, dicitur : « Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna : qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit. »

3. Passim Patriarchae aliique homines justi ob opera bona et meritoria laudantur. Atqui nemo jure laudatur, nisi de actibus bonis quos libere effecit. Ergo.

II[m] Arg. Ex N. L. ET V. L. Quod praecipitur lege, est liberum. Atqui opera salutaria lege praecipiuntur. Ergo. — *Prob. min.* Jubentur homines opera pietatis exercere, jubentur peccatores ad Deum converti. Apud Zacch. I, 3 dicitur : « Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos. » Joel. II, 12 sq. : « Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra. » Is. I, 16 : « Quiescite

agere perverse, discite benefacere. » Apostolus ad Phil. II, 12 ait: « Itaque carissimi mei.... cum metu et tremore salutem vestram operamini. » In I Tim. IV, 7, scribit: « Exerce teipsum ad pietatem. »

206. — Probatio IIa. Ex Traditione. Im Arg. Ex Patribus. 1. Patres docent hominem libere agere quotiescumque salutariter agit. Sic a) Origenes, Ambrosius, Hilarius, Nazianzenus, Nyssenus qui refellit eos qui objiciunt Deum posse, si vellet, eos etiam qui resistunt, compellere ut necessario suscipiant praedicationem. Sic etiam b) Ephrem, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus in Rom. VIII, Gregorius M. et Bernardus ([1]).

([1]) Orig. « Definitum est ecclesiastica praedicatione omnem animam rationalem esse liberi arbitrii et potestatis.... nec nos necessitate cogi, aut agere recte vel male. » L. *Periarch.* in prooem.

Ambr. « An verendum est, ne liberum tollere videamur arbitrium, cum omnia, per quae propitiatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens ostenditur. Operante enim Spiritu Dei, juvatur arbitrium, non aufertur. » *Epist.* LXXXIV. — « Non servili ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, sive ad virtutem propendamus, sive ad culpam inclinemur. » *De Jacob. et vit. beat.* l. I, c. I, n. I.

Hilar. « Esse filios Dei, non necessitatem esse voluit, sed potestatem. » L. I *de Trin.* n. II.

Greg. Naz. In verba Christi « non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est » (Matth. XIX, 11), ita disserit: « His verbis, *quibus datum est*, hoc adjunge, qui digni sunt, quique ut tales sint non modo a Patre acceperunt, sed sibi ipsis etiam dederunt.... Bonum enim, quod a natura proficiscitur, laudem non meretur: quod autem a libera voluntate animique instituto fluit, id laude dignum existimandum est. » *Or.* XXXVII, al. XXXI, n. 15 sq.

Greg. Nyss. « Ubi est ergo in his liberum arbitrium? Ubi est virtus? ubi est laus eorum, qui se recte gerunt? Ad quid enim (homo) sua utetur mente et cogitatione, si potestas ejus eligendi, quod suo arbitratu constituit, sita est in alio? » *Or. catech.* c. XXXI.

Ephrem. « Libero arbitrio Deus homines donavit, unde praemia et supplicia ei sunt proposita; ac bene quidem certantibus honor et corona, transgressoribus autem et contemptoribus supplicia et tormenta. » *De vita spirituali*, n. 93.

Chrys. De diluvii temporibus ita loquitur: « Sui juris et arbitrii naturam nostram Dominus formavit. Unde enim, dic, oro, illi ad malitiam properabant, et seipsos poenis faciebant obnoxios; ille (Noe) autem virtutem eligebat, et fugiens eorum societatem poenae non obnoxius fuit? Nonne manifestum est sua quemque voluntate vel malitiam eligere, vel virtutem? Nam, nisi ita esset, et nisi naturae nostrae potestas (libere eligendi) insita esset, neque illos puniri, neque istas virtutes praemia accipere oportebat. » *Hom.* XXII *in Gen.* n. I. — « Regnum caelorum adipisci possumus. Ideo te namque libero arbitrio praeditum fecit Deus: quoniam sic Deus voluit; ecce enim, inquit, ignem et aquam; ad quod volueris, extendas manum tuam, ut ne postea accuses quasi necessitate colligatus. » *Hom.* XIV *in* I *Cor.* n. 3.

Hier. « Si Dei praecepta custodiens filius quis efficitur Dei, ergo non est natura filius, sed arbitrio suo. » *In Matth.* V, 46.

Greg. M. « Praeveniente ergo gratia, et bona voluntate subsequente, hoc, quod Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod bene Paulus brevi sententia explicat dicens: « Plus omnibus laboravi, » qui ne suae videretur virtuti attribuere quod fecerat, adjunxit: « Non ego autem, sed gratia Dei mecum. » Quia enim caelesti dono praeventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit, dicens: « Non autem ego. » Sed quia, praeveniente gratia, liberum in eo arbitrium fecerat bonum, quo libero arbitrio eamdem gratiam est subsecutus in opere, adjunxit: « Sed gratia Dei mecum, » ac si diceret: In bono opere

2. Patres affirmant actus salutares potuisse omitti, obsequium legi Dei esse positum in hominis potestate. Sic Irenaeus et Tertullianus (1).

3. Ex AUGUSTINO, cujus auctoritate adversarii abutuntur : a) Aperte asserit liberum arbitrium non tolli per gratiam, sed adjuvari (2). — Porro ad hanc locutionem advertere expedit ea quae in superioribus monuimus. Libertas scilicet judicio Augustini involvit duo : potestatem habendi actum primum completum et potestatem transeundi ad actum secundum ; jamvero homo per peccatum originale amisit potestatem habendi actum primum completum proindeque potestatem transeundi aut non transeundi ad actum secundum operis salutaris ; quamobrem cum omnimoda veritate asserit s. Doctor per gratiam (intellige in statu naturae lapsae), adjuvari libertatem, non vero tolli. Quod s. Augustinus tenet hominem, in actu primo constitutum beneficio gratiae, posse pro nutu transire aut non transire ad actum secundum, adeoque eum instrui ea libertate quam definiunt philosophi et circa quam controversia movetur cum haereticis, id ulterius patet luculenter. Etenim b) actus salutares attribuit electioni voluntatis, adeo ut cuique liberum sit esse justum aut esse peccatorem (3). c) Affirmat gratiam a voluntate accipi aut rejici posse (4). d) Denique integrum librum *de gratia et libero arbitrio* scripsit ad refellendum errorem quem Calvinus et Jansenius recoxerunt. Scopum ab initio sic proponit : « Quoniam sunt

---

laboravi non ego, sed et ego. In eo enim, quod solo Domini dono praeventus sum, non ego ; in eo autem, quod donum voluntate subsecutus, et ego. » *In Ezech. hom.* IX, n. 2.

BERN. « Sic autem gratia cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat, in ceteris comitetur ; ad hoc utique praeveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur... Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur ; tolle gratiam, non erit unde salvetur. » *De gr. et lib. arb* c. XIII.

(1) IREN. *Contra haereses*, l. II, c. XXVII, n. 1. — TERTULL. *Cont. Marcion*, l. II, c. V.

(2) AUG. « Liberum arbitrium non ideo tollitur quia juvatur, sed ideo juvatur, quia non tollitur ». *Epist.* CLVII *ad Hilar.* n. 10. — « Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio ». *De sp. et litt.* c. XXX, n. 52. M. XLIV, 233.

(3) Id. « Audi ergo de libero arbitrio ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti ; audi dicentem : « Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum ». Cum ergo dicit : « Aut hoc facite, aut illud facite », potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest, sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quae bona sunt et esse arbor bona, aut eligere quae mala sunt et esse arbor mala ». *De actis cum Felice Manichaeo*, l. II, c. IV.

(4) Id. Ad illa verba : « Petro.... det vobis » : inducit loquentem Paulum : « Quod peto a vobis, rogo, det vobis. Peto enim a vobis propter arbitrium voluntatis, rogo, det vobis propter auxilium majestatis.... Quia ut Deus velit dare, debes et tu ad accipiendum accommodare voluntatem. Quomodo vis accipere gratiam divinae bonitatis, qui sinum non aperis voluntatis ? » *Serm.* CLXV. al. VII *de verbis Apost. cont. Pelag.* n. 1 et 2.

quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut, quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere... compellente mutua caritate, curavi ».

Confirmatur talem esse mentem Augustini ex s. Prospero qui, post responsiones ad capitula Gallorum, veram s. Augustini doctrinam tradit quindecim sententiis. Porro sexta haec est : « Qui dicit, quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum, sive ad malum, praedestinatio Dei in hominibus operetur, non est catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, et ab errore in viam revocat ac reducit, ut quod sua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente, sit rectum » ([1]).

II^{m} Arg. Ex Conciliis et RR. PP. 1. Juxta Arausicanum baptizati omnes possunt et debent adimplere quae ad salutem pertinent, ideo gratia cooperatur eis et auxilium praebet (Denz. n. 169). Atqui hujusmodi verbis indicatur libertas actus salutaris.

2. Tridentinum in sessione VI^{a}, cap. v, declarat adultos, per Dei excitantem et adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponi; ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit ». Et sententiam oppositam anathemate plectit canone 4.

3. Innocentius X, Alexander VII et Clemens XI damnarunt ut haereticam hanc 3^{m} ex quinque propositionibus Jansenii : « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ». Ergo ad merendum et demerendum non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate, seu vera libertas indifferentiae. Cum igitur dentur actus salutares, sequitur eos esse immunes a necessitate.

4. Clemens XI damnavit 10^{m} et 11^{m} inter 101 propositiones Quesnellii. 10^{a} : « Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare »; 11ma : « Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei jubentis et facientis quod jubet ». Denz. n. 1225 sq.

([1]) M. XLV, 1841.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

207. — **Obj.** 1°. Ex Joh. VI, 44. Christus dicit: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum ». Atqui trahere non significat motionem liberam, sed necessariam. Ergo homines, dum gratia efficaci ad bonum trahuntur, liberi non sunt.

Resp. 1. Vel objectio supponit sub influxu gratiae haberi tractionem physicam, vel haberi tractionem moralem. Si de tractione *physica* sit sermo, vel ita homo trahitur ut non possit non sequi : tunc autem amittit libertatem indifferentiae, quemadmodum ille qui in carcerem traheretur, amitteret libertatem a coactione. Vel ita trahitur homo, ut possit non sequi, nempe tantum juvatur physice ut agat : tunc autem integram servat libertatem a necessitate, uti etiam immunitatem a coactione servaret is qui pari modo ad carcerem traheretur. — Si agitur de tractione *morali,* precibus facta, suasionibus, promissionibus, aliisque propositis motivis, libertas relinquitur integra, sive procedat tractio a Deo sive a causa creata. — 2. Juxta Augustinum trahit Pater delectando et docendo, non vero necessitando ; ista tractio potest intelligi esse tantum moralis, aut insuper physica. — Quare *Dist. maj.* Pater trahit *moraliter*, *Conc. ; physice, Subdist.* ita ut homo *determinetur* ad sequendum, *Neg.*; ut *juvetur* quidem, tamen ut indifferens maneat, *Conc.* — *Cdt. min.*

Obj. 2°. Ut actus salutaris dici queat liber, exigitur ut homo reapse agat, dum efficitur hic actus. Atqui non agit. Paulus enim docet in actibus salutaribus solum Deum operari : In I Cor. XII, 6 scribit : « Deus operatur omnia in omnibus »; ad Eph. I, 11 : « Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suae » ; ad Phil. II, 13 : « Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. »

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad probationem minoris observa : a) Deus operatur quidem in omnibus, siquidem omnia conservat, omnibus causis concurrit, omnia gubernat, verum in singulis agit modo eorum naturae consentaneo ; quare ita non operatur ut causae secundae non operentur, praesertim ita ut causae liberae nullum eliciant actum. Itaque operatio in libero arbitrio libertatem non tollit, sed juvat [1]. Praeterea b) si agitur de actibus salutaribus, Deus operatur quidem solus, quatenus ab eo solo pendet praedestinatio gratiae efficacis potiusquam praeparatio gratiae inefficacis ; verum non operatur solus, exclusa

(1) Cf. AUG. *De gr. et lib. arb.* c. IX.

cooperatione liberi arbitrii hominum. Quare negatur a Paulo affirmari Deum solum operari omnia, exclusa operatione causae secundae. — Verba s. Pauli perpendentur ubi agetur de molinismo.

Obj. 3°. Multoties asserit Scriptura Deum vi gratiae infallibiliter obtinere quidquid vult, auferre cor lapideum et dare carneum cor, hominis cor creare ac resuscitare. Atqui hae expressiones indicant libertatem tolli per gratiam efficacem. Ergo.

Resp. Non minus clare in aliis testimoniis vindicatur hominis libertas in actu salutari. Quomodo infallibilitas connexionis gratiae efficacis cum consensu et libertas istius consensus concilientur inter se, disputabitur; ostendetur nempe Deum posse infallibiliter obtinere consensum non modo necessitatem imponendo, sed etiam conferendo auxilium cujus efficacia ope scientiae mediae ipsi perspecta fuerit antecedenter ad decretum illud conferendi. Quare *Conc. maj. Neg. min.*

Obj. 4°. Ex. Augustino. Julianus sic libertatem definiverat: « Liberum non est nisi quod duo potest velle, bonum et malum; » hanc definitionem Augustinus his verbis impugnat: « Si liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum et malum; liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo ipse dixisti, « Deus esse nisi justus non potest: » siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem » (1). Unde sic: Tenet Augustinus Deum esse liberum. Atqui fatetur ei non convenire libertatem a necessitate. Ergo libertas vera non stat in ea. — *Prob. min.* Asserit Deo non convenire definitionem libertatis a Juliano traditam; atqui haec est de libertate a necessitate. Ergo.

Resp. Triplex est libertas indifferentiae: contradictionis, specificationis et contrarietatis versantis circa bonum et malum morale. Notio libertatis, a Juliano conficta, non est nisi de libertate *contrarietatis;* Augustinus ostendit eam esse pravam, quia non convenit Deo qui non gaudet nisi libertate contradictionis et specificationis. — Quare *distinguitur major :* Tenet Augustinus Deum pollere libertate *contrarietatis*, *Neg.;* reliqua libertate, *Conc.* — *Cdt. min.* — Ad prob. *distinguitur major* eodem modo.

Aliae difficultates ex Augustino petitae examinantur in tractatu *de Deo creante*, ubi adversus Baianos probatur libertatem humanam non fuisse ablatam in poenam peccati originalis. — Aliae examinabuntur ubi refutabitur sententia Jansenii de efficacia gratiae. — Aliae demum in thesi speciali circa mentem Augustini de natura gratiae efficacis.

(1) Aug. l. I *operis imperfecti contra Julianum*, n. 100. M. XLV, 1116.

ARTICULUS II.

Recensentur sententiae de natura gratiae efficacis.

208. — **Gratia efficax**, ea scilicet gratia quae obtinet finem, seu cui voluntas consensit, seu quae connectitur cum actu salutari, habet tum efficaciam *virtutis* quatenus potest connecti cum actu, tum efficaciam *actualem* seu connexionis, quatenus reapse cum actu connectitur. Praeterea ex supra probatis omnis gratia efficax in actu primo considerata habitura est *infallibilem* connexionem cum actu, h. e. antequam voluntas gratiae efficaci consentit, antequam haec gratiae datur, immo antequam a Deo aeternaliter et absolute decernitur in tempore danda; infallibiliter est certum fore ut, si datur, conjungenda sit cum actu salutari. — Ista infallibilitas est triplex: a) *objectiva*, h. e. infallibiliter certum est entitatem gratiae efficacis conjunctum iri cum actu salutari; b) *cognoscitiva*, h. e. ista infallibilis connexio nota est Deo antecedenter ad decretum absolutum eam elargiendi; c) *affectiva*, h. e. Deus specialem amorem gerit erga eum cui decernitur gratia futura efficax, potius quam alia gratia futura pure sufficiens; hic vero affectus manifestatur decreto absoluto quo decernit Deus gratiam qua efficacem adeoque absolute vult actum salutarem. — Gratiam efficacem pollere triplici hac infallibilitate certum est potissimum ex controversia Semipelagianos inter et Augustinum qui nempe propugnavit voluntatem Dei misericordiae specialis erga electos.

Quaestio. Quamobrem quaerere quaenam sit natura gratiae efficacis formaliter consideratae ut *efficacis* est quaerere a) a quonam gratia efficax *proxime mutuetur suam efficaciam* potiusquam pure sufficientiam, seu connexionem cum consensu voluntatis potiusquam cum dissensu ejus; b) a quonam mutuetur *triplicem infallibilitatem efficaciae* seu *connexionis cum actu salutari.*

Pericula vitanda. In solvenda subdifficili quaestione, invigilandum est ne laedantur veritates hactenus stabilitae, imprimis vero sequentes: a) Gratia interna praevenit et adjuvat voluntatem quoties haec salutariter operatur, estque principium supernaturalitatis omnium actuum salutarium. — b) Datur gratia pure quidem, vere tamen et relative sufficiens. — c) Libertas voluntatis, secundum genuinam notionem, manet integra tum sub motione gratiae quae erit pure sufficiens, tum sub motione gratiae quae erit efficax. Quare penes voluntatem fuit tum dare consensum ei gratiae a qua de facto dissentiit, tum denegare

consensum ei gratiae cui de facto consensum praestitit. — d) Deus serio vult omnium hominum salutem, ideoque omnibus parat et concedit media relative sufficientia, ita ut reprobi jacturam salutis non imputare valeant Deo, sed tantum sibi. — Porro ea doctrina, quae triplicem infallibilitatem connexionis cum his veritatibus antea stabilitis amico foedere componit, spernenda non est; si qua sententia id sola prae ceteris praestat, ea est ceteris praeferenda.

209. — **SENTENTIAE.** Auctores dividuntur in duas classes, ubi respondent duabus quaestionibus modo propositis.

Alii volunt gratiam efficacem esse talem *ab intrinseco,* seu ejus entitatem esse talem ut arbitrium ea praeventum non possit non conjungere consensum. Quare infallibilitatem *objectivam* repetunt ex entitate gratiae; *cognoscitivam* ex scientia simplicis intelligentiae, qua nempe Deus, antecedenter ad decretum absolutum conferendi gratiam, perspectam habuit virtutem gratiae efficacis esse talem ut non possit non conjungi cum consensu ; *affectivam* reponunt in decreto quo Deus statuit dare auxilium ab intrinseco efficax, proindeque quo antecedenter ad omnem consensum voluntatis, sive absolute praestandum, sive conditionate, vult absolute ut certi actus salutares ponantur.

Alii volunt gratiam efficacem esse talem *ab extrinseco,* nempe ratione determinationis voluntatis ad consentiendum. Arbitrium, aiunt, per vires naturales et proprias potest gratiam excitantem facere irritam seu pure sufficientem; potest etiam consensum suum praestare per vires gratiae sibi gratuito a Deo concessas. Consentit autem per vires gratiae cum excitatur ad salutariter agendum illustratione et inspiratione et consensum salutarem efficit sive cum concursu physico motus gratiae praevenientis, sive cum concursu habitus infusi, sive cum speciali Dei cooperatione. Infallibilitatem vero connexionis antecedenter ad collationem gratiae et ad decretum absolutum eam dandi, non possunt aliter explicare nisi recurrendo ad scientiam mediam. Si enim gratia non est efficax ab intrinseco, Deus nequit praescire ejus efficaciam, neque ante, neque post decretum ratione entitatis gratiae aut ratione decreti gratiam conferendi; restat itaque ut, antecedenter ad decretum absolutum conferendi gratiam, praesciat consensum conditionate futurum, et proinde efficaciam gratiae, quia hanc voluntatis determinationem conditionate futuram in seipsa attingit. — Quamobrem infallibilitatem *objectivam* gratiae efficacis repetunt ex consensu voluntatis conditionate futuro; *cognoscitivam,* ex scientia media; *affectivam,* ex decreto quo Deus, praelucente scientia media de efficacia et

inefficacia omnium gratiarum, absolute statuit dare gratiam praevisam conditionate efficacem potius quam gratiam praevisam inefficacem.

Ex his cernere est *momentum controversiae alibi agitatae de scientia media;* cernere etiam est quare patroni primarum sententiarum tam acriter scientiam mediam impugnaverint ([1]).

210. — **Systema Jansenii.** A. AD PRIMAM QUAESTIONEM supra propositam, qua nempe quaerebatur undenam gratia efficax mutuetur suam efficaciam, seu undenam habeat quod connectatur cum consensu salutari, respondet Jansenius: a) Gratia efficax est talis ab *intrinseco*, seu conjungitur cum actu salutari ratione entitatis a Deo productae in certis adjunctis; b) haec entitas reponitur *in delectatione relative victrici, physice praedeterminante voluntatem ad actum salutarem* in adjunctis in quibus hic et nunc versatur homo; haec scilicet delectatio caelitus immissa, indeliberata et vitalis superat intensitate concupiscentiam malam oppositam hic et nunc prementem, adeoque eam vincit et necessario secum trahit voluntatis actum seu delectationem deliberatam ([2]).

EXPLICATUR. 1. Systema Jansenii innititur duobus principiis: a) *De natura voluntatis.* Secundum Jansenium voluntas ita est comparata, ut necessario tendat eo quo magis ipsam allicit delectatio indeliberata et vitalis, seu motus indeliberatus complacentiae aut desiderii. — Si in

---

([1]) Usus scientiae mediae insignis etiam est in alia quaestione intime nexa cum infallibilitate efficacitatis gratiae efficacis, nempe in quaestione de praedestinatione ad gloriam. Cum enim ex fontibus revelatis constet Deum fovere affectum specialiter benevolum erga eos qui quondam gloria aeterna sunt donandi, hunc amorem non tantum consequi ad praevisionem absolutam bonorum operum, sed eam antecedere, quaesitum est in quonam situs sit specialis iste amor — Docebant Calviniani eum reponi in eo quod Deus, antecedenter ad omnem praevisionem meritorum, tum absolutam, tum conditionatam, absolute velit alios ad gloriam praedestinari, alios ad gehennam positive deputari. — Bañez O. P., rejecta reprobatione positiva tamquam haeretica, admisit omnes salvandos praedestinari ad gloriam antecedenter ad praevisa merita; ceteros ad gloriam non eligi, adeoque reprobari negative; addidit Deum decretum praedestinativum exsequi gratiis ab intrinseco efficacibus sive praemotionibus, quarum ope eliciantur actus supernaturales, quibus praedestinati fiant digni gradu gloriae absolute prius intento a Deo. — Molina S. J. vero docuit praedestinationem ad gloriam seorsim sumptam consequi praevisionem meritorum supernaturalium, affectum autem benevolum Dei erga electos reponi in eo quod Deus, citra intentionem praeviam absolutam dandi gloriam, ob rationes se dignas nobis vero inscrutabiles, praelucente scientia media circa efficaciam omnium gratiarum, statuit conferre gratias praevisas conditionate efficaces et perducturas ad regnum caelorum, omissis gratiis praevisis conditionate inefficacibus, atque ita homini gratiae cooperaturo speciale praestat beneficium.

([2]) JANSENIUS : « Perspicue apparet impossibile esse ut adjutorium illud caelestis delectationis non determinet, immo praedeterminet voluntatem, quia facit ut velis, et sine illa velle non possis; facit etiam ut ardentius velis, et sine illa ardentius velle non possis; facit denique, ut necesse sit animum sequi, et secundum illud operari, quod amplius delectaverit. » *De gr. Chr.* l. IV, cc. VIII ; l. VIII, cc. III, IV, VIII.

partes contrarias sollicitatur voluntas, necessario sequitur motum intensiorem. Itaque motus intensior vincit motum oppositum minorem, proinde est relative victor [1]. — b) *De impotentia naturali bene agendi.* Per P. O. homo intrinsecus foedatur, non experitur jam nisi inclinationem in malum, adeoque non nisi prave agit, si sibi relinquitur.

2. *Conclusio.* Ergo ut fiat actus bonus exigitur ut caelitus immittatur delectatio bona (superna, caelestis) quae superet gradum concupiscentiae malae, adeoque sit relative major; haec delectatio physice praedeterminat voluntatem; actus, hujus ope elicitus, est immunis a coactione, non vero a vi intrinsecus necessitante.

3. Ex his facile colligitur discrimen gratiae pure sufficientis et gratiae efficacis judicio Jansenii. Gratia medicinalis Christi, seu suavitas et delectatio caelitus emissa, quae producitur concurrente duplici causa, Deo nempe causa principali, et facultate causa instrumentali, vel est minor vel est major quam mala concupiscentia ei opposita. Si delectatio ista caelestis est minor gradu quam concupiscentia mala inclinans ad actum oppositum, impossibile est ut homo salutariter operetur. Idcirco hujusmodi delectatione, quae vocatur gratia parva, confertur quidem homini potentia absoluta bene operandi, seu praeciso concupiscentiae gradu actualiter premente et in oppositum inclinante; verum non confertur potentia relativa, quae nempe in his adjunctis sufficiat ad salutariter agendum. Contra si delectatio ista caelestis est major quam concupiscentia mala opposita, eam necessario vincit seu physice determinat actum salutarem. Vinceretur a concupiscentia mala, si haec gradu superaret. Est itaque victrix, non absolute sed relative. Inde gratia efficax ab inefficaci distinguitur quia efficax ex se sola est necessario victrix concupiscentiae hic et nunc vigentis, inefficax vero necessario hac concupiscentia vincitur.

B. Ad secundam quaestionem, qua nempe petebatur undenam habeat gratia efficax quod infallibiliter sit conjungenda cum actu salutari antecedenter ad collationem suam et ad decretum Dei absolutum eam immittendi voluntati creatae, haec fit a Jansenianis responsio : a) Infallibilitas *objectiva* petitur ex his quae intrinseca sunt gratiae et adjunctis in quibus datur, seu ex majore intensitate gratiae quam concupiscentiae, non vero ex consensu a voluntate dando, siquidem

---

(1) Jansen. « Major delectatio numquam sane delectatione minore superabitur. Quare si voluntas vel levissime allicitur in unam partem, eo non potest non deflectere, si nullus datur motus in partem oppositam. » Cfr. op. cit. l. IV, c. vi.

antecedenter ad hunc consensum gratia futura est infallibiliter efficax. — b) Infallibilitas *cognoscitiva* ex scientia Dei simplicis intelligentiae versante circa gratiam et concupiscentiam oppositam. — c) Infallibilitas *affectiva* sic explicatur : Specialis Dei amor manifestatur decreto absoluto Dei quo prius absolute definit certos actus bonos et consequenter decernit delectationem relative victricem. — Rationabiliter non potest dari alius ordo naturae. Si enim aliae gratiae non possunt non esse efficaces, si aliae vero non possunt esse efficaces, Deus, concedendo priores potiusquam posteriores, non potest non absolute prius velle actus salutares ; qui enim vult medium necessarium, natura prius vult finem praecognitum, sed gratiae efficaces sunt medium necessario operans actum salutarem.

Qualificatio. Systema Jansenianorum est *proximum haeresi.* — Non est quidem haereticum: non enim est definitum efficaciam gratiae non stare in delectatione victrici; est tamen proximum haeresi, quia quinque famosae propositiones Jansenii, damnatae tamquam haereticae, logice fluunt ex systemate ejus de efficacia gratiae.

Observa 1. In systemate Jansenianorum, quoties non adest gratia, concupiscentia carnalis allicit sola voluntatem ; quare, cum asserant ad peccatum formale non requiri libertatem indifferentiae, voluntas necessario et in omni actu peccat quoties destituitur gratia, et quoties gratia non est relative victrix. — In caelo, desinente concupiscentia, anima totis viribus in Deum tendit ; in terra apud multos homines modo gratia praedominatur, modo concupiscentia ; quare anima modo in Deum fertur, modo in creaturam. — Jansenius servat actui salutari nomen libertatis. Eum liberum esse dicit, siquidem fit a volente ; fit autem a volente quia delectatio victrix efficit ut voluntas velit et agat. Manifestum est hanc esse libertatem a *coactione.*

Observa 2. Quaeres quomodo Jansenius putaverit *vitari a se damnationem sententiae Calvini a Tridentino factam ?*

Resp. Contendit Jansenius se integram servare libertatem arbitrii, eam autem perverti in systemate Calvini quod ideo fuit damnatum. — At inane est effugium : Jansenius enim libertatis nomine intelligit solam immunitatem a *coactione*, hanc autem nullatenus denegavit Calvinus [1].

---

(1) Calv. « Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor et constanter assevero, ac pro haeretico habeo quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur et violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror. » Cfr. l. II *cont. Pighium.*

Observa 3. Vasquez excogitavit et primum publice tradidit a° 1580 systema delectationum sibi mutuo oppositarum. Jansenius, a Vasquezio illud mutuatus, deturpavit errore. — Systema Vasquezianum complectitur tria :

a) Ille qui consentit in bonum honestum, relicto inhonesto, efficacius considerat et ardentius delectatur honesto quam inhonesto, et quidem ante liberum consensum delectatur indeliberate « non delectatione quae jam est cum consensu, sed ea qua Deus affectum nostrum ita disponit ut consensum ab eo eliciat (1), « vel affectu delectationis primi motus » (2). — b) Ratio ob quam cogitatio et delectatio est major de objecto cui consentitur quam de objecto cui dissentitur, non est sita in absoluta entitate ipsa delectationis et cogitationis, seu non desumitur tantum ex varietate ipsa intrinseca operationis, sed ex illa *cum omnibus circumstantiis* quibus conjungitur (3), « non absolute sed relate ad illum cui datur » (4). — c) Libertatem vero cum hoc systemate ita conciliat : « Respondeo, proposita cogitatione efficaciori et minus efficaci, esse in potestate voluntatis, absque novo dictamine, ab efficaciori mentem avertere et applicare intellectum ut efficacius oppositum consideret: et ideo si efficaciori cogitationi consentit, libere consentire. Tamen repugnat ut in id consentiat quod minus cogitat et minus delectat comparatione ejus quod magis delectat et efficacius consideretur » (5). — Quare distinguit Vasquez delectationem indeliberatam et deliberatam; indeliberata saepe est duplex et sibi contraria; voluntas non sequitur necessario majorem (6), sed applicari potest minori haud secus ac majori ; ex libera applicatione voluntatis oritur delectatio deliberata quae est major quam delectatio indeliberata opposita; ad eam sequitur consensus voluntatis.

Observa 4. Quaeres *notionem delectationis et ejus causalitatem?*

(1) Vasquez, in I p. d. xcviii, n. 16. — (2) Ib. n. 47. — (3) Ib. n. 36. — (4) Ib. n. 40. Cfr. in Im IIae, d. cxxviii, n. 11.

(5) Ib. n. 46. Cf. d. lxvii, n. 14. Videtur Vasquezius consentire Bellarmino dicenti actum liberum determinari judicio practico, esse vero liberum quia ipsum judicium est liberum « Sciendum est, ait Bellarminus, cum proponuntur a ratione varia media et ostenditur quid boni et quid mali sit in unoquoque, voluntatem inclinari modo in unam partem, modo in aliam, et in potestate ejus esse ut sinat se moveri vel resistat, non quidem actu positivo sed negativo, non sinendo videlicet se moveri. Per hoc enim quod voluntas sinit se moveri ab una ratione proposita, fit ut mens, omissa alia inquisitione, pergat et concludat judicium particulare quod continuo sequitur electio. Itaque libertas voluntatis in eo proprie sita esse videtur, quod, propositis variis rationibus non necessariis, sinat se moveri ab una et non ab alia. » *De gr. et lib. arb.* l. III, c. ix, ad 7m arg.

(6) Vasq. « Est enim, ait in disp. lxvii, n. 14, in voluntate libertas tum ut id quod efficacius proponitur (ante consensum seu delectationem deliberatam) non sequatur, tum etiam ut intellectum applicet ad efficacius considerandum oppositum. »

a) Delectatio *stricte* talis est amor jucundi; *late* talis est amor qualiscumque seu complacentia boni. — b) *Voluntas est facultas prosecutiva boni et aversativa mali:* Cum prosequitur deliberate bonum aut jucundum, formaliter movetur bonitate ejusque delectatione indeliberata. Cum malum aversatur, radicaliter movetur bono contrario et ejus amore seu delectatione late sumpta, his tamen non movetur proxime et formaliter. — Homo ad agendum semper movetur, saltem implicite, fine ultimo. Quare bonum ejusque delectatio indeliberata potest dici principium remotum omnis volitionis.

211. — Systema Augustiniensium ([1]). A. GRATIA EFFICAX reponitur generatim *in delectatione superna, indeliberata, relative majore* (h. e. in delectatione cujus gradus superat gradum concupiscentiae oppositae), quae ideo secum trahit delectationem deliberatam, seu consensum creaturae. Itaque gratia efficax in certis adjunctis collata habet efficaciam suam ab intrinseca sua entitate, non vero a consensu libere a voluntate praestito. Alii inter Augustinienses alium influxum attribuunt delectationi supernae. — a) Juxta Berti ([2]) et Belelli delectatio relative major *physice praedeterminat consensum*, ita ut repugnet non sequi consensum qui proin absolute et infallibiliter est certus. — b) Juxta Ludov. Habert ([3]) et Contenson ([4]), delectatio relative major *moraliter praedeterminat* consensum, ita nempe ut consensus sit moraliter et infallibilis et certus, licet non repugnet eum non sequi. Quemadmodum certum est, ait Contenson, hominem per longum vitae tempus non vitare omnia peccata venialia, vel numquam fore ut vir prudens, recreationis vel exercendae libertatis gratia, oculos eruat vel se praecipitem det e fenestra, aut nudus per plateas ambulet; ita certum est consensum salutarem dari delectationi relative majori.

B. INFALLIBILITAS CONNEXIONIS explicatur eodem modo atque in systemate Jansenii. a) Infallibilitas *objectiva* repetitur ex vi relative majore delectationis supernae, trahentis consensum sive physice sive

---

([1]) Cf. NORISIUS. T. I, continens sacra; et t. II, diss. v: *Jansenii erroris calumnia sublata.* — BELELLI: *Mens Augustini de modo reparationis humanae naturae post lapsum. De statu naturae rationalis ante peccatum.* — LAUR. BERTI: *De theol. disc.* t. I, l. IV, c. XIII et l. XIV, c. VIII.

([2]) « Cum contrahatur animus delectatione sancta et noxia, numquam se inclinabit in unam potiusquam in alteram, sed pendebit anceps donec una sit altera robustior eamque deprimat, nullus enim nisi a fortiori vincitur et superatur.... In aequali gradu concupiscentiae gratia succumbet, quia homo, etiam cum aequali virtute, majorem habet ad malum quam ad bonum inclinationem. » *Theol. discipl.* t. I, l. XIV, c. VIII.

([3]) HABERT: *De gr. Chr.* c. VI, § 7. — ([4]) CONTENSON: *Theol. mentis et cordis*, l. I, diss. X, c. II, specul. 3.

moraliter. — b) Infallibilitas *cognoscitiva* ex scientia simplicis intelligentiae, qua Deus, antecedenter ad decretum absolutum, cernit certum gradum delectationis supernae superare concupiscentiam oppositam, et secum trahere consensum voluntatis. — c) Infallibilitas *affectiva* ex decreto absoluto quo Deus vult actum salutarem poni, ideoque infundi delectationem supernam.

Observa 1. Connexio objectiva delectationis supernae cum consensu voluntatis ab Augustiniensibus vocatur moralis; Berti et Belelli eam vocant moralem, quia afficit mores, vel quia movet illustrando et delectando; Habert et Contenson eam sic vocant quia non nisi moraliter certum facit consensum.

Observa 2. *Quaeres in quonam Augustinienses conveniant cum neothomistis, in quonam disconveniant.* — Resp. a) *Conveniunt* in eo quod juxta utrosque impossibile est ut ad gratiam sufficientem consequatur actus salutaris, nisi aliud donum Dei infundatur. Juxta neothomistas enim gratia sufficiens, praecise talis, non dat nisi posse ; ut consequatur actus, requiritur infusio praemotionis. Juxta August. gratia, quae nonnisi sufficiens est, gradu est minor quam concupiscentia mala; inde infundendus est caelitus gradus major ad hoc ut sequatur actus. — b) *Differunt* quoad tria : α) Augustinienses reponunt efficaciam gratiae in actu vitali delectationis ; neothomistae in qualitate non vitali. — β) Juxta Augustinienses gratia non est nisi relative efficax, in his nempe adjunctis, in quibus datur, est victrix de hoc gradu concupiscentiae qui est minor ; in aliis adjunctis, si concupiscentia mala esset major gradu, foret inefficax. Contra juxta neothomistas gratia efficax talis est absolute et in omnibus. — γ) Juxta Augustinienses in praesenti tantum statu, ob infirmitatem naturae vitiatae et debilitatae per P. O., gratia nequit esse efficax nisi sit delectatio superna relative major. Contra juxta neothomistas in nullo statu naturae gratia valet esse efficax, nisi sit praemovens Sic Belelli [1]. Praeterea secundum neothomistas praemotio semper physice praedeterminat ad actum ; contra secundum nonnullos Augustinienses delectatio relative major nonnisi moraliter praedeterminat.

Observa 3. *Quaeres in quonam Augustinienses differant a Jansenia-*

---

(1) Belelli : « Libertatem indifferentiae omnino subvertit praedeterminatio physica generalis motoris descendens necessaria ex capite supremi dominii et dependentiae essentialis... e contra vero efficax Salvatoris... a nobis... statuitur, dumtaxat ut infirmitati per peccatum relictae succurrat ». *De statu creat. ration. ante pecc.* l. II, c. xxvii.

nis ([1]). — RESPONDENT Augustinienses a) se salvare libertatem indifferentiae quam rejicit Jansenius ([2]) : de quo quid sit sentiendum dicetur postea; b) se uti quidem iisdem principiis ac Jansenium, Ecclesiam vero damnasse non haec praecise principia, sed sequelas a Jansenistis inde deductas, quam ipsi respuunt ([3]). Denique c) secundum Jansenistas delectatio relative victrix physice praedeterminat voluntatem ad actum bonum; contra secundum nonnullos Augustinienses delectatio relative major nonnisi moraliter praedeterminat.

212. — **Systema neothomistarum, seu praedeterminatorum** ([4]). Ducibus Dominico Bañez ([5]) et Didaco Alvarez ([6]), theologis sec. XVI, strenue id systema progugnaverunt Gonetus ([7]), Thomas de Lemos ([8]), Billuart ([9]), Goudin ([10]), Dummermuth ([11]).

A. EFFICAX GRATIA, seu donum divinum quod conjungitur cum consensu salutari, reponitur in *praemotione physica*. Definitur « qualitas physica ex intrinseca sua entitate ita cum consensu voluntatis creatae connexa, ut repugnet actum voluntatis non elici quando haec qualitas adest, hunc actum elici quando non adest ». Ista autem qualitas, a Deo efficienter procedens, voluntati creatae inhaeret eo solo tempore quo actus elicitur, ideoque *fluens* dicitur. — Ratione influxus quem in

---

([1]) Innocentius XII ad reprimendam audaciam eorum qui Thomistas et Augustinienses Theologos Janseniani erroris insimulabant, in Brevi Apostolico dato anno 1694 ad Episcopos Belgii, haec opportune mandavit : « Ad exstinguenda Theologorum jampridem inter se excitata dissidia, fraternitatibus vestris injungimus, ne ulla ratione quempiam vaga ista accusatione et invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex his (quinque damnatis Jansenii) propositionibus docuisse aut tenuisse. »

([2]) BERTI in *Apol.* p. 10 : « Systema quod nos in libris de theologicis disciplinis propugnavimus est gratiam esse mentis illustrationem et inspirationem caritatis, sed magis in delectatione quam illuminatione sitam esse; gratiam efficacem esse *victricem delectationem* quae superat contrariam cupiditatem ; delectationem non esse eamdem in omnibus, sed modo efficacem, modo inefficacem, et habere caritatem et gratiam *gradus suos*, ex quibus absque ullo praejudicio absolutae Dei voluntatis, mirabilis ejus oeconomia una cum vera arbitrii libertate facile potest dignosci ». Cf. *Theol. disc.* l. XIV, c. VIII, prop. 47. — *In Apol.* p. 76 : « Haeresim Jansenianam sitam quidem esse in delectatione superiori inferente necessitatem, non autem in delectatione superiori ita alliciente et permulcente animam, ut non solum a coactione, sed etiam a necessitate liberrimus trahatur ad opus. »

([3]) Fatetur ipse Berti (diss. V, c. III) : « Do ex eo Janseniano principio (duarum delectationum) quinque proscriptas theses manare. »

([4]) Praedeterminatores se ipsos *thomistas* appellare consueverunt, ut hoc nomine significent se insistere vestigiis Angelici. Verum eorum adversarii haud minus gloriantur quod sententia sua non sit aliena a mente Aquinatis. Quapropter aequum est vel ut neutri sibi tribuant nomen de quo inquiritur quibusnam recte conveniat, vel ut utrique se thomistas dicant, adjecto alio termino quo discernantur a se mutuo, ita nempe ut alii appellentur *Thomistae-Bannesiani*, alii vero *Thomistae-Moliniani* aut *Suareziani*.

([5]) In I p. q. XXIII, art 3. — ([6]) *De aux.* d CXIV, art. 2. — ([7]) *Clyp. Theol. thomist.* t. I, d. IX. ([8]) In *panoplia gratiae.* — ([9]) *De Deo*, diss. VIII et *tract. de gr.* d. V. — ([10]) *De gr.* q. V, a. 4. — ([11]) *S. Thomas et doctrina praemotionis physicae, responsio ad R. P. Schneemann S. J* etc.

voluntatem exercet, haec qualitas vocatur *praedeterminatio*, *praemotio physica;* est enim id quo voluntas physice determinatur et movetur prius, in ordine naturae, quam ponatur ejus actio.

Ulterius explicatur systema neothomistarum. 1. Quia praemotio non habet nisi *esse fluens* et incompletum, ideo non est proprie qualitas. Hoc tamen nomine a nonnullis Bannesianis vocatur, quia sc. ad genus qualitatis reducitur. Alii tamen, cum Didaco Alvarez, volunt praemotionem vocari, non quidem qualitatem, sed *motionem virtuosam.* Alii influxum divinum, impressionem divinae virtutis, complementum virtutis agentis secundi ex virtute agentis primi.

2. Particula *prae*, occurrens in praemotione et praedeterminatione, significat prioritatem naturae (causalitatis, a quo) non vero temporis (durationis, in quo). « Illa praepositio nihil aliud denotat aut denotare potest quam Deum esse priorem aut primam causam, prius natura et causalitate moventem, applicantem, inclinantem et determinantem voluntatem, quam ipsa voluntas se determinet; faciens proinde in illo priori rationis ut voluntas libere se determinet, ita ut ista causalitas sit vera : ideo voluntas se libere determinat in actu secundo, quia prius a Deo determinatur in actu primo ». Sic *Lemos,* qui in congr. de auxiliis partes agebat Dominicanae familiae, disputans contra P. Ferdinandum Bastida partes Societatis agentem ([1]).

3. Praemotio dicitur *physica* a) in oppositione ad *motionem moralem*, quam Moliniani propugnant, qua voluntas allici quidem dicitur gratia praevenienti, repraesentatione bonitatis alicujus objecti, sed qua indifferens relinquitur ad actum salutarem; b) in oppositione ad motionem eam quae nonnisi ab extrinseco efficax est; c) in oppositione ad *motionem naturalem*, quae per modum naturae citra rei intellectionem determinat actum. Uti scite advertebat P. Bastida ([2]), « physica non intelligitur quaecumque actio vera et realis (talis enim competit v. g. habitibus supernaturalibus et omni gratiae cooperanti in quovis systemate, immo, juxta plures, ipsi gratiae excitanti competit relate ad actum deliberatum), sed significat haec vox efficaciam illam convenire auxilio praedeterminanti non ex aliqua extrinseca circumstantia ant congruitate, vel ab alio extrinseco agente, sed *ex propria sua praecisa*

([1]) Cfr. Lemos : *Acta omnia Congr. ac disput....* quas disputationes ego F. Thomas de Lemos eadem gratia adjutus sustinui contra plures ex Societate. Disp. III coram Paulo P. V, col. 1065. — Cfr. etiam Livinus de Meyer, S. J. *Historia Congr. de auxiliis*, l. VI, c. VI.

([2]) Cf. Liv. de Meyer, l. c.

entitate. » Quibus consentiunt neothomistae. Dicitur physica, ait Gonet, « non quod forma naturalis sit per modum naturae ad unum determinans, sed quia ex propria essentia et *ab intrinseco est efficax*, *independenter* a quocumque creato consensu » ([1]).

4. Magnus est apud neothomistas usus praemotionis et decreti praedeterminantis in quaestione de scientia divina. Etenim tenent intellectum divinum aeternaliter praescire futura contingentia ratione decretorum praedeterminantium. — Quoad libera absolute futura, decretum praedeterminans est actus divinae voluntatis quo antecedenter ad praevisionem consensus voluntatis creatae, Deus ab aeterno decernit absolute se praemoturum esse voluntatem creatam ad singulos actus ejus liberos. — Quoad futura conditionate, est actus quo, antecedenter ad praevisionem consensus hypothetice futuri, voluntas divina ab aeterno decernit absolute ad quosnam actus liberos praemotura esset voluntatem creatam, si purificaretur conditio, quae de facto non purificabitur, puta si crearetur homo qui reapse non creabitur, aut si homo absolute futurus poneretur in certis adjunctis in quibus non constituetur. — Hinc videre est decretum divinum quoad conditionate futura libera esse subjective absolutum et objective conditionatum : absolute quidem exsistit in Deo decretum, verum ejus objectum, sive id quod decernitur, verificandum non est absolute, sed hypothetice, si nempe ponitur aliqua conditio non ponenda. — Porro ut decretum praedeterminans sortiatur effectum suum, et sic sit medium aptum infallibiliter cognoscendi ab aeterno futura libera, oportet ut decretum Dei versetur secundario circa medium quocum infallibiliter conjungatur consensus voluntatis. Illud autem medium aliud non est nisi praemotio physica. — Ratione hujus praemotionis decretum praedeterminans ab aeterno fundat scientiam divinam libere futurorum.

5. Magnus etiam est usus praemotionum in quaestione de praedestinatione ad gloriam ; est enim medium quo Deus infallibiliter facit ut electi eliciant eos actus supernaturales qui absolute a Deo sunt voliti et quibus se dignos faciant eo gradu gloriae qui eis est praedestinatus antecedenter ad ullam meritorum praevisionem.

6. Si quaeritur de discrimine inter gratiam pure sufficientem et gratiam efficacem in sententia neothomistarum, haec fit responsio : Gratia sufficiens, seu etiam gratia excitans, stat in qualitate mortua quae est principium illustrationis et inspirationis et dat posse agere salutariter;

([1]) Lemos : *Clyp. Thom. de praed.* disp. VI, a. 5, § 1, n. 67.

illud posse est ex se absolute irreducibile ad actum. Quare si non infunditur a Deo nova qualitas mortua quae determinat facultatem ad actum salutarem, gratia sufficiens est necessario pure sufficiens. Haec nova qualitas est gratia efficax.

7. Plerique neothomistae in praefatis conveniunt. Advertendum tamen est nonnullos a ceteris dissentire quoad secundaria quaedam. Sunt videlicet qui admittunt quidem praemotionem realiter distingui a gratia sufficienti quatenus iis qui salutariter non operantur infunditur a Deo qualitas qua tribuitur a Deo nudum posse operari salutariter; verum negant iis qui actum salutarem eliciunt duas a Deo infundi qualitates realiter distinctas: volunt enim unicam qualitatem praemovere tum ad motus gratiae praevenientis, tum ad actum salutarem. — Praeterea nonnulli volunt voluntatem humanam non praedeterminari ad actus liberos ordinis naturalis, sed unice ad actus liberos ordinis supernaturalis. Plerique tamen tuentur duas species praemotionum, alteram nempe naturalium, alteram vero supernaturalium. Et re quidem vera qui negant arbitrium praedeterminari ad actus naturales, vel e medio tollunt Dei praescientiam de his actibus, vel eam explicare debent eodem modo ac Moliniani.

B. Infallibilitas connexionis petitur: a) *objectiva* ex praemotione, quae nempe semel posita non potest non conjungi cum consensu salutari, et sine qua nullus actus salutaris elici valet; b) *cognoscitiva* ex scientia simplicis intelligentiae, qua Deus in decreto praedeterminante cognoscit actum salutarem (non desunt tamen qui infallibilitatem cognoscitivam repetunt ex scientia visionis, quia futura contingentia a Deo cognoscuntur in decretis absolute exsistentibus in Deo); c) *affectiva* ex decreto quo Deus absolute praedefinit actus salutares ob prius praedestinatam gloriam caelestem et consequenter decernit dare praemotionem, antecedenter ad ullum praescitum consensum voluntatis creatae.

213. — Systema Molinianum ([1]). De efficacia gratiae. Gratia efficax est talis *ab extrinseco;* gratia scilicet conjungitur cum actu salu-

([1]) « *Concordia* Molinae a° 1588 typis est mandata et edita a° 1589. — Lessius jam a° 1585 usus erat scientia media in explicanda praedestinatione et efficacia gratiae. Etenim a° 1587 ad Bellarminum scribens « illa praescientia, ait, quam *ego primo a Reverentia vestra accepi*, me in difficillimis locis D. Aug. mire juvat. » — Praeterea eodem anno composuit *Apologiam*, quam a° 1588, ante editam *Concordiam* Molinae, Romam misit, cum commentariis de scientia conditionata, praedestinatione et gratia efficaci quibus Apologiam defendit contra Lovaniensium impugnationes. Demum P. Costerus, provinciae praepositus, id dicebat Lovanii doceri a Jesuitis, quod Romae didicissent et per universum orbem non solum a nostra Societate sed ab aliis quoque doctoribus passim teneri et tradi scirent. « (Liv. de Meyer, *Hist.* l. I, c. viii, p. 9). — Oliv. Manaraeus dicebat doceri idem

tari *ratione consensus libere praestiti a voluntate per vires gratiae agenti;* sive aliter adhuc, *efficacia actualis gratiae determinatur a libero arbitrio agente per vires gratiae.*

Explic. 1. Omnis gratia habet *efficaciam virtutis.* Gratia, qua Deus excitat ad salutariter operandum seu consentiendum, continetur illustratione mentis et inspiratione voluntatis; praeterea homini gratia excitato parata sunt principia gratiae adjuvantis, quibus scilicet causetur supernaturalitas actus salutaris; continentur haec principia praeter habitus per se infusos, secundum alios motibus gratiae praevenientis quibus competit non modo causalitas moralis respectu actus salutaris sed adhuc causalitas physica, secundum alios concursu Dei speciali et supernaturali qui praesto est homini salutariter operaturo. Porro complexui gratiae excitantis et principiorum gratiae adjuvantis competit ratio gratiae relative sufficientis; eidem proinde complexui inest efficacia virtutis, seu vis efficiendi actum salutarem qua talem.

2. *Pura sufficientia aut efficacia gratiae determinatur ab extrinseco.* Quod una gratia sit pure sufficiens, hoc unice oritur ex eo quod liberum arbitrium, per vires naturae agens, gratiae excitanti consentire renuit. Quod vero gratia alia sit efficax, hoc unice oritur ex eo quod voluntas, dum possit viribus naturae dissentire a gratia excitante, eidem gratiae consentit agens uti est praevie excitata et elevata motibus gratiae praevenientis et uti est adjuta principiis gratiae adjuvantis.

3. Inde colligitur quomodo differant gratia *adjuvans* et gratia *excitans.* a) Gratia adjuvans, qua nempe efficitur supernaturalitas in actu salutari, secundum alios non differt entitative a gratia excitante. Ratio est quia supernaturalitas actus salutaris causatur habitu per se infuso, ubi semel a Deo est excitatus, vel motu gratiae praevenientis; jamvero habitus a Deo excitatus est gratia excitans active sumpta; motus gratiae praevenientis est eadem gratia passive sumpta. — Juxta Suarezium, qui negat causalitatem physicam motuum

---

de gratia Romae et in clarissimis Europae Academiis » (Ib. l. I, c. XVIII, p. 59). — Bellarminus, litteris Roma missis, Lessii defendendi causa, testabatur doctrinam contrariam hactenus a solis haereticis fuisse propositam. — Anno 1584 Greg. de Valentia Ingolstadii scientiam mediam propugnabat. — P. Fonseca a° 1596 scripsit se, triginta annis ante, scientiam mediam ad praedestinationem et providentiam explicandam adhibuisse eaque magnum sibi lumen ad solvendas difficultates allatum esse. — Item Molina a° 1595 in *Concordiae* editione Antverpiana scripsit se doctum ab aliis triginta retro annis in privatis publicisque disputationibus scientiam mediam proposuisse (In q. XIV, a. 13, d. LIII, membr. 2°. Cfr. SCHNEEMANN, p. 171 sq. — Ex his manifestum est Molinam non esse qui excogitaverit sententiam cui Societas adhaeret, sed universam Societatem jam antea eam esse professam.

gratiae praevenientis, distinctio est realis; supernaturalitas enim actus salutaris causatur concursu Dei speciali in quo reponitur novum donum. In sententia, quam antea defendimus, idem praestatur concursus; verum est connaturalis causae secundae, sc. arbitrio intrinsecus elevato per motum gratiae praevenientis. b) Differunt tamen gratia excitans et gratia adjuvans tum diversa habitudine ad actum, tum moraliter in ratione beneficii. — Inde etiam colligunt gratiam pure sufficientem et gratiam efficacem in actu primo consideratam non differre secundum entitatem utrique gratiae intrinsecam.

4. Ex hac sententia colligitur insuper actus salutares tum absolute futuros, tum conditionate futuros non valere aeternaliter praesciri a Deo nisi in libero arbitrio supercomprehenso uti vult Molina, vel in ipsismet his actibus seu in ipsamet determinatione voluntatis, uti volunt plerique ex Molinae discipulis. Eodem modo nota sunt Deo futura libera ordinis naturalis.

B. Infallibilitas connexionis a) *objectiva* ex eo repetitur quod est extrinsecum gratiae, nempe ex futuritione conditionata consensus, sc. ex eo quod homo, si constitueretur sub certa gratiae motione, infallibiliter et libere praestaret consensum; b) *cognoscitiva* non quidem ex scientia simplicis intelligentiae, siquidem Deus, quamdiu non considerat nisi entitatem gratiae, cernit eam posse jungi sive cum consensu sive cum dissensu pro nutu voluntatis hnmanae; proinde ex scientia media qua Deus antecedenter ad decretum absolutum dandi gratias, cernit quibusnam auxiliis, si darentur, consentiret arbitrium, a quibusnam dissentiret. c) *Infallibilitas affectiva* a Molinianis sic explicatur; Deus gerit specialem amorem erga eos quibus praedestinat gratias efficaces; hunc amorem manifestat Deus decreto quo, praelucente scientia media de efficacia aut inefficacia omnium gratiarum, decernit se daturum in tempore gratias conditionate praescitas efficaces, et aliquatenus definit actus bonos ([1]). — Doctores Societatis dividuntur

([1]) Molina de systemate suo haec dicit: « Nos, pro nostra tenuitate, rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, praescientia et praedestinatione quam toto articulo 13, q. xiv et art. 6 q. xix, q. xxii et tota hac quaestione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus eam deduximus quaeque variis in locis tradidimus, inniti judicamus: quae si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana haeresis fuisset exorta; neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, praescientia et praedestinatione cohaerere non posse; neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecisseut, facileque reliquiae illae Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi et Hilarii fit mentio, fuissent exstinctae, ut patet ex iis, in quibus homines illos cum catholicis convenisse et ab iis dissensisse, eaedem epistolae testantur; concertationes denique inter catholicos facile fuissent compositae. » *Concordia*, q. xxiii, art. 4 et 5, disp. I, membr. ult.

circa ordinem quo inter se devinciuntur in decreto divino gratiae efficaces praedestinatae et actus salutares praedefiniti.

Alii enim, duce Suarezio, volunt actus salutares *formaliter praedefiniri :* eorum sc. judicio Deus in signo rationis priore *absolute* intendit actus salutares; in secundo signo consulit scientiam mediam; in tertio signo absolute decernit dare gratias praevisas efficaces. Quare decretum fertur, *scientia media dirigente.* — Alii systema Molinae servant integrum, aiuntque Deum, scientia media praelucente, decernere se daturum esse gratiam praevisam efficacem, non quidem quia praevie absolute intenditur actus bonus, sed ob aliud motivum nobis inscrutabile, adeoque actum bonum non praedifiniri formaliter sed *virtualiter.*

Molinismo adhaerent s. Franciscus Salesius ([1]), Tournely ([2]) et s. Alphonsus a Ligorio qui profitetur se sequi Tournelium.

Cum Suarez in aliis quidem conveniat cum Molina, in aliis vero ab eo dissentiat, exponenda veniunt ea quibus ab invicem separantur.

214. — Congruismus et Molinismus. I. De efficacia gratiae.

A. Congruismus ([3]) constat his quatuor :

1. Omnis gratia efficax decernitur a Deo ex praevia voluntate absolutate operis boni, seu ex formali hujus operis praedefinitione.

2. Gratia efficax, si consideratur in actu primo, esse solet attemperata indoli, inclinationibus et adjunctis (temporis, loci, societatis) quibus ornatur ille cui praedestinatur. Habet itaque aliquam proportionem cum homine considerato uti in concreto est ornatus variis adjunctis. Haec attemperatio vocatur *congruitas antecedens ;* antecedit enim consensum voluntatis. — Attamen gratia efficax non nanciscitur ex praefata attemperatione actualem suam connexionem cum actu salutari (secus enim foret efficax ab intrinseco, quod a Suarezio negatur). Quare congruitas antecedens numquam sufficit, immo judicio

([1]) S. Franc. Sales. Litteris suis ad Lessium, a. d. VII cal. septembris a° 1618 datis, dicit ejus doctrinam de praedestinatione ad gloriam esse « antiquitate, suavitate ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam ». Et paulo inferius « eam sententiam, inquit, ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem existimavi ». Cf. Liv. de Meyer. *Hist. Congr. de Aux.* l. I, c. vi.

([2]) De Tournelio scribit Billuart: « Nihil non tentat novus miles ut, prostrata schola thomistica, molinisticae trophaeum exigat, » eum appellat doctorem molinianum, novum, purum molinistam, theologum a capite ad talos molinianum, molinistam medullitus, molinianis affectibus praeoccupatum. *Curs. theol.* t. I, diss. vi. a. 6.

([3]) Suarez quaestionem de efficacia gratiae tractat in quinque his libris : a) *Opusculum* 1m *de divina motione, seu de auxiliis* ; b) *De gratia*, l. V ; c) *De vera intelligentia auxilii efficacis ejusque concordia cum libertate voluntarii consensus ;* d) *De divina praedestinatione et reprobatione* ; e) *Opusc. de scientia futurorum contingentium.*

Suarezii, licet dari soleat, tamen non exigitur ([1]). Ideo immerito videtur a doctore eximio poni in definitione gratiae efficacis ([2]).

3. Idcirco gratia efficax efficaciam infallibilem nanciscitur ex consensu voluntatis qui a Deo praescitur ope scientiae mediae, adeoque est efficax ab extrinseco. Haec futuritio consensus vocatur *congruitas consequens* gratiae efficacis. Ratio nominis est quia magis congruum est homini vocari cum consensurus est vocationi quam cum dissensurus est a vocatione ([3]).

4. Quare gratia efficax differt a pure sufficienti estque majus Dei beneficium, non tantum in actu secundo quatenus arbitrium uni quidem gratiae auxilio consentit, alteri vero non consentit, sed etiam in actu primo. Omnis enim et sola gratia efficax datur ex intentione absoluta operis boni, confertur in adjunctis a Deo ordinatis in quibus futura est efficax.

B. Moliniani et Lessiani 1° non adversantur, uti ex supra dictis manifestum est, eis quae Suarez tenet de congruitate consequente ; immo non proprie negant omne id quod Suarez tenet de congruitate antecedente. Concedunt nempe saepissime gratiam efficacem in actu primo consideratam, seu antecedenter ad consensum voluntatis ei praestitum, esse attemperatam personae cui confertur in his adjunctis quibus vestitur haec persona. Et re quidem vera negari non potest adjuncta interna et externa in quibus homo versatur saepe multum conferre ad reddendam gratiam efficacem aut inefficacem. Ita frequenter homo in mala societate constitutus aut in turpis occasionis illecebris resistit gratiae et peccat, dum eidem gratiae consensisset in aliis adjunctis. Calamitate oppressus dociles aures praebet exhortationibus

---

([1]) Suarez : *Opusc. de aux.* l. III, c. 14, n. 6 sq.

([2]) Id. « Vocatio efficax illa est quae *de facto* habitura est infallibiliter effectum a vocante intentum, et ideo.... includit habitudinem ad cooperationem futuram liberi arbitrii cum auxilio gratiae simultaneo, et consequenter includit quamdam congruitatem respectu personae, cui datur, ut sit illa ita proportionata et accommodata, sicut oportet, ut in tali persona, in tali tempore et occasione infallibiliter effectum habeat, et per hoc habet illa vocatio, quod congrua et efficax sit. » L. V *De gratia* c. XXV, n. 4.

([3]) Id. « Necesse est ut habeat conjunctam *habitudinem ad effectum* futurum cum libera determinatione, ut inde habere possit dictam infallibilitatem seu fundamentum ejus... Igitur... infallibiliter habebit consequentem operationem voluntatis, non quia aliter esse non posset, sed quia aliter futura non est. » Ibid. n. 4. Quod dixerat Suarez vocationem congruam includere « quamdam congruitatem respectu personae cui datur, ut sit illa ita proportionata et accommodata sicut oportet, ut in tali persona, in tali tempore et occasione infallibiliter effectum habeat, » sic declarat (n. 5) quod « hoc *pertinet solum ad modum loquendi* ; nam cum tale auxilium dicat habitudinem ad effectum infallibiliter futurum, et eam non habeat ex innata proprietate absoluta, oportet ut habeat ex congruitate vel proportione quam habet ad talem personam. »

quas spernebat tempore felicitatis. Tempore infirmitatis salutariter vincit tentationes luxuriae quibus succumbit cum bona fruitur valetudine (1). Quamobrem admittunt Moliniani gratiam internam supernaturalem saepe comitem habere gratiam externam aut internam ordinis naturalis. Verum negant hanc congruitatem antecedentem essentialiter exigi aut semper adesse, adeoque eam esse de definitione gratiae efficacis.

2. Praeterea et potissimum negant gratiam efficacem a Deo praedestinari ex praevia intentione absoluta operis boni; proinde etiam negant inter gratiam efficacem et gratiam pure sufficientem, ubi considerantur in actu primo, dari illud discrimen quod notant Suareziani. — Concedunt tamen gratiam efficacem in actu primo esse majus Dei beneficium quam gratiam pure sufficientem in actu primo, siquidem praedestinatur a Deo, praelucente scientia media de ejusdem gratiae efficacia.

II. De infallibilitate efficaciae gratiae. A. Juxta Congruistas: a) Infallibilitas *objectiva* petitur ex futuritione conditionata consensus, fundata in virtute gratiae, in congruitate ei personae cui datur, et in determinatione voluntatis. b) Infallibilitas *cognoscitiva* ex scientia media qua Deus, antecedenter ad decretum absolutum, cernit in praefatis quaenam gratiae futurae sint conditionate congruae et efficaces. c) Infallibilitas *affectiva* connexionis gratiae cum actu salutari sic explicatur a Suarezio : Deus in signo rationis primo formaliter praedefinit actus bonos; in secundo consulit scientiam mediam cernitque quaenam gratia antecedenter congrua obtineret consensum voluntatis; in tertio signo, dirigente scientia media, praedestinat gratiam efficacem.

B. Moliniani quomodo explicent infallibilitatem *objectivam* et *cognoscitivam* gratiae efficacis, supra fuit explicatum. Sic explicant infallibilitatem *affectivam* connexionis gratiae cum actu salutaris : Praelucente scientia media de efficacia aut inefficacia omnium

(1) August. « Non volentis, neque currentis sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem?... Si vellet etiam ipsorum qui resistunt gratiae misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur. Verum est ergo : « Multi vocati, pauci electi. » Illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est : « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, » quia, etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit : Igitur non miserentis Dei, sed volentis ac currentis est hominis : quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. » Cfr. Aug. *Ad Simpl.* l. I, q. II, n. 13. M. XL, 118.

gratiarum, Deus absolute decernit se in tempore collaturum esse gratiam praescitam efficacem, non quidem ex praevia voluntate absoluta operis boni, sed ob aliam rationem, Deo quidem dignam, nobis vero imperviam. Hoc decreto actus boni praedefiniuntur virtualiter: sunt enim antecedenter ad consensum datum ejusque praescientiam absolutam voliti seu definiti in obliquo et implicite per actum quo praedestinatur gratia efficax. Eidem decreto implicitus est affectus specialis erga eum cui praedestinatur gratia efficax. Deus enim est specialis ejus benefactor tum materialis, tum formalis: *materialis*, inquam, ei enim destinat majus beneficium; *formalis,* id enim beneficium ei tribuit prout est majus: Omnis enim gratia decernitur et confertur qua utilis, proindeque quae gratia est utilior datur qua utilior. — Attamen Deus non gerebat specialem affectum beneplaciti ante decretum, proin id non tulit *ex affectu praevio;* sed potius fert decretum *cum affectu* ob praescitam efficaciam. Dici tamen potest praecedere affectum *signi*, licet non *beneplaciti;* cum nempe collatio majoris doni soleat inter homines procedere ex majori affectu praevio, inde per aliqualem anthropomorphismum Deo attribuitur erga justos specialis affectus praevius quasi ex eo processisset collatio gratiae efficacis.

APPENDIX.

Congregatio de Auxiliis.

215. — Primum extra septa privata in lucem prodierunt scientia media et concursus Dei indifferens, scientifice in corpus doctrinae exposita, anno 1581 in Hispaniis, cum Prudentius de Montemajor S. J. de his rebus theses publice defendendas suscepit in Academia Salmanticensi. Quam doctrinam cum magno aestu impugnavit Dominicus Bañez, O. P., praecipuus hac aetate defensor praemotionum, censuris usus potiusquam argumentis. Illico post 16 propositiones a Bannezio delatae sunt ad tribunal Inquisitionis tamquam erroneae aut haereticae; non legebantur quidem inter theses propugnatas, sed ex eis logice deductae dicebantur. Verum doctrinae Molinae, a multis Academiis ut probabili habitae, nulla censura ab Inquisitione inusta fuit. Post breve tempus, librum *De concordia liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione, reprobatione* », a Molina S. J.

professore in Eborensi academia conscriptum, vix absoluta editione, defert Bañez ad Inquisitionem Lusitaniae. Hoc opus examinandum dedit librorum censori Bartholomaeo Fereira O. P. qui illud laudibus exornavit, nedum damnaverit; quare Inquisitio *doctrinam* libro Molinae contentam declaravit *valde utilem*, *sanam*, *conformem Scripturae*, *Conciliis et sanctis Patribus*.

Banneziana factio non modo doctrinam Molinae, sed insuper regulas et institutum Societatis libellis exagitare et in invidiam adducere tentavit. Verum simul eidem doctrinae adhaeserunt Universitates Complutensis, Hispalensis, Vallisoletana et non paucae familiae religiosae. Academia Complutensis librum Molinae, examini suo subjectum ab Inquisitione Hispaniae, ad quam delatus fuerat a Bannesianis, longo instituto examine, *ab omni censura immunem esse declaravit*.

Causa Molinae fuit Romae avocata a Pontifice. Instigantibus duobus Cardinalibus ex O. P., scilicet Alexandrino et Asculano, instigante etiam Francisco Pegña, Rotae decano, Societati infensissimo, Consultores IX, a Pontifice designati, qui vix umquam aut saltem nonnisi a longo tempore theologicas disciplinas pertractarant, post breve examen, altera parte non audita, judicarunt *e re catholica fore si Molinae liber damnaretur* quia semipelagianismo faveret. Iniquitas judicii Pontificem commovit; quare jussit rem iterum expendi ac diligenter inquiri, praesentibus Praedicatoribus et Jesuitis.

Verum prius habitae sunt a° 1599 *Collationes*, praeside Cardinali Madrutio, in quibus Nostri cum Praedicatoribus de statu quaestionis in Congregationibus agitandae disputarunt. — Nostri cum Aquaviva postulabant ut disputaretur *quaestio generalis de efficacia gratiae*, et ut *compararetur doctrina in Societate communis* cum *doctrina Familiae Dominicanae* (1). In hunc finem P. Claudius in 2ª Collatione, die ultima februarii,

(1) Sic Aquaviva, in 1ª collatione (22 febr. 1599): « ...Disceptemus nodum ipsum et caput dissensionum nostrarum: praedeterminetur ne a gratia voluntas, an sic eam afficiat ut excutere illam, eique dissentire, si libeat, possit... Molinae libri alia et momenti longe minoris est quaestio.... Etsi enim quidquid Molina scripsit, facile defendi possit a nota erroris, tamen non esse sanciendum exemplum quo videamur quaecumque unus quispiam e nostris docuerit... velle cunctis imputari. »

Deinde quaerens quare Molinae librum accusent, « si dicant propter ibi asserta de efficacia gratiae, respondebimus eadem apud Bellarmini, Suarezii, Vasquezii, Lessii et alios e nostris editos libros legi... non esse cur liber Molinae in causa tot aliis communi separetur ab omnibus... »

Qua in re satisfecit Aquaviva votis universae Societatis. Cum enim a diversarum Provinciarum doctoribus quaesitum a P. Claudio esset, quid factu opus esset, ab omnibus responsum est, Societati veterem doctrinam, usque a sua origine derivatam et communiter receptam probatamque « non per se suaque natura gratiam praevenientem

doctrinam Societatis sex propositionibus contentam obtulit defendendam ([1]). Sed Praedicatores volebant ut disputationes restringerentur ad librum Molinae, recusaverunt doctrinam Ordinis sui scriptis proponere, nolentes ut in examen adduceretur, siquidem se actores dicebant, non vero reos ([2]). — Merito reponebant Nostri a se accusari doctrinam Praedicatorum eodem jure atque ipsi accusarent doctrinam Molinae ([3]). — Ipsis annuit Clemens P. VIII, qui in Congregatione S. Officii (11ª martii) decrevit « velle ac jubere se ut causa Molinae seponatur, generalis controversia de auxiliorum efficacia tractetur. »

Indictae itaque sunt Congregationes de Auxiliis, ubi examen doctrinae Societatis circa naturam gratiae, scientiam divinam et praedestinationem ad gloriam, est institutum coram Cardinalibus et Generalibus O. P. et S. J., Romano Pontifice Praeside, arbitro et judice supremo.

---

infallibiliter determinare voluntatem, » tuendam, non vero Molinae librum defendendum esse; id enim suis relinquendum procuratoribus provinciaeque superioribus (Possinus l. III, c. v, n. 14. Liv. De Meyer, *Hist.* l. III, c. 1).

([1]) 1ª. De necessitate gratiae praevenientis, tum in intellectu, tum in voluntate. — 2ª Negabat aliam requiri gratiam physice praedeterminantem. — 3ª : « Haec gratia praeveniens in omnibus, qui, eidem gratiae assentiendo, se ad suam justificationem disponunt, est efficax ex eo quod per eam Deus facit ut homo velit et bene operetur: haec autem efficacia praevenientis gratiae praeter entitatem ac vim supernaturalem quam a Deo accipit, necessario requirit ut ipsa entitas gratiae tribuatur in illis circumstantiis, in quibus praecognoscit Deus ita illam aptari et congruere voluntati, ut si per eam praemovetur, sit infallibiliter praestitura consensum. Dari autem hoc modo et cum talibus circumstantiis peculiare Dei beneficium est, et totum gratiae. » — 4ª : « Quamquam haec efficacia gratiae in sua entitate ac vi supernaturali a libertate voluntatis nullo modo dependeat, tamen necessario includit respectum ad actum liberi arbitrii in illis circumstantiis futurum. » — 5ª : « Praeter hanc gratiam praevenientem et efficacem necessaria est gratia Dei adjuvantis et cooperantis, qua una cum libero arbitrio piam actionem eliciat, ac simul cum eo, ut causa tamen praecipua, ejus determinationem efficiat. » — 6ª : « Ex duobus hominibus aequali praevenientis gratiae entitate ac motione excitatis, contingit interdum ut unus consentiat, non alter. In eo tamen, qui consentit, sine dubio majorem esse gratiam necesse est ; non modo quia praeveniens, si minus in entitate, certe in congruitate majus est donum, sed etiam quia hic accipit cooperantem, quam, qui non consentit, non habet. » — Iterum et clarius loquitur de infallibilitate affectiva in propositione Madrutio oblata, 28 maii 1599 : « Procedit auxilium efficax ab aeterno et absoluto voluntatis Dei decreto, quo illos actus quibus homo convertitur in particulari voluit ante praevisionem boni usus liberi arbitrii absolute futuri : non tamen ante praescientiam ejusdem boni usus praecogniti futuri sub hac conditione, si liberum arbitrium tali gratia in talibus circumstantiis moveretur. »

([2]) Praepositus O. P., Hipp. Maria Beccaria, in 2ª Collatione protestatus est « nihil universo Praedicatorum Ordini cum Societate universa esse controversiae... Unum esse Molinam, singularem doctorem Societatis, cujus in scriptis Theologi quidam e suis quaedam reprehenderunt... suos Theologos, errorum Molinae delatores, actorum partes in hoc judicio sustinere. Aequum non esse reos ipsos ex actoribus fieri. »

([3]) P. Claudius respondit Praeposito O. P. non agi privatam causam Molinae ; praeterea, nostros etiam actores esse, « qui et ipsi adeundi communes judices jus habent.... et accusare paratos quotquot deprehendent physicam praedeterminationem docentes.... Quam igitur reus dicatur Molina, tam reum esse Bannezium, mutuos utrumque actores et reos... »

— Congregationibus initium est factum 20ª martii aº 1602, sub Clemente VIII et finis est impositus aº 1606 sub Paulo V. — Partes Bannezii defendendas susceperunt primo quidem Didacus Alvarez quem ipse Bañez Romam miserat cum causa huc advocaretur, deinde Thomas de Lemos. — Molinam successive defenderunt Gregorius de Valentia, Petrus Arrubal et Ferdinandus Bastida.

Sub aestu disputationum illud feliciter accessit Molinae, quod Cardinalis du Perron, in controversiis cum haereticis versatissimus, cum Romam ex Gallia advenisset et de rebus ad Congregationes spectantibus certior esset factus, Pontifici ipsum interroganti respondit sibi certum esse, si sententia Jesuitarum de concursu gratiae cum libero arbitrio a Romana sede proscriberetur, omnes per Galliam et Germaniam *professores Calvinismi ac Lutheranismi esse applausuros* et hujusmodi proscriptionem habituros velut *certissimam dogmatum suorum confirmationem*. Declaratio Cardinalis du Perron haud leviter mutavit animum Clementis VIII et sinistras suspiciones ab adversariis Societatis ei ingestas multum emollivit. Decrevit Pontifex privatim examinare totam controversiam et definire quid esset agendum. Licet annis jam gravis et variis morbis obnoxius, librum tamen Molinae a capite legere, sedulo examinare, propria manu adscribere notas aggressus est. Verum ante rem ad exitum deductam e vivis est sublatus, 5ª martii aº 1605.

Cardinalis Burghesius, qui Congregationibus praecedentibus interfuerat, successit Clementi, nomine Pauli V, 16ª maii aº 1605. Voluit Pontifiex ut jam unice non fieret examen libri Molinae, sed ut duae doctrinae adversae inter se compararentur, proindeque ut sententia Bannezianorum de praedeterminationibus physicis in examen adduceretur. Frustra id examen facere sub Clemente tentaverant Patres Societatis, Praedicatoribus vehementer repugnantibus et clamitantibus nolle se ex actoribus fieri reos. Ferdinandus Bastida egregiis orationibus ostendit primum doctrinam Bannesii esse contrariam Scripturis, Conciliis, Patribus, nominatim Augustino et Thomae, destructivam libertatis humanae ; deinde sub celeberrima Congregatione, per horas novem traducta, ostendit quam realiter concors esset cum integra doctrina Calvini, verbis tantum diversa.

Interim non paucae academiae in Hispania, Gallia, et Germania, multique Ordines religiosi doctrinam Molinae suffragiis suis comprobarunt ; episcopi in variis regionibus doctrinam eamdem approbarunt tamquam consonam revelatis et aptam ad novatores refutandos et reducendos. In ultima Congregatione, habita 28ª augusti aº 1607,

jubente Paulo V, suffragia lata sunt. Heic referimus tria suffragia :

Bellarminus : « Opinionem praedeterminationis physicae esse Calvini et Lutheri ; excusandos esse Patres Praedicatores, qui non viderint haereticorum libros ; Bannezium pejus locutum quam Molinam, cum s. Augustini de reprobatione doctrinam reprehenderet ; librum Molinae approbatum a duabus Universitatibus ; Bullam edi posse, qua certae quaedam propositiones, de quibus inter utrosque constet, condemnentur, difficiliores autem omittantur, quemadmodum fecerit Caelestinus. »

Perronius : « Opinionem praedeterminationis physicae acceptatum eique subscriptum iri ab haereticis libenter, etc. ; eam enunciatam a Calvino in sensu supposito et in sensu supposito damnatam a Concilio Tridentino illis verbis : « Homo potest abjicere gratiam » ; demonstrare studuit sententiam Jesuitarum longe abesse a Pelagianis, multis locis allatis e s. Augustino, ubi ille probat Pelagianos non admisisse illustrationem intellectus et praeparationem voluntatis, sed solam legem doctrinamque externam ; nullo pacto prohibendum librum Molinae, sed potius Bannezii, ob rationes jam expositas ; significandum non confectum esse negotium, sed adhibere se velle majorem diligentiam ; quamquam id revera non faciendum, sed negotium procrastinandum et sopiendum ; fortasse enim facturum Deum, ut partes inter se reconcilientur minusque varientur. »

Paulus V : « In gratia Domini definitum in Concilio necessarium esse quod liberum arbitrium moveatur a Deo ; difficultatem in hoc verti, an moveat physice vel moraliter, et quamquam optabile esset, ne in Ecclesia esset ejusmodi contentio — a discordiis enim saepe prorumpi ad errores, ideoque bonum esse illas dirimi ac decidi — nihilominus non videre Nos nunc adesse istam necessitatem ; quod sententia Patrum Praedicatorum plurimum differt a Calvino ; dicunt enim Praedicatores gratiam non destruere, sed perficere liberum arbitrium, et eam vim habere, ut homo operetur juxta modum suum, i. e. libere ; Jesuitae autem discrepant a Pelagianis, qui initium salutis posuerunt fieri a nobis, illi vero tenent omnino contrarium. Necessitate igitur nulla urgente, ut ad definitionem veniamus, posse negotium differri, dum melius consilium tempus ipsum afferat. Propositionem autem illam, ut Constitutio ederetur, qua declararentur ea, quae extra controversiam essent, non placere, quia nec necessaria sit et cavillandi occasionem offerat haereticis. Quodsi malae sint propositiones, de aliquot ejus generis Sanctum Officium animadvertere posse in illos, qui eas defenderint », etc. — Insuper Paulus V interdicit ne « notam aut censuram

aliquam theologicam iisdem scholis diversa sentientibus inurere, aut earum sententias conviciis et contumeliis incessere audeant, donec de iisdem controversiis haec S. Sedes aliquid definiendum aut pronuntiandum censuerit. »

Insuper Paulus V decreto S. Officii 1ª dec. 1611, prohibuit libros in materia de auxiliis imprimi sub praetextu commentandi S. Thomam, aut alio praetextu vel motivo, nisi prius S. Inquisitioni propositi fuissent. Urbanus VIII, decretis S. Inq. die 22ª maii et 1ª aug. 1641 idem confirmavit, indictis variis poenis inter quas excommunicatione.

Manifestum est Congregationes de Auxiliis in bonum Societatis cessisse. Volebant enim Praedeterminatores ut liber Molinae damnaretur, et indemnis evasit; volebant ut doctrina Societatis exstirparetur tamquam haeretica aut erronea et vetitum est ne ulla censura ei inureretur.

Claudius Aquaviva, ut consuleret paci, aº 1613 edidit decretum quo statuit « ut in tradenda divinae gratiae efficacitate, theologi Societatis eam opinionem sequantur, sive in lectionibus sive in publicis disputationibus, quae a plerisque Societatis scriptoribus tradita, atque in controversia de auxiliis divinae gratiae coram SS. PP. piae memoriae Clemente VIII et S. D. N. Paulo V tamquam magis consentanea ss. Augustino et Thomae gravissimorum Patrum judicio explicata et defensa est. Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quae effectum reipsa habet atque efficax dicitur, et eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso actu primo, quod, posita scientia conditionalium, ex efficaci Dei proposito, atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse media seligit, atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si haec inefficacia praevidisset. Quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia est, in actu primo contineri: atque hac ratione efficere Deum, ut reipsa faciamus, non tantum quia dat gratiam qua facere possimus; quod idem dicendum est de perseverantia quae procul dubio donum Dei est ». Denz. n. 964.

Idem aº 1616 confirmavit P. Mutius Vitelleschi; anno enim 1616º prodiit Interpretatio Claudiani decreti a P. Mutio in Congregatione VIIª in hunc tenorem: « Cum difficultas aliqua inter vires doctos super decreto R. P. N. Claudii p. m. anni 1613, decemb. 14, de efficacia gratia, nata esset... R. P. Praepositus Generalis (Mutius), et qui tunc Assistentes erant et Secretarius, qui decreto illi praesentes interfuerant

et mentem R. P. Claudii perspectam habebant, itemque Patres ad id a Congregatione (7ª) deputati, censuerunt non intendisse R. P. Claudium hoc suo decreto decernere Deum sua voluntate praedeterminasse vel praedefinivisse aliquod nostrum opus bonum independenter a cooperatione liberae nostrae voluntatis: nec etiam quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis aut aliquis modus physicus in actu primo qui non sit in gratia sufficienti; sed hoc tantum, quod fuerit speciale beneficium Dei dedisse uni, v. g. Petro, ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore et loco quo scientia conditionalium praescivit illum ea gratia bene usurum: quod beneficium non contulit alteri, v. g. Johanni, cui dedit gratiam eo loco et tempore quo praescivit illum sua culpa ea non usurum. » — Ista declaratio, quae ad Provincias est transmissa 7ª junii 1616, multum, ut patet, attenuat decretum Claudii.

Sunt qui existimant decreto Claudiano non fuisse praescriptam *formalem* praedefinitionem omnium actuum salutarium, exclusa praedifinitione virtuali. Rationem afferunt quia Aquaviva declarat in suo decreto se velle ut nostri doctores sequantur eam sententiam quae in Congregatione de Auxiliis explicata et defensa est. Porro defensa est doctrina Molinae qui praedefinitiones formales rejicit; hanc doctrinam praeclare exposuit et defendit Valentia ab eisdem praedefinitionibus in suis libris alienissimus. Rationem etiam afferunt quia Lessius citatur a P. Claudio inter doctores sententiam communem Societatis referentes; deinde quia anno 1626 edidit Lessius alteram editionem operis de gratia efficaci et de praedestinatione. Jamvero prorsus perseveravit in pristina sententia sua, eamque vindicat ab objectionibus Suarezianis; demum quia anno 1632 editus est Duaci Commentarius in Iᵐ partem D. Th. a P. Joanne Praeposito, ubi doctrina Lessii defenditur.

Non desunt tamen qui decreto Claudii imponi voluerunt sententiam Suarezii; verum volunt non diu ejectam esse sententiam Lessii. Sic Gabriel de Henao, in libro de scientia media historice propugnata, qui aº 1663 prodiit, ait nº 1274: « dubitari potest num hodie vim habeant (litterae Claudii), haberentque anno 1626. » Immo Platel (1678) postquam dixit in tractatu de Deo, n. 174, 3º, Claudium mandasse ut Nostri docerent praedefinitionem formalem, subdit: « quia tamen oppositum non aegre sustineri potest, in suo decreto postea dispensavit, et utramvis sententiam eligere nobis liberum reliquit. »

Ceterum omne dubium sublatum fuit litteris R. P. N. Beckx quibus nempe fuit declaratum decretum Claudii esse *antiquatum*.

Epilogus. 1. Hostes Societatis, duce de Sᵗ Amour, rumorem sparse-

runt paratam a Paulo V esse Constitutionem qua doctrina Molinae damnaretur; immo praetensae Constitutionis exemplaria sunt divulgata. — Innocentius X, decreto die 23 aprilis a° 1654, declaravit Actis seu manuscriptis impressis sub nomine Francisci Pegnae, Coronelli, Lemosii, ac praetensae illi Constitutioni, quam St Amour evulgaverat, nullam omnino adhibendam esse fidem (1).

2. Non pauca Acta Congregationum de Auxiliis in lucem sunt edita. Praeter Francisci Pegnae, Coronelli, Lemosii modo citata, prodierunt: a) Historia Congregationum de Auxiliis, ab Hyacintho Serry O. P. sub ementito nomine Aug. Leblanc conscripta. Est faceta, mordax et fabulosa. Si fidem mereretur, Bannesiani nonnisi triumphi palmas in palaestra disputationum retulissent. b) Historia controversiarum de divinae gratiae auxiliis, sub SS. PP. Sixto V, Clemente VIII et Paulo V a Livino de Meyer, belga, sub nomine Theodori Eleutherii. In praefatione perspicue ostenditur Leblanc historiam suam condidisse ex actis Lemosii etc., eumque reapse conspirasse cum Quesnellio ut invidiam in Societatem adduceret, ejusque librum in multis locis fuisse a Quesnellio, consentiente auctore, immutatum et mendaciis auctum.

3. Bañez obiit Medinae del Campo, XII Cal. nov. anni 1604. Brevi post (VI Cal. nov.) Alphonsus Ferrerius praepositus provinciae Societatis Castellanae, haec se certo cognovisse scripsit: « Magister Bañesius Cathedraticus Primus in theologia Salmanticensi, mortuus est Medinae Campi die Jovis vigesimo primo mensis hujus. Vehemens per Hispaniam adversarius Societatis fuit. Tamen in hora mortis bene de illa locutus est, dicendo se semper benevoluisse hominibus Societatis, verum in materia de Auxiliis dissensisse ab his ipsis; vera se sentire sese opinatum; at nunc sentire se *sententiam Societatis esse valde probabilem.* » — Possinus addit: Hactenus litterae P. Ferrerii certa et palam perspecta ex recenti et praesenti notitia referentis (2).

(1) « Caeterum, cum tam Romae quam alibi circumferantur quaedam Acta manuscripta et forsitan typis excusa, Congregationum habitarum coram fel. rec. Clemente VIII et Paulo V, super quaestione de auxiliis divinae gratiae, tam sub nomine Francisci Pegnae, olim Rotae Romanae, quam Fr. Thomae de Lemos Ord. Praed., aliorumque Praelatorum et Theologorum, qui, ut asseritur, praedictis interfuerunt congregationibus, nec non quoddam autographum seu exemplar assertae Constitutionis ejusdem Pauli V, super definitione praedictae quaestionis de Auxiliis, ac damnationis sententiae, seu sententiarum Ludovici Molinae, Soc. Jesu, eadem Sanctitas sua praesenti hoc decreto declarat, ac decernit, praedictis assertis, actis, tam pro sententia FF. Ordinis S. Dominici, quam Ludovici Molinae, aliorumque Soc. Jes. Religiosorum, et autographo sive exemplari praedictae assertae Constitutionis Pauli V, nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra seu a quocumque alio allegari posse vel debere; sed super quaestione praedicta observanda esse decreta Pauli V et Urbani VIII suorum praedecessorum. »

(2) Cfr. SCHEEMANN: *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus*, § 13, p. 267.

In sequentibus rejiciemus systemata defendentium gratiam esse efficacem ab intrinseco. Deinde veritatem Molinismi puri, rejecto Congruismo, ostendere satagemus. — Denique inquiremus utrum s. Augustinus et s. Thomas censuerint gratiam esse efficacem ab intrinseco, an ab extrinseco.

ARTICULUS III.

Gratia non est efficax ab intrinseco.

§ 1. Refutatur systema Jansenianorum.

THESIS XXXIII^a^. — Gratiae efficacis infallibilem connexionem cum consensu voluntatis perverse explicant Janseniani aientes omnem gratiam efficacem esse delectationem relative victricem concupiscentiae malae.

216. — **Sensus.** Gratia efficax non est delectatio indeliberata caelitus immissa voluntati, eamque magis alliciens quam concupiscentia mala, ideoque eam ad consensum ita physice praedeterminans ut in illis adjunctis ipsi non valeat resisti.

PROBATIO I^a^. RATIONE THEOLOGICA. I^m^ Arg. Rejiciendum est systema quo tollitur libertas indifferentiae ab actu salutari. Atqui eam tollit systema expositum. Ergo. — *Prob. min.* Ut integra sit libertas voluntatis in eliciendo actu salutari, exigitur ut constituta in actu primo proximo penes se habeat actum ponere aut eum omittere. Atqui hoc non habetur in systemate Janseniano. Ergo. — *Prob. min.* Ad actum primum pertinet gratia excitans, ex antea probatis; in systemate Janseniano ista gratia consistit in delectatione caelesti. Porro vel est major concupiscentia opposita, vel est minor, vel est aequalis. Atqui, si delectatio caelestis est major gradu quam concupiscentia opposita, impossibilis est omissio istius actus salutaris; si est minor, impossibilis est positio; si est aequalis, dicunt impossibilem esse operationem bonam et fortassis dicendum esset, vi principii eorum, nullam operationem esse possibilem. Ergo.

II^m^ Arg. Rejiciendum est systema quod a gratia pure sufficiente aufert veram et relativam sufficientiam. Atqui hoc fit systemate impugnato. Ergo. — *Prob. min.* Ut vera et relativa fuerit sufficientia gratiae pure sufficientis, oportet ut possibile fuerit arbitrio consentire huic gratiae. Atqui hoc fuit ipsi impossibile in systemate Janseniano. Ergo. — *Prob. min.* Gratia pure sufficiens fuit delectatio caelestis minor quam concupiscentia opposita (si enim fuisset major, non fuisset

pure sufficiens, sed efficax). Atqui in systemate Janseniano impossibile est consentire delectationi minori quam concupiscentia opposita. Ergo.

III^m Arg. Falsum est id e quo sequitur omnes leges esse plane inutiles vel injustas. Atqui id sequitur e systemate Janseniano. Ergo. — *Prob. min.* Cum lex actu urget, aut caelestis delectatio inclinans ad observandam legem in nobis superat terrenam inclinantem in legis violationem, aut ab illa superatur. Atqui si primum, lex est inutilis ; si alterum, lex est injusta. Ergo. — *Prob. min.* Si delectatio caelestis tunc superat terrenam, physice necessarium est ut voluntas faciat id quod lege jubetur, etiamsi nulla lex a Deo fuisset lata ; si infra terrenam haeret, observantia legis est physice impossibilis. Atqui si primum, lex est inutilis ; si alterum, est injusta. Ergo.

IV^m Arg. Falsum est id ex quo sequitur inutiles esse prorsus admonitiones, exhortationes, minas terroresque quibus sollicitantur homines ut declinent a malo et agant bonum. Patet quia nil magis solemne Deo in Scripturis et sanctis Patribus quam uti his mediis. Atqui sunt prorsus inutiles in systemate Janseniano. Ergo. — *Prob. min.* Dum enim peccator admonitionibus, suasionibus, minis terroribusque sollicitatur, vel ei immittitur caelestis delectatio victrix vel non. Atqui si immittitur, physice necessarium est ut vita in melius mutetur, neque ullum aliud medium est necessarium aut utile ; si non immittitur, physice impossibilis est mutatio vitae iterumque inutiles sunt minae etc. Ergo.

V^m Arg. Falsum est systema e quo sequitur hominem nullo praemio nullaque poena esse vere dignum. Atqui id sequitur ex systemate Janseniano. Ergo. — *Prob. min.* Nullum praemium jure meretur homo, nullaque poena juste illi debetur, si necessario, et quidem vera, reali et physica necessitate operetur ipse quidquid modo agit tam boni, quam mali. Atqui, posito Janseniano principio duarum delectationum pro graduum superioritate invincibilium, necessario, et quidem vera, reali et physica necessitate homo modo agit quidquid agit tam boni quam mali, ut ex dictis abunde constat. Ergo, admisso memorato Jansenii principio, homo nihil agit, nec agere potest, quod praemio vel poena vere dignum sit. Et sic praecipua moralitatis motiva subvertuntur, ipsumque dogma de Deo remuneratore labefactatur.

217. — PROBATIO II^a AUCTORITATE. I^m Arg. Ex damnatis quinque propositionibus Jansenii (Denz. n. 966 sq.). Quinque propositiones Jansenii logice dimanant ex systemate efficaciam gratiae divinae repetente ex delectatione relative victrice, qua non data, homo sequeretur concupiscentiam malam et peccaret necessario.

I^a prop.: « Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. » — Secundum doctrinam catholicam omnes non sunt instructi gratia efficaci, sed tantum sufficienti. Atqui si verum est systema Jansenii de natura gratiae efficacis et gratiae sufficientis, impossibile est observare Dei praecepta cum sola gratia sufficienti. Ergo ex hoc systemate profluit propositio prima.

II^a prop.: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur. » Jamvero caelestis delectatio juxta Jansenium semper producit effectum ad quem datur: si superat concupiscentiam malam, necessario vincit terrenam delectationem; si haeret infra, efficit necessario motus gratiae praevenientis, eosque solos.

III^a prop.: « Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. » Eam sequi ex systemate Jansenii constat quia voluntas ornata delectatione relative victrici necessitate intrinseca praedeterminatur physice ad unum; ex alia parte producitur actus salutaris, ex supposito; ergo ad merendum sufficit libertas a coactione.

IV^a prop.: « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. » Tenet itaque Jansenius fide certum esse quod voluntas humana pro nutu suo non valet resistere aut obtemperare gratiae; patet vero hoc prorsus sequi ex ejus sententia de efficacia gratiae.

V^a prop.: « Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse et sanguinem fudisse. » — Etiam dimanat ex delectatione relative victrice: Christus enim non est mortuus nisi pro iis, pro quibus gratias vere et relative sufficientes meruit; porro in systemate Janseniano solae delectationes caelestes relative victrices sunt gratiae relative sufficientes ad actum salutarem; hae autem delectationes non dantur omnibus.

II^m Arg. Ex Scriptura et Patribus. E systemate Jansenii consequitur gratiam efficacem nunquam operari in anima timorem, sed semper amorem. Atqui id est falsum. Animam enim, excitante et juvante gratia, posse experiri timorem gehennae eoque moveri efficaciter ad declinandum a peccato testantur testimonia quae tradita sunt ad thesim VIII^m, in specie id constat sequentibus testimoniis: a) Eccli. I, 27: « Timor Domini expellit peccatum; » b) Jerem. XXXII, 4: « Timorem

meum dabò in corde eorum ut non recedant a me; c) Matth. x, 28, ubi Christus ipse ait: « Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. »

Dari timorem salutarem testantur Augustinus et Prosper:

Augustinus: « Cum timetur poena, quam Deus minatur, discitur amari praemium, quod pollicetur; ac sic per timorem poenae bona vita retinetur » (1). — « Non vis tua tibi vitia demonstrari, non vis, ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quaeras...; quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur, neque vituperentur; aut vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor » (2).

Prosper: « Trahit timor; principium enim sapientiae timor Domini. Trahit laetitia; quoniam laetatus sum in his quae dicta sunt mihi. Trahit desiderium; quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Trahunt divinae lectiones; quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo. Et quis perspicere aut enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat, sequatur; quae oderat, diligat; quae fastidiebat, esuriat; ac subito commutatione mirabili, quae clausa ei fuerant, fiant aperta; quae onerosa, sint levia; quae amara, sint dulcia; quae obscura, sint lucida? Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult » (3).

Trid. sess. VI c. vi motum timoris inter illas dispositiones recenset, quae ad justificationem disponunt; sess. XIV c. iv docet attritionem ex gehennae metu conceptam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum (Cfr. can. 5 ejusd. sess.).

Satisfit difficultatibus.

Ut admitti possit systema Jansenianum exigitur et sufficit a) ut omnis gratia efficax consistat in delectatione caelesti quae opponitur terrenae, eaque sit major, b) ut delectatio victrix non destruat eam libertatem quae exigitur in actu salutari. Atqui utrumque habetur. Ergo.

218. — Omnis gratia efficax est delectatio caelestis opposita terrenae, eaque major.

Probatur ex Augustino a) « *Quod enim amplius nos delectat, secundum*

(1) Aug. *Sermo* cccxlviii, al. ccxiv *de temp.* — (2) Id. *De corr. et gr.* c. v. M. LXIV, 919. — (3) Prosper: *Contra Collat.* c. vii. M. LI, 231.

id operemur necesse est (1) » quae verba characteribus aureis scribenda esse dicit Jansenius (2). b) Idem repetit alibi (3): « Nolunt homines facere quod justum est, vel quia latet an justum sit, vel quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. »

Resp. *Praenota.* Triplex distinguitur delectatio : a) Prima est *objectiva,* seu inhaerens objecto ipsi, quod vel pulchritudine sua vel suavitate aliisque illecebris necessario et antecedenter mentem aut sensus allicit; haec est *subjectiva indeliberata.* Indeliberata delectatio ab objectis causatur, non subest imperio rationis, *neque valet voluntatem invitam determinare ad agendum.* — Porro ista delectatio objectiva competit objectis bonis et objectis malis; cum objecta bona voluntatem alliciunt, gratia cooperari potest et delectationem indeliberatam caelestem efficere; objecta mala in concupiscentiam agunt et efficiunt delectationem terrenam et malam. De hac delectatione loquens numquam dicit Augustinus *necesse esse ut velimus* ea quae magis *indeliberate delectant,* immo aperte contrarium dicitur in tractatu XXVI in Joh. (4). Attamen cum homines soleant velle et prosequi ea quae majorem delectationem indeliberatam gignunt, nihil impedit quin concedatur affirmari *homines, communiter loquendo, eo vehementius velle bonum quo ardentius eo delectantur;* exinde enim profecto non sequitur hominem non posse respuere ea quae magis delectant indeliberate et prosequi ea quae minus delectant. Exinde etiam orari potest Deus ut inspiret majorem delectationem virtutis, non quidem quia homini necesse tunc erit virtutem prosequi, sed quia facilius et ardentius eam prosequetur.

b) Secunda est *deliberata, electiva, consequens,* et subest imperio mentis. Cum nempe offeruntur duae delectationes objectivae causantes delectationes duas indeliberatas sibi oppositas, voluntas unam delectationem objectivam eligit adeoque uni indeliberatae consentit. Istam electionem voluntatis subsequitur juxta Augustinum *delectatio deliberata.* Hanc doctrinam luculenter proponit in sermone *de verbis apostoli* (5). — Porro ad delectationem hanc deliberatam sequitur opus

(1) Aug. In *exposit. ep. ad Gal.* n. 49. M. XXXV, 2140. — (2) Jansenius : l IV, *de gr. Chr.* c. VI. — (3) Aug. l. II *de peccat. mer. et remiss.* c. XVII. M. XLIV, 167.

(4) Aug. « Trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio... Videte quomodo trahit Pater : docendo delectat, non necessitatem imponendo. » *Tract* XXVI in *Joh.* n. 7. M. XXXV, p. 1610.

(5) Id. « Inter omnia quae delectant, plus te delectet ipsa justitia (en duplicem delectationem, objectivam et subjectivam); non ut alia non delectent (objective), sed plus ipsa (justitia) delectet (delectatione subjectiva, quae ab electione pendet). Delectant enim quaedam naturaliter (id est, non libere, sed necessario) infirmitatem nostram, ut cibus

externum. Homo enim efficit id quod libere vult; si igitur electio voluntatis vocatur delectatio deliberata, dicendum est illum efficere illud opus quod deliberate eum delectat.

c) Tertia est habitualis, sive infusa, sive actibus acquisita. Ad actiones impellit ; nisi devincatur, activitatem vitae totius ordinat ([1]).

Ad 1m locum: S. Augustinus haec verba « quod amplius delectat » intelligit de delectatione *deliberata*, subsequente liberam voluntatis electionem et determinationem, ac similiter per ista verba, « secundum hoc operemur necesse est », intelligit necessitatem consequentem, ita ut illius effati hic sit sensus : si aliquid absolute et efficaciter (delectatione deliberata et libera) amplius velimus et diligamus, necessario secundum illud operamur. Non enim dicit : secundum hoc *velimus* necesse est, sed : secundum hoc *operemur* necesse est, per quod indicat se loqui *de actione externa* quam communissime praecedit deliberata delectatio, et quae liberum consensum et efficax voluntatis imperium naturaliter sequitur. Hanc esse in citatis verbis s. Augustini mentem, patet ex eis quae praecedunt verba objecta. Enumeratis enim fructibus Spiritus Sancti, subdit : « Regnant ergo spirituales isti fructus in homine in quo peccata non regnant. Regnant autem ista bona, si tantum delectant ut ipsa teneant animam in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat. Quod enim etc. » Patet etiam ex eis quae sequuntur verba objecta. Sibi affert exemplum : « Verbi gratia, occurrit forma speciosae feminae et movet ad delectationem fornicationis ; sed si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis, per gratiam quae est in fide Christi, secundum hanc vivimus et secundum hanc operamur. » Demum constat conclusione : nam n. 50 nos hortatur, ne illicitas delectationes sectemur ; ex quo iterum patet, sermonem esse de delectatione deliberata ; actus enim indeliberati nequeunt esse materia hortationis aut praecepti.

---

et potus delectant esurientes, atque sitientes ». — Deinde enumerat varia objecta quae delectant : « Ecce delectat te aurum tuum,... venit ergo tentator et dicit tibi : tollo tibi aurum, nisi dixeris pro me falsum testimonium ; si autem dixeris, addo tibi. Decertant in te duae delectationes. Modo interrogo te quid praeponas, quid te plus delectet, aurum an veritas, aurum an verum testimonium ?... Erubesce, habeto oculos... Redi in te, quia modo agitur de te ipso... Praeponite delectationi carnis delectationem mentis... Tollat aurum qui minatur, suavior est justitia... Non det aurum qui promittit, praeponenda est auro justitia, delectando praeponenda est... Da mihi pulchram justitiam, da mihi fidei pulchritudinem ; procedat in medium, ostendat se oculis cordis, inspiret fervorem amatoribus suis. Jam tibi dicitur : Frui me vis ? Contemne quidquid te aliud delectat, contemne pro me... Contemne quidquid te terrebat ; contemne carceres... vincula... tormenta... mortem. » *Serm.* CLIX, al. XVII *de verbis Apostoli*, c. II sq. M. XXXVIII, 868-871.

([1]) De his vid. MERLIN, *Fausse clef de s. Augustin.* M. P. L. XLVII, 910.

Quare *distinguitur* locus objectus : Quod amplius nos delectat delectatione *indeliberata, Neg.; deliberata,* sive actuali, sive habituali, *Subdist.* secundum id necesse est ut *velimus, Neg.;* ut *operemur* opere externo, iterum *Subdist.* necesse est necessitate *consequente, Conc.;* necessitate *antecedente, Neg.* (1).

Ad 2m locum. Duplex interpretatio tradi potest : a) Contendi potest hunc esse sensum : « Homines *solent* eo vehementius velle bonum quo ardentius eo delectantur, licet tamen id *non velint necessario,* sed possint intendere bonum quo minus delectantur. » — b) Contendi potest loqui Augustinum *de delectatione deliberata*, ita ut sensus sit : « Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque per deliberatam ac liberam voluntatis inclinationem delectamur ardentius. » Augustinum nullatenus existimare hominem velle necessario id quo magis delectatur indeliberate, patet ex iis, quae in eodem capite scribit : « Cum, voluntatem humanam gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse ; cur non sit, possem facillime, ac veracissime respondere, quia homines nolunt : sed si ex me quaeritur, quare nolunt, imus in longum. » Si s. Augustinus Jansenii sententiae adhaesisset, breviter respondisset homines peccare ob delectationem terrenam superiorem, et relative victricem, quam vincere nequeunt : sed s. Doctor proximam peccati causam in liberam hominum voluntatem refundit, varias autem innuit causas remotas, ex quibus fit, ut voluntas a bono deficiat, ac praeterea docet homines sine peccato esse posse.

Inst. Atqui juxta Augustinum necesse est ut homo velit id quo magis delectatur indeliberate. Etenim a) non raro gratiam efficacem vocat delectationem victricem. b) Asserit voluntatem non posse velle nisi prius occurat quod delectet (2). c) Dicit orandum esse Deum ut magis delectet id quod praecipit, quam id quod vetat (3). Ergo.

---

(1) Quam immerito provocent Janseniani ad verba Augustini ad Gal. exinde adhuc constat quia commentarium in ep. ad Gal. scripsit Augustinus eodem anno atque commentarium ad Rom., scilicet tribus annis ante libros ad Simplicianum (397). Jamvero fatetur Augustinus sese versatum esse in errore semipelagianorum cum scriberet commentarium in Rom. (*Retract.* l. I, c. XXIII), asseritque se non mutasse sententiam suam nisi cum scripsit ad Simplicianum (*De praedest. Sanctorum*, n. 7, 8).

(2) AUG. « Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo, qui delectationem illiciti relaxat potius quam refraenat. » L. XXII *Cont. Faust.* c. XXVIII. M. XLII, 419. — « Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest : hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. » L. I *ad Simplic.* q. II.

(3) « Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiae suavitate per Spiritum Sanctum, faciat plus delectare quod praecipit, quam delectat quod impedit. » L. *de Sp. et litt.* c. XXIX. M. XLIV, 233.

Resp. Nullibi asserit Augustinus voluntatem necessitari delectatione indeliberata, immo aperte contrarium asserit in tractatu XXVI in Joh. uti modo dictum est. — *Ad 1m*. Gratiam efficacem vocat *victricem*, non quia semper intensione superat concupiscentiam, vel quia voluntatem necessitat, sed quia facit ut voluntas libere vincat motus concupiscentiae, movendo voluntatem sicut ei congruit, ut reapse consentiat et agat bonum. Ubinam hac appellatione gratiam vocet Augustinus, brevi adversus Augustinienses explicabitur. — *Ad 2m*. In l. *cont. Faust.* clare affirmatur per peccatum libere consentiri delectationi indeliberatae, siquidem dicitur relaxari, cum refraenari potest. In l. *ad Simplic.* nullatenus affirmatur delectatione indeliberata induci antecedenter necessitatem volitionis. — *Ad 3m*. Verba libri *de sp. et litt.* dupliciter intelligi possunt: a) inspirata gratia, plus delectet *deliberate* id quod Deus jubet quam id quod vetat; b) plus delectet indeliberate, ut jam facilius voluntas velit id quod Deus jubet.

219. — DELECTATIO VICTRIX NON AUFERT LIBERTATEM ACTUS.

1. Actus enim qui profluit a voluntate est liber. Atqui delectatio victrix efficit ut actus a voluntate profluat. Ergo. — *Prob. maj.* a) Augustinus liberum arbitrium definit « animi motum, cogente nullo » (1); alibi « hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit » (2), et « necesse est, ut quod volumus, libero velimus arbitrio » (3). — b) Prosper ideo nos liberos esse dicit sub gratia, quia « volentes oramus, volentes loquimur, volentes operamur » (4). — c) Damascenus ait « arbitrii libertas nihil aliud est, quam voluntas » (5).

Resp. 1. Duplici sensu vox « voluntas » usurpari consuevit, tum nempe ad facultatem naturalem animi nostri significandam, quae per modum naturae ad unum determinatur, ac, necessitate impellente, movetur; tum ad liberam ipsam ejusdem voluntatis electionem, quae, praecedente delectatione, ab eadem voluntate veluti proprio motu fit. Cfr. August. (6), s. Th. (7).

2. Coactio sumitur tripliciter a) *stricte* pro vi extrinsecus illata; b) *late* pro naturali et necessaria inclinatione ad unum; c) *latissime* pro necessitate morali inducente impotentiam moralem resistendi.

---

(1) AUG. *De duab. an.* I. — (2) Id. *De sp. et litt.* c. XXXI. — (3) Id. *De civ. Dei*, l. V, c. X. — (4) PROSPER: *Cont. Collat.* c. XVIII. — (5) DAMASC. *De fide*, l. III, c. XIV.

(6) AUGUST: « Cum (Dominicus) dicit: aut hoc facite, aut illud facite, potentiam (id est, voluntatis facultatem libere eligendi) indicat, non naturam (id est, non naturalem voluntatis inclinationem). » L. II. *Contra Felicem Manich.* c. IV. Cfr. *De duab. an.* c. XII. — (7) *De pot.* q. II, art. 3.

Quibus principiis praestitutis, respondetur *distinguendo majorem:* Actus, qui profluit a voluntate, est liber libertate *indifferentiae,* seu est immunis a necessitate *intrinseca, Neg.;* est liber a *coactione,* seu immunis a necessitate extrinsecus illata, *Conc.*

Ad Aug. In l. *de duab. an.* non sumit coactionem stricte, sed late aut latissime. Alibi etiam sumit coactionem latissimo sensu, ubi nempe scribit primos parentes ideo esse culpandos, quia, nullo cogente, id est libera voluntate, peccarunt: « Suasit enim, ait. tentator, ut hoc fieret, non coegit » (1). — In libro *de sp. et litt.* sumit Augustinus voluntatem pro facultate *electiva,* non vero pro facultate *naturali.* — In opere *de civ. Dei* ostendit necessitatem consequentem nullo modo officere libertati, et ideo inter alia haec profert: « Sic etiam cum dicimus necesse esse, ut cum volumus, libero velimus arbitrio, et verum procul dubio dicimus et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quae adimit libertatem ».

Ad Prosp. Propugnat per gratiam Redemptoris liberum arbitrium emendari, non auferri; et ideo dicit quod, adjuti per gratiam, volentes oramus, etc.; immo inferius addit liberum arbitrium, naturaliter homini insitum, manere in natura, « id est in sua essentia; sed per gratiam Christi ita emendatur, ut a malo avertatur, et ad bonum convertatur. »

Ad Damasc. Quomodo verba ipsius sint intelligenda patet ex eo quod ipsemet paulo inferius in eodem capite dicit: « Enim vero cum voluntatem naturalem pronuntiamus, non eam necessitate obstrictam, sed liberam dicimus. Nam quia rationem comitatur, utique libera est. »

Alia argumenta, quibus nempe Janseniani aut libertatem indifferentiae deesse in homine lapso asseverant, aut eam conciliare satagunt cum delectatione victrici, fuerunt ad superiorem thesim examinata, alia autem manent adversus neothomistas examinanda (2).

---

(1) Aug. *Retract.* l. I, c xv.

(2) Cf. Jansen. *de gr. Chr.* l. VIII, c. xx, ubi libertatem indifferentiae retinere satagit, afferendo eadem effugia ac Bannesiani: « Dicimus liberum arbitrium, quantumcumque vehementi atque efficaci gratia praeventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum non tantum non facere sed etiam malum. Verum est enim istud, non quidem in sensu composito, ut vulgo dici solet, sed in sensu diviso,.... non quod cessatio ab actu quem tunc elicit aut actuale peccatum cum gratiae delectantis influxu consistere possit (quod sensus compositus postularet), sed quia cessandi et peccandi potestas cum eadem gratia simul in eodem voluntatis arbitrio conjungi potest. Nam quamvis duo actus contrarii sint oppositi, potestates tamen ad opposita non sunt oppositae, nec sibi invicem, nec actibus oppositis.... Qua de re, qui plura volet, auctores qui de physica praedeterminatione tractant consulendi sunt ».

§ 2. Refutatur systema Augustiniensium.

THESIS XXXIV^a. — Connexionem gratiae cum actu salutari perverse etiam explicant Augustinienses reponentes gratiam efficacem in delectatione indeliberata caelitus immissa gradibus superante concupiscentiam oppositam ideoque moraliter determinante voluntatem ad actum salutarem.

220. — Prob. I^m Arg. Illud systema perperam explicat efficaciam gratiae, quod aut libertatem indifferentiae penitus tollit aut infallibilitatem cognoscitivam. Atqui citato systemate alterutra penitus subvertitur. Ergo. — *Prob. min.* In illo systemate delectatio relative major aut talis est ut absolute repugnet a voluntate non dari consensum delectationi caelesti quae gradu superat concupiscentiam oppositam, aut hoc non absolute repugnat, adeoque consensus salutaris nonnisi moraliter certus est. Atqui si primum asseritur, evertitur penitus libertas indifferentiae, siquidem denegatio consensus eatenus est impossibilis quatenus voluntas physice determinatur ad unum ; — si secundum propugnatur, perit infallibilitas cognoscitiva gratiae efficacis. Etenim infallibilitas cognoscitiva efficaciae gratiae, antecedens decretum absolutum, vel pet tur ex inspecto consensu conditionate viso seu scientia media, vel ex cognita delectatione relative majore. Atqui a) Augustinienses rejiciunt scientiam mediam, et si admitteretur, eo ipso rueret systema ipsorum et induceretur gratia ab extrinseco efficax; b) ex inspecta delectatione eatenus cognosci potest infallibiliter consensus conditionate futurus, quatenus hic consensus non potest non sequi. Ergo.

II^m Arg. Augustinienses supponunt gratiam efficacem esse semper proxime et formaliter delectationem, eamque operari formalem amorem (1) ; deinde supponunt voluntatem semper sequi majorem sollicitationem indeliberatam. Atqui utrumque est falsum. — Probata est 1^a pars adversus Jansenianos. Probatur altera pars auctoritate Augustini tum in *serm.* CLIX, al. XVII *de verbis apost.* cc. II, IV, V (2), tum ex l. VIII *Conf.* c. VIII, n. 20, ubi de se ipso differente confessionem « non faciebam, ait, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat (indeliberata delectatione) et mox, ut vellem, possem, quia mox ut vellem, utique vellem. (3) » Nimirum quia nondum deliberate delectabatur castitate, sed

(1) Cf. Berti, *Theol. disc.* l. XIV, c. VIII. — (2) M. XXXVII, 368 sq. Cfr. resp. adv. obj. Jansenii. — (3) M. XXXII, 758.

petebat a Deo (ut ait ib. c. VII, n. 17) : « Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo. Timebam enim ne me cito exaudires et cito sanares a morbo concupiscentiae quam malebam expleri quam exstingui. » — Idem constat ratione : Saepe enim deliberate quis vult id quod aversionem indeliberatam excitat, nedum ullam delectationem indeliberatam cordi communicet.

Satisfit difficultatibus.

221. — **Obj. 1°. 1.** Augustinus variis in locis dicit gratiam Redemptoris « occultissimam, internam, mirabilem ac ineffabilem potestatem; inspirationem flagrantissimae ac luminosissimae caritatis ; voluntatem efficacissimam et omnipotentissimam, quae ex nolentibus volentes facit, humanasque voluntates agit insuperabiliter et indeclinabiliter. » Ergo propugnat Augustinus gratiam victricem ad mentem Augustiniensium.

2. In specie a) in l. IV *contra duas epist. Pelag.* c. V, n. 11 : « Gratia, ait, est inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus » ; b) in l. *de gr. Chr.* c. XII, ait : « Qua gratia agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus ; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus ; » c) in l. *de sp. et litt.* c. XXIX inquit : « Inspirata gratiae suavitate per Spiritum Sanctum, facit (Deus) plus delectare quod praecipit, quam delectat quod impedit » ; et cap. XXXV docet tunc fieri quod praecipitur, « si et nihil eorum, quae pertinent ad justitiam, nos lateret, et ea sic delectaret animum, ut quidquid aliud voluptatis dolorisve impedit, delectatio illa superaret. » d) Eodem modo loquitur in opere *de gratia et libero arbitrio* (1) et in libro *de corr. et gr.*, ubi opponit gratiam collatam in natura lapsa ad gratiam naturae innocentis, luculenter idem propugnat.

Resp. 1. Dicit quidem aliquoties Augustinus per gratiam « dari pugnandi vincendique virtutem » (2) ; donari per Spiritum caritatem

(1) Aug. « Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis malae. Per hanc etiam fit ut ipsa bona voluntas, quae jam esse coepit, augeatur, et tam magna fiat ut possit implere divina mandata, quae voluerit, cum valde perfecteque voluerit. » *De gr. et lib. arb.* c. XV. — « Qui ergo vult facere Dei mandatum et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam ; poterit autem, cum magnam habuerit et robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est magna caritate, fecerunt ; de qua caritate ipse Dominus ait : « Majorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam ponat quis pro amicis meis. » Ib. c. XVII. (M. XLIV, 389 sq.).

(2) Aug. *De corr. et gr.* c. XI, n. 29. M. XLIV, 934.

« cujus delectatione vincatur delectatio peccati » (1). Verum nullibi occurrit locutio « *gratia victrix* » (2). — Locutiones vero praefatae nullatenus significant gratiam per seipsam vincere seu esse ab intrinseco efficacem, sed *voluntatem esse victricem* ope gratiae ipsi collatae.

Locutio « *delectatio victrix* » semel tantum deprehenditur, nempe in opere *de pecc. mer.* (3). Verum ibi audit adjutorium quo exstinguitur concupiscentia et acquiritur perfectio justitiae. Est itaque speciale privilegium ; non confertur in hac vita, nec imploratur, nisi quantum fert conditio hujus vitae, uti patet ex his quae dicuntur ibidem (4).

2. Locutiones, quibus efficacia gratiae magnifice ab Augustino extollitur, varias interpretationes accipere valent. Potest enim dici gratia omnipotentissima, irresistibilis, conferens potestatem expeditam et robustam, non tantum si dicitur ab intrinseco efficax ; sed etiam si est ab extrinseco efficax, quia immensus est thesaurus gratiarum valentium ita sollicitare arbitrium ut illud sponte consensum tribuat, tum quia non confertur gratia nisi uti per scientiam mediam praescita fuit fore infallibiliter efficax. Quamobrem in locis allatis dicit quidem Augustinus dari gratiam efficacem quae infallibiliter cum consensu conjungitur ; verum prorsus praescindit a natura efficaciae, utrum nempe gratia sit ab intrinseco efficax an ab extrinseco. Quaenam itaque sententia menti Augustini inhaeserit, ex aliis locis est dijudicandum.

Obj. 2°. *Salvatur libertas,* quod probare conantur tum adhibendo media a neothomistis etiam adhiberi solita (5), tum afferendo hanc

(1) *Op. imperf.* l. I, n. 107. M. XLV, 1121.

(2) Mentitur itaque Jansenius cum scribit : « Augustinus non raro gratiam Christi medicinalem victricem vocat, quia omnes oppositos obices voluntatum et affectuum invicta potestate perrumpit ». *De gr. Chr.* l. II, c. XXIV. Fatentur tamen Augustinienses delectationem dici victricem respectu concupiscentiae, non vero respectu voluntatis.

(3) AUG. « Nos quantum concessum est sapiamus, et intelligamus, si possumus, Dominum Deum justum ideo, etiam sanctis suis, alicujus operis justi non tribuere vel certam scientiam, vel *victricem delectationem*, ut cognoscant non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebrae eorum, et suavitatem quae det fructum terrae eorum. Cum autem ab illo illud adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat et suave fiat quod non delectabat ». *De pecc. mer.* l. II, c. XIX, n. 32. M. XLIV, 170. — Iterum itaque mentitur Jansenius cum scribit: « Hinc fit ut istam Christi gratiam Augustinus epitheto ad hoc ipsum propriissimo atque efficaci ornare soleat, nam plerumque vocat delectationem victricem ». *De gr. Chr.* l. IV, c. VI.

(4) Ib. c. VIII, nn. 17, 18. M. XLIV, 300 et n. 33. Cfr. *Merlin, Fausse clef de S. Aug.* M. XLVII, 889 sq.

(5) BELELLI : « Nec gratia per se efficax humanam laedit libertatem, quoniam non absolutam et amplam necessitatem arbitrio imponit, sed diminutam admodum et restrictam ; non enim est illius necessitas antecedens, sed illationis et consequens ; non est necessitas actus primi sed secundi ; non est necessitas essentialis sed accidentalis ; non est necessitas sensus divisi, sed compositi ; non est necessitas cuilibet indiscrimi-

rationem : Per delectationem victricem libertas a necessitate promovetur ac perficitur, nedum tollatur. Eo perfectior enim est libertas, quo perfectius intellectus cognoscit verum et voluntas inclinatur in bonum. Atqui voluntas hominis in statu naturae lapsae perfectius inclinatur in bonum beneficio delectationis victricis. Ergo.

Prob. maj. a) Libertas est radicaliter in intellectu et formaliter in voluntate, sive est facultas voluntatis eligentis bonum vel respuentis malum ab intellectu propositum. Ergo quo perfectius intellectus apprehendit verum, et voluntas inclinatur in illud sub ratione boni, eo perfectior est operatio istius facultatis. — b) Perfectio intellectus eo major est quo magis inclinatur in verum et difficilius falsum ut verum apprehendere potest. Ergo eo perfectior est libertas voluntatis, quo magis in bonum inclinatur. — c) Deus est liberrimus. Sed inclinatus est in bonum ita ut malum morale amplecti absolute nequeat. Impeccabiles etiam sunt Christus et comprehensores; sed liberi prorsus sunt. Merito dicuntur liberiores homine, nam multo liberius, ait Augustinus in *Enchiridio*, c. CXV, erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. — d) In statu innocentiae liberum arbitrium erat integrum ; sed fortiter erat fixum in bonum, intellectu facillime apprehendente veritates.

Prob. min. In statu naturae lapsae intellectus obscuratus alia recte perspicere non valet, alia non sine arduo labore; voluntas per concupiscentiam vehementer in malum inclinatur. Inde liberum arbitrium vehementer est attenuatum et inclinatum ; duplici vinculo detinetur, ignorantiae scilicet et concupiscentiae. Gratia autem medicinalis ista impedimenta tollit, siquidem illustrando ignorantiam propellit, et inspirando delectationem vincit concupiscentiam.

---

natim obtemperandi, sed gratiae per se efficaci tantum. » *De modo repar.* l. II, c. xx. — Ib. « Ad 3m respondemus gratiam per se efficacem impedimentum esse dumtaxat accidentale dissensus, illum enim non omnino impossibilem, sed tantum accidentaliter reddit... cum necessitate accidentali consensus, optime jungitur dissensus possibilitas; et quemadmodum dissensus non est absolute et ex omni parte impossibilis, ita consensus neque absolute neque ex omni parte necessarius ». L. IV, c. XXXIX, ad 3m. — Consensus « simul producitur a gratia et libertate quarum illa determinata, haec vero indifferens est. Consensus igitur ab arbitrio descendens, producitur a causa libera, quatenus vero ab *adjutorio efficitur*, a causa producitur necessaria ». Ib. ad 4m. — Ib. « Necessitas antecedens ea est quae in essentia ipsa humanae voluntatis collocatur, consequens vero quae, post inflicta per peccatum originale vulnera, in accidentali forma eidem (voluntati) accedente statuitur ». Ib ad 7m. — Alibi scribit : « Si accidentaria est essentiae liberae facultatis concupiscentia, prorsus et gratia efficax Salvatoris accidentaria est, nec ab ejusdem aut natura, aut essentia, aut quidditate exigita ; si vero concupiscentia accidentalis non perimit essentiam libertatis, cur eadem ab accidentali gratia destrueretur ? » *De statu creat. rat. ante pecc.* l. II, c. XXXIII.

Etiam sic proponitur argumentum: Eo perfectior est libertas quo fortius inclinatur voluntas in bonum; eo fortius inclinatur in bonum quo magis tolluntur impedimenta. Atqui per delectationem victricem optime tolluntur. Ergo.

Resp. Ut detur libertas, oportet ut arbitrium in actu primo positum non ita inclinetur ad unum ut tollatur possibilitas volendi alterum. Quare si voluntas ita per concupiscentiam premitur, ut electio boni honesti sit impossibilis, actus malus ab ea elicitus libertate privatur; pariter si ita movetur gratia, ut ejus sollicitationem respuere nequeat, actus bonus libertate caret.

Eo major et perfectior est libertas quo magis voluntas est immunis ab omni influxu alieno. Influxus enim alienus tendit ad minuendum dominium actus, ad inducendam aliquam necessitatem. Inde est quod minor profecto est libertas hominis lapsi ad faciendum bonum et vitandum malum quam hominis innocentis. Gratia eam quidem juvat, quatenus minuit impedimenta; aliunde tamen eam minuit quatenus voluntatem sollicitat ad bonum. Itaque non potest ita crescere influxus in bonum, ut cesset potentia ad oppositum. — Deus nullam habet libertatem contrarietatis respectu mali moralis; contra respectu bonorum finitorum est liberrimus, quia ejus voluntas est perfecte immunis ab omni sollicitatione aliena.

Quare *distinguitur major*. Eo perfectior est libertas quo voluntas fortius inclinatur in bonum, dummodo maneat proxima potentia oppositum eligendi, *Transm.*; cessante hac potentia, *Neg.* — *Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. min.* eodem modo.

Ad alterum modum arguendi *Dist. maj.* Eo perfectior est libertas, quo magis tolluntur impedimenta, dummodo non substituatur talis sollicitatio in oppositum ut non possit non sequi actus, *Transm.;* secus, *Neg.* — *Cdt. min.*

§ 3. Refutatur systema Neothomistarum.

THESIS XXXV^a^. — Connexionem gratiae efficacis cum actu salutari perperam explicant Neothomistae gratiam efficacem constituentes in praedeterminatione physica. Haec enim sententia perimit libertatem voluntatis respectu actuum salutarium tum quoad exercitium tum quoad essentiam; refundit peccatum in Deum tamquam in ipsius auctorem; efficit ut carentia operationis salutaris homini imputari jure nequeat; destruit veram et relativam

sufficientiam gratiae quae inefficax redditur; denique non videtur componi posse cum iis quae Tridentinum de fide tenenda esse proponit ([1]).

222. — PRIMA PARS. Perimitur libertas.

A. Quoad exercitium, h. e. jam nullus actus est liber.

Prob. dupliciter: 1. Ille actus non est liber, qui non potest non sequi ex his quae non sunt constituta in potestate liberi arbitrii. Atqui in sententia Neothomistarum propugnantium decreta praedeterminantia et praemotiones physicas, omnis actus voluntatis talis est ut non possit non sequi ex iis quae non sunt constituta in potestate arbitrii. Ergo, his admissis, jam nullus actus est liber. — Patet major quia cum antecedens non est in potestate hominis, et cum consequens necessario ex antecedente sequitur, istud consequens dici nequit in libera ejus potestate esse constitutum.

Prob. min. In sententia Neothomistarum ad omnem actum salutarem necessaria est praedeterminatio physica; ea est hujusce naturae ut ad praedeterminationem non possit non sequi actus salutaris; demum praedeterminatio non est constituta in potestate liberi arbitrii. — Duo priora sunt manifesta ex iis quae dicta sunt inter enarrationem sententiarum. — Restat ut probetur tertium: Decreta praedeterminantia et praemotiones physicae non sunt constituta in potestate hominis, sive per hominem non stat quod habeantur vel non. Etenim a) decreta praedeterminantia et praemotiones sunt natura et tempore priora omni consensu voluntatis: lata enim sunt decreta antecedenter ad omnem praevisionem actuum liberorum, et praemotio est id quo fit quivis actus. b) Forent in potestate hominis tantum ratione alicujus actus liberi natura prioris ad decretum et praemotionem; sed, stante sententia Bannesii, hoc asseri nequit; ipse enim hic actus prior fit beneficio decreti et praemotionis: si enim hoc negaretur, rediret quaestio quomodo hi actus, non praedeterminati nec praemoti, aeternaliter a Deo sint cogniti. Ergo, praemotione semel posita, dicendum manet actum voluntatis non posse non procedere ex iis quae nullatenus sunt constituta in potestate arbitrii.

2. Ut actus liber a voluntate procedat, oportet ut voluntas constituta in actu primo proximo possit hunc ponere vel non ponere. Atqui, stante sententia praedeterminatorum, id jam non est penes voluntatem

---

([1]) Trid. Sess. VI[a], c. v, et can. 4.

creatam. Ergo. — *Prob. min.* Ad actum primum proximum completum voluntatis pertinent decretum praedeterminans et praemotio. Iis enim non habitis, voluntas nullum actum ponere potest; sed id quod absolute requiritur ut voluntas agat, pertinet ad actum primum proximum completum. Atqui ubi voluntas semel fuit praemota vi decreti praedeterminantis, penes eam non est actum ponere vel omittere. Ergo, stante decreto et praemotione, non est penes voluntatem, in actu primo proximo completo constitutam, agere vel non agere.

B. Perit libertas hominis quoad essentiam

Essentia libertatis consistit in indifferentia activa voluntatis; eo nempe libera est voluntas, quia, cum constuitur in actu primo proximo, non est determinata ad actum secundum sed indifferens, et quod ipsa se extrahit ex hoc statu indifferentiae. Atqui licet decreta praedeterminantia et praemotiones relinquant voluntati indifferentiam passivam et remotam respectu actus secundi, quatenus nempe voluntas est indifferens ad recipiendum a Deo praemotionem ad actum hunc aut illum vel ad nullam recipiendam praemotionem; attamen penitus tollunt indifferentiam uti est *activa,* immo tollunt omnem indifferentiam a voluntate, si haec consideratur in actu primo proximo ad transeundum in actum secundum. — Et re quidem vera penitus perverti indifferentiam *activam,* manifestum est quia, stante hoc systemate, ea est humanae voluntatis natura ut nunquam per se ipsam se determinare valeat ad agendum aut ad non agendum, ad agendum hoc aut illud, adeoque numquam seipsam valeat extrahere ex statu indifferentiae ad varios actus secundos, sed ad omnem actum secundum eumque determinatum indigeat praedeterminari a Deo. Praeterea omnem indifferentiam tolli a voluntate constituta in actu primo proximo, manifestum est quia praemotio dicenda est pertinere ad actum primum proximum, siquidem, ea non data, deest plena sufficientia ad agendum; jamvero, semel data praemotione, voluntas est determinata ad unum.

223. — Effugia Neothomistarum. Nullum lapidem non movent Neothomistae ut vim argumenti enervent et libertatem integram manere sub praemotione ostendant. Hoc autem tentant tripliciter: a) affirmando Deum causare actus ut liberos; b) arguendo ex indifferentia objectiva voluntatis; c) arguendo ex distinctione sensus compositi et sensus divisi.

Effugium I^m^. Deus potest praemovere ad omne id quod habet rationem entis, ad omnes actus et modos actuum; secus daretur entitas quae ab ipso non penderet, et quam non posset producere. Atqui libertas est

aliquis modus actus. Ergo Deus potest praemovere ad actus ut liberos (1).

Resp. *Dist. maj,* Deus potest praemovere ad omne ens et ad omnem modum *intrinsecum* enti, *Conc.;* ad omnem *denominationem extrinsecam* enti, *Subd.* nisi implicet, *Conc.;* secus, *Neg.* — *Cdt. min.* Libertas est modus *intrinsecus* enti diversus a ceteris formalitatibus actus, *Neg.;* est *denominatio extrinseca* actui, petita nempe a causa sua, *Conc. Dist. cons.* — Libertas non tribuit actui entitatem specialem; unde actus libertas et necessitas dicunt respectum actus ad causam proximam, quae vel potuit non producere hunc autem, vel secus. Potest Deus praemovere voluntatem ad quemcumque actum entitative sumptum, sed non posset efficere ut liber denominetur actus quem voluntas, propter praemotionem, non potuit ponere vel omittere; hoc enim contradictionem involvit.

Inst. Atqui non implicat ut voluntas fuerit praemota et libera maneat. Etenim Deus potest praemotione sua efficere ut ipsa voluntas se determinet; agit enim in unoquoque secundum naturam suam, in causis nempe naturalibus ita ut necessario agant, in liberis ut libere. Atqui, hoc habito, non destruitur libertas. Ergo Deus potest praemovere ita ut actus denominetur liber.

Resp. *Dist. maj.* Efficit Deus ut determinatio procedat a voluntate ita ut, stante praemotione, haec *possit abstinere* a se determinando, *Neg.; ut non possit, Conc.* — *Cdt. min.* — Uti in Congregatione de Auxiliis scite advertebat Bastida, S. J. adversus Lemos O. P. (2), qui asserit Deum praedeterminando efficere ut voluntas se libere determinet, contradictoria profert; hoc enim perinde est atque asserere Deum *necessitare* voluntatem ut haec *libere* se determinet.

Inst. Atqui Deus potest praemotione sua efficere ut voluntas libere se determinet. Eo enim quod Deus non praemoveret tali modo, aliqua entitas, nempe determinatio voluntatis, ab eo non procederet. Atqui hoc dici nequit. Ergo (3).

Resp. a) *Dist. maj.* Si determinationi voluntatis sua est *entitas realiter distincta ab omni alia, Transm.*; *secus, Neg. Conc. min. Dist. cons.* — b) *Neg. maj.* Si enim determinationi activae voluntatis sua esset entitas propria, a voluntate produceretur, Deo indifferenter concurrente.

Effugium II^m. Ibi habetur libertas, ubi habetur indifferentia objec-

(1) Cfr. Gonet, *Clypeus thomisticus.* t. I, tract. III, disp. iv, art. 5, § 7, p. 214.
(2) Cfr. Liv. De Meyer, *Hist. Congr. de Aux.* l. VI, c. xvii, p. 672. — (3) Cfr. Gonet, *Clypeolus.* p. 70.

tiva. Atqui praemotio non aufert indifferentiam objectivam. Ergo praemotio non destruit libertatem.

Resp. *Dist. maj.* Ubi indifferentia objectiva, ibi libertas *radicaliter* et *remote, Conc.;* ibi libertas *formaliter, Neg.* — *Cdt. min.* — Radix libertatis stat in eo quod habetur natura quae est nata apprehendere bonum ut indifferenter appetibile; essentia libertatis stat in eo quod naturae inest indifferentia activa, h. e. quod non est determinata ad unum ex oppositis, et quod ipsa se active extrahit ex illo statu indifferentiae. Haec vero indifferentia activa *praesupponit indifferentiam objectivam.* Exercitium formale libertatis stat in determinatione activa sive *electione.* Uti enim notat Aquinas: « Proprium liberi arbitrii est electio... Ad electionem autem concurrit aliquid ex parte cognitivae virtutis et aliquid ex parte appetitivae. Cum bonum... sit objectum appetitus, sequitur quod electio sit principaliter actus virtutis appetitivae. » I, q. LXXXIII, a 3.

Effugium III^{m}. *Ex sensu composito et sensu diviso.*

Ad objectionem praenota: Duae formaliter subjecto competunt in sensu composito aut in sensu diviso: a) in sensu composito quidem, quando simul ipsi inesse possunt, sive quando subjectum compositum uni componi potest alteri; b) in sensu diviso autem, quando simul subjecto inesse nequeunt, sed tantum divisim et successive.

Quo praestituto, potest quaeri: a) Num voluntas in sensu composito non tantum cum praedeterminatione, sed adhuc cum actu salutari, habeat potestatem eliciendi actum oppositum. Cui quaestioni omnes reponunt negative; dum enim actus est, non potest non esse ac proin non potest simul poni ejus contradictorium. Quare dari non potest potentia ad actum oppositum nisi in sensu diviso ab actu salutari. — b) Num causa in sensu composito cum actu primo includente praemotionem, habeat potestatem eliciendi actum oppositum ei ad quem praemovetur.

Cui quaestioni duplex fit responsio: α) Calviniani reponunt negative, asserentes arbitrium tantum habere potestatem dissentiendi in sensu diviso a praemotione, h. e. dum subtrahatur huic praemotioni et subdatur alteri. — β) Bannesiani reponunt affirmative. Stante praemotione, aiunt, seu in sensu composito cum illa, arbitrium habet τὸ posse respectu actus oppositi, sed (quod coguntur fateri ne funditus ruat systema ipsorum) istud posse est irreducibile ad actum, seu manet divisum ab actu. Contendunt vero hoc sufficere ut integra maneat libertas. — Multis videtur istam explicationem verbis ludere et verbo-

tenus differre a sensu diviso Calvinistico. Quo enim pacto vera et realis est ea potentia, quae absolute actum ponere non potest? Nonne eodem jure assereretur carcere detentum vinculisque obstrictum habere potentiam pro libitu suo iter instituendi.

Sic arguunt: Ibi habetur libertas, ubi habetur potentia ponendi actum oppositum in sensu diviso ab actu qui revera ponitur. Atqui, stante praemotione, non deest hujusmodi potestas; praemotio enim non aufert τὸ posse. Ergo. — Patet major, quia absurdum foret haberi potestatem actus oppositi in sensu composito cum actu qui reapse ponitur.

Resp. *Dist. maj.* Ibi libertas, ubi in sensu diviso ab actu habetur circa oppositum potentia reducibilis ad actum, *Conc.; irreducibilis propter impedimentum quod auferri non potest Neg.* — *Cdt. min.* Stante praemotione, habetur in sensu diviso ab actu potentia ad oppositum *reducibilis* ad actum, *Neg.; irreducibilis* (si tale quid valet nomine potestatis insigniri), *Transm.* — Ad probationem minoris respondetur eodem modo.

Inst. Atqui potentia irreducibilis ad actum sufficit ut libertas salva maneat. Etenim propositio « sedens est liber ad ambulandum, » est vera simpliciter et quidem non tantum in sensu diviso qualis communiter intelligitur, sed etiam in sensu composito Bannesianorum; scilicet sedens est liber ad ambulandum, non tantum divisione facta a sessione, sed eo quod, sessione manente, habet potentiam ambulandi, licet potentia divisa maneat ab actu ambulandi. A pari voluntas physice praemota potest dissentire, non tantum divisione facta a praemotione, sed eo quod, stante praemotione, servat τὸ posse dissentire, divisum ab actuali dissensu. — *Unde sic:* Libertas sedentis ad ambulandum est vera libertas. Atqui haec libertas est ejusdem generis atque libertas ad dissensum, stante praemotione. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.;* vel adhuc *Dist. maj. Si sessio et non sessio est penes eum qui sedet,* sive si ipse impedimentum ad ambulandum valet auferre, tunc habetur vera potentia et libertas (immunitas a coactione), *Conc.;* secus, *Neg.* — *Cdt. min.*

Effugium IV^{m}. Praemotio non inducit nisi necessitatem consequentem actus. Atqui necessitas consequens non est destructiva libertatis. Ergo.

Resp. *Praenota.* Si comparatur res secum ipsa, distinguitur rei necessitas: a) *antecedens* factum et praescientiam facti. Fieri nempe potest ut antecedenter ad factum et ad scientiam facti, subjectum, ratione essentiae suae vel causae extrinsecae, non possit non suscipere determinatum aliquod praedicatum. Illud vero locum habet pro effectibus

causarum necessario agentium. — b) Necessitas *consequens* factum et praescientiam facti. Consequenter scilicet ad factum non potest non fieri ut certa forma non inhaereat subjecto et non fundet Dei scientiam. Illud autem locum habet pro effectibus causarum tum necessariarum tum liberarum. Uti patet, necessitas consequens non est destructiva libertatis; haec perimitur sola necessitate antecedente. Necessitas antecedens vocatur etiam *necessitas consequentis, absoluta, simplex.* — Consequens vocatur etiam *necessitas consequentiae, hypothetica, complexa.*

In sententia Molinae actus salutaris est necessarius consequenter ad positionem, non vero antecedenter, siquidem positio actus a determinatione voluntatis pendet. Inde scientia divina non laedit libertatem actus, siquidem in ordine naturae consequitur positionem facti in qua fundatur. — Contra in sententia Bannesianorum actus salutaris est necessarius antecedenter ad positionem ejus, siquidem non potest non sequi ex praemotione quae in ordine naturae est prior actu utpote ejus causa efficiens. An fortassis asserunt Neothomistae in praefata objectione necessitatem actus non antecedere, sed consequi *decreta praedeterminantia?* Perspicuum est objectionem sic intellectam esse futilem: eodem enim jure affirmaretur motum telluris et planetarum esse liberum, quia non praecedit decretum creativum, sed ad illud consequitur.

Itaque *Dist. maj.* Praemotio non inducit nisi necessitatem consequentem *positionem actus, Neg.;* consequenter ad *decreta praedeterminantia, Conc. — Cdt. min.*

Inst. Atqui necessitas consequitur non modo decretum Dei, sed etiam positionem actus. Etenim Deus decernit ut actio fiat libere, adeoque ut necessitas consequatur positionem facti. Ergo ([1]).

Resp. Objectio pugnantia loquitur.

Inst. Mysterium explicandum non est. Atqui concordia gratiae efficacis cum libertate actus est mysterium. Sic Bañez ([2]). Ergo.

Resp. a) Mysteria non sunt admittenda nisi revelata fuerint; jamvero praemotio nullatenus est revelata: contrarium potius est implicite revelatum in explicite revelata libertate actus salutaris. b) Quod evidenter repugnat cum principio evidenti, seu quod evidenter involvit contradictoria, non est mysterium; sed actum praemotum esse liberum

---

([1]) Sic Billuart, *De Deo*, Diss. VIII, a. 4, § 2. — ([2]) In II^{m} II^{ae}, q. X, a. 1, concl. 3, docum. 3.

involvit contradictionem evidentem. Inde ex duplici capite negatur minor ([1]).

224. — **SECUNDA PARS.** Systema Neothomistarum refundit peccatum in Deum ceu auctorem.

Prob. Per decretum praedeterminans Deus definit absolute tum actum primum (hic constat ex variis elementis, quorum alia ponuntur ab aliis causis) voluntatis creatae, tum actum secundum quae est actio positiva voluntatis e qua resultat privatio honestatis; vi praemotionis, a Deo solo efficienter procedentis, non potest non sequi haec actio positiva. Atqui eo quod Deus praedefinit absolute actum primum et actum secundum voluntatis; eo quod voluntati immittit praemotionem ad quam actio ista non potest non consequi, ex his, inquam, fit ut malitia peccati Deo tamquam auctori sit adscribenda. Ergo per decretum et praemotionem fit, etc. — *Prob. min.* a) Homo plerumque non aliter vult malitiam peccati, nisi volendo id quod cum malitia conjunctum est; b) qui vult et praedefinit positivam entitatem, vult virtualiter privationem quae ad hanc entitatem necessario resultat, dummodo fuerit praescita ([2]).

225. — **TERTIA PARS.** Carentia operationis salutaris, stante neothomistarum systemate, jure imputari nequit homini.

Prob. Ut homini imputabile sit peccatum, requiritur ut potuerit non peccare, vel saltem requiritur ut potuerit mereri absentiam praemotionis ad quam peccatum necessario sequitur. Atqui per decretum praedeterminans et praemotionem de omnibus peccatis fit ut homo non potuerit non peccare. Etenim actus peccaminosus, quem Bannesiani vocant liberum, supponitur fieri praemotionis ope ad quam non potest non sequi actus; stante eodem systemate, homo absolute non potuit mereri absentiam istius praemotionis ad peccatum: nam mereri non potest nisi per actum liberum; sed hic actus liber requirit praemotionem, quam proinde debuisset homo mereri per alium actum et sic in infinitum ([3]).

Observa. Eodem modo probatur actum bonum jam non posse cedere in meritum. — Etenim ut actus sit meritorius, sive dignus praemio, oportet ut liberum arbitrium potuerit eum ponere vel non; atqui, admissis decretis et praemotionibus de omnibus actibus, jam penes liberum arbitrium non est actus ponere vel non ponere. Ergo.

([1]) Cfr. *Hist. Congr. de Aux.* auct. De Meyer, l. VI, c. x. — ([2]) Cfr. P. Liv. De Meyer, l. VI, xvii. — ([3]) Cfr. *Hist. Congr. de aux.* l. c.

Dices 1° cum Lemos ([1]): « Defectus operationis nullo modo provenit ex insufficientia aliqua ipsius auxilii, sed tantum ex defectu arbitrii quod ei resistit et impedimentum ponit; » aut cum Alvarez: « Si liberum arbitrium per illud auxilium (sufficiens) actum perfectum non producit, id ex ejus culpa procedit, qui noluit bene uti eodem auxilio, sed illi resistendo impedimentum posuit ne Deus progrederetur ulterius..; » ([2]) et cum eodem: « Deus, quamdiu obligat praeceptum, tribuit de facto auxilium sufficiens, paratus homini dare auxilium efficax, nisi eidem auxilio impedimentum praestaret » ([3]).

Resp. cum Lessio: « Si non possum ea (vocatione) uti nisi me praeveniat nova motio, quae ad hunc usum me praedeterminet, jam nullo modo ostenditur auxilium illud esse sufficiens ex eo quod si bene illo utar, dabitur auxilium determinans, cum ipsum non sit sufficiens ut eo bene utar absque novo auxilio determinante » ([4]): « Si dicas, ut obtineam auxilium determinans ad conversionem, debere me uti auxilio sufficiente, respondeo me non posse uti hoc auxilio, nisi ad bonum usum detur mihi motio efficax: hic enim bonus usus est operatio supernaturalis » ([5]).

Dices 2° cum Cabrera ([6]), non requiri bonum usum positivum gratiae sufficientis, sed sufficere negativum, id est non resistere sufficienti auxilio, sed sinere se moveri.

Resp. a) Solutio rejicitur ab Alvarez ([7]) et nonnullis aliis thomistis.

b) Cum Bastida ([8]) et Liv. de Meyer: « Si in gratiam ex se sola efficacem bonus auxiliorum usus revocetur, consequens fieri liberum arbitrium nihil omnino agere in his qui bene utuntur auxiliis gratiae; in his vero qui non recte utuntur, carentiam hujus boni usus soli Deo tribuendam esse » ([9]). Et merito, uti dictum est in th. XXVIII (cf. n. 190).

Dices 3° cum Billuart ([10]) ideo Deus denegat gratiam efficacem, quia homo peccando resistit gratiae sufficienti.

Resp. Stante hoc systemate, ideo peccat homo, quia ad peccandum praedeterminatur.

226. — QUARTA PARS. SYSTEMA NEOTHOMISTARUM DESTRUIT VERAM ET RELATIVAM SUFFICIENTIAM OMNIS GRATIAE QUAE NON FUIT EFFICAX.

([1]) *Panoplia*, t. IV, p. II, tr. III, c. II. — ([2]) ALVAREZ, d. LXXX, n. 6. — ([3]) Ib. d. CXIII, n. 10. Cf. GAZZANIGA, *De gratia*, diss. VI, n. 232 sq. — ([4]) LESSIUS, *De gr. effic.* c. IX, n. 3. — ([5]) Ib. n. 4. — ([6]) CABRERA: In III p. q. XVIII, a. 4, disp. II, § II, n. 157 sq. — ([7]) ALVAREZ, d. CV, n. 6, ad 6m. — ([8]) In Congr. XXXVII de aux. — ([9]) *Hist. Congr. de aux.* l. V, c. LI. — ([10]) BILLUART: *De gr.* diss. V, art. 4.

Prob. Illa gratia non est vere et relative sufficiens quae non confert homini plenam potestatem agendi salutariter. Atqui in systemate Neothomistarum nulla gratia, praeter gratiam efficacem, confert homini plenam potestatem agendi salutariter. Ergo. — *Prob. min.* Illa gratia non confert homini plenam potestatem agendi salutariter ultra quam absolute exigitur alia gratia ad agendum salutariter, quam homo sibi comparare nequit bono usu gratiae sibi jam datae. Atqui in systemate Neothomistarum, ultra gratiam eam quae non fuit efficax, exigitur ad actum salutarem alia gratia, nempe praemotio physica; et in potestate hominis non est sibi comparare hanc aliam gratiam bono usu gratiae sufficientis, uti in superioribus ostensum est inter argumenta quibus probatur thesis XXIX[a]. Ergo. Cf. n. 193, p. 365.

227. — QUINTA PARS. SYSTEMA NEOTHOMISTARUM VIDETUR COMPONI NON POSSE CUM TRIDENTINO.

Prob. In sess. VI, can. 4, legitur: « Si quis dixerit liberum arbitrium motum et excitatum a Deo... *non posse dissentire*, si velit, A. S. » In cap. V legitur: « Qui... a Deo aversi erant... gratiae libere assentiendo ad convertendum se disponuntur, ita ut, tangente Deo cor hominis..., nec homo nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui et illam abjicere potest. »

Ad argumentum praenota: a) Non agitur tantum de gratia sufficienti, sed de omni gratia seu omni dono divinitus collato homini ad salutariter agendum. Patet quia verba canonis sunt generalia. — b) Agitur de libero arbitrio in sensu composito motionis et excitationis, seu de arbitrio quod abjicere potest eam motionem qua actu movetur et quam recipit. — His positis, ostenditur tripliciter praemotionem conciliar non posse cum Tridentino:

A. Bellarminus examinavit acta Concilii Tridentini, quae in arce s. Angeli conservantur, et excerpsit sequentia quae, tempore Congr. de Aux., Paulo V legenda obtulit: « In actis Concilii, quae habentur in arce s. Angeli, refertur quod, quum in disputatione theologorum quae habebatur ante sessionem sextam, duo religiosi protulissent sententiam istam de praedeterminatione liberi arbitrii, fuit *male acceptum a ceteris* ideo quod *non videretur valde catholicum,* et propterea decretum formatum est juxta communem aliorum sententiam » ([1]).

B. Juxta Tridentinum in canone quarto liberum arbitrium, sub

([1]) Cf. SCHEEMANN: *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia, initia et progressus*, p. 131.

quacumque motione gratiae constituatur, potest elicere actualem dissensum, seu habet veram potestatem dissentiendi; speciatim potuit abjicere eam gratiam quam recipit, adeoque quae efficax reddita est. Atqui hoc falsificatur in sententia praedeterminatorum. Ergo. — *Prob. min.* Tenent praedeterminatores repugnare ut liberum arbitrium agat salutariter, nisi fuerit praedeterminatum ad actum; addunt repugnare ut non operetur salutariter quoties fuit praedeterminatum. Atqui liberum arbitrium quod absolute non potest denegare consensum motioni gratiae, non habet veram potestatem dissentiendi a gratia seu eam abjiciendi. Habere quidem potest τὸ posse, ut aiunt Bannesiani, irreducibile ad actum, verum tale quid est nominetenus potentia, *realiter autem est impotentia,* siquidem implicat in terminis « vera potentia absolute et ab intrinseco irreducibilis ad actum »

C. Sensus quem neothomistae tribuunt verbis Tridentini est omnino frivolus et reddit canonem ineptum ad scopum in quem attingendum tendit idem canon.

Alii enim ex Neothomistis dicunt Tridentinum sermonem facere de gratia efficaci in actu secundo, adeoque de gratia prouti conjungitur cum actu salutari; addunt absurdum esse dissensum actualem conjungi cum hujuscemodi gratia; concludunt non affirmari a Patribus Tridentinis nisi potentiam dissentiendi irreducibilem tamen ad actum. — Huic explicationi reponimus omnino frivolam esse rationem loquendi illius qui asserit arbitrium motum gratia cui dat consensum habere potentiam dissentiendi, nisi intendat affirmare ideo arbitrium habere potentiam dissentiendi quia, antecedenter ad consensum gratiae datum, pro nutu suo potuit assentiri per vires gratiae aut dissentire per vires naturae; cum autem haec potestas a Neothomistis denegetur, restat ut canonem reddant omnino frivolum.

Alii dicunt in Tridentino agi de gratia efficaci in actu primo; cum velint hanc gratiam sitam esse in praemotione, explicant canonem dicendo arbitrium a Deo praemotum ad actum salutarem servare potentiam ad dissentiendum, licet haec potentia sit irreducibilis ad actum quandiu arbitrium manet sub motione hujus gratiae. — Huic interpretatione reponimus eam falsificari tum rationibus modo allatis sub litt. B, tum quia canon tridentinus sic intellectus est prorsus inutilis ad scopum qui intenditur. Illo enim canone damnatur sententia novatorum asserentium actus salutares elici sub motione gratiae physice necessitantis; verum nullatenus negabant haeretici remanere sub motione gratiae potentiam dissentiendi a gratia et peccandi, licet

irreducibilem ad actum; contra enim cum vellent arbitrium humanum sibi relictum necessario peccare, naturam non posse impediri ne peccet nisi subministretur gratia physice necessitans, omnino volebant sub motione gratiae remanere potentiam immo necessitatem peccandi verum eam esse irreducibilem ad actum, manente motione gratiae. Igitur nullatenus damnantur per canonem Tridentinum, si intelligitur uti Neothomistae eum explicant.

228. — **Effugia Neothomistarum** (1). I^m^. In tantum doctrina praedeterminantium laederetur canone Tridentini, in quantum affirmaretur liberum arbitrium sub motione cujuslibet gratiae habere potentiam dissentiendi reducibilem ad actum. Atqui talis non est sensus istius canonis. Ergo. — *Prob. min.* Ut talis sensus tribui posset isti canoni, dicendum esset non agi de gratia efficaci in quantum haec est efficax. Atqui agitur de gratia efficaci in quantum est efficax. Ergo. — Constat major quia gratia efficax formaliter sumpta involvit consensum voluntatis; absurdum autem foret dissensum actualem posse elici tunc quando actualis consensus elicitur; quare si agitur de gratia efficaci qua tali, materia subjecta ostendit tantum asseri cum hac gratia conjungi τὸ posse dissentire irreducibile ad actum. — *Prob. min.* Tridentinum considerat eam gratiam, eamque solam, circa quam Novatores haeretice sentiebant, seu circa quam haereticos inter et catholicos controversia exstabat. Atqui haec non erat nisi gratia efficax. Ergo.

Resp. 1. *Ad probationem minoris syllogismi principalis.* Gratia efficax considerari potest sive formaliter et in actu secundo h. e. uti actu connexa cum consensu, sive *materialiter et in actu primo.* Porro, dato Tridentinum non considerare nisi gratiam efficacem, certum est gratiam istam non inspici *formaliter et in actu secundo* sed *in actu primo et materialiter.* De eadem enim gratia in can. 4 et in cap. v asseritur eam

(1) Lemos et Alvarez consolationem hauriunt ex eo quod Tridentinum non dicit liberum arbitrium posse *resistere* gratiae, sed posse *dissentire* ab ea et eam abjicere. « Non est idem, ait Lemos, arbitrium motum *posse dissentire* Deo vocanti et *posse resistere,* quia prima propositio secundum catholicam veritatem tenenda est, cum faciat sensum divisum, altera neganda est, cum faciat sensum compositum » (*Panoplia gratiae.* Ed. Leod. 1676, t. III, P. I, p. 258, n. 226). Falsum esse arbitrium *posse resistere* gratiae efficaci probabat Lemos in Congr. de Aux. ex Script. dicente « nec est qui tuae possit resistere voluntati. » (*Acta Lemos* ed. Lovan. 1702, p. 1239 sq.). Alvarez vero probat quia « resistere in sua formali significatione importat quamdam renitentiam, quae respectu Dei non potest competere alicui creaturae » (*De aux. div. gr.* d. XCIII).

Illud solatium Bannesianis sublatum est a Concilio Vaticano aiente « fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operaretur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, *cui resistere potest,* consentiendo et cooperando ». (Sess. III, c. III).

Ceterum Billuart et Gonet concedunt idem esse *resistere* et *dissentire.*

movere arbitrium, ei revera posse consentiri, eam posse recipi, posse eam abjici; jamvero ex sensu obvio haec conveniunt quidem gratiae relative sufficienti et efficaci in actu primo, nullatenus vero efficaci in actu secundo; immo *non possunt* convenire gratiae in actu secundo, nisi sensus reddatur frivolus et ineptus ad scopum attingendum. Jamvero canon de gratia efficaci *in actu primo* intellectus nihilominus adversatur Bannesianis. Manifestum enim est Tridentinum duo considerare, scilicet gratiam Dei seu donum a Deo collatum, et operationem voluntatis; manifestum est asseri huic dono, quod erit efficax seu cui arbitrium consensum praestat (seu gratiae efficaci in actu primo et materialiter consideratae). *jungi posse actualem dissensum* seu dari τὸ posse dissentire reducibile ad actum. Talem esse sensum canonis constat ex sensu obvio et quia secus non attingitur scopus adversus Novatores. — Itaque *distinguitur major* syllogismi principalis: In tantum laeditur doctrina praedeterminatorum canone Tridentini, in quantum affirmatur hoc canone liberum arbitrium sub motione omnis gratiae, etiam efficacis *in actu primo consideratae*, posse, *antecedenter* ad consensum huic gratiae datum, jungere per vires naturae dissensum, *Conc.;* in quantum affirmaretur hominem posse dissentire a gratia efficaci in actu secundo, adeoque posse *consequenter ad consensum* jungere dissensum, *Neg.* — *Cdt. min.*

2. *Ad ultimam instantiam.* Cum Novatores agebant de indole gratiae efficacis, eam etiam considerabant in actu primo; asserebant nempe donum a Deo collatum ad actum salutarem, in se ipso et in actu primo consideratum, esse tale ut necessitet assensum voluntatis seu ut cum eo absolute non possit conjungi actualis dissensio (potentia irreducibilis ad actum). — Quare *Transm. maj. Dist. min.* Haeretici non considerabant nisi gratiam efficacem *materialiter* h. e. illud *donum Dei praecise sumptum* quod est efficax, seu cui reapse tribuit consensum, *Conc.;* gratiam efficacem *formaliter* seu includendo in ea consensum actualem voluntatis, *Neg.* Ceterum si constaret haereticos non considerasse gratiam nisi uti est efficax, consequeretur ex probatis a Tridentino considerari gratiam generaliori modo. Quare in hac hypothesi negaretur major ultimi syllogismi.

II^{m}. Haeretici admittebant gratiam ex natura sua efficacem; inde consequens esse aiebant arbitrium dissentire non posse, seu nullam habere potentiam dissentiendi, adeoque carere libertate. Tridentinum, vero negat consequens, seu affirmat libertatem, de antecedente tacet. Ergo antecedens non rejicit, sed admittit; secus enim explicite rejecisset.

Resp. Ex eo quod haeretici asserunt duo et quod Tridentinum nonnisi unum explicite considerat in ordine ad illud negandum, nullatenus consequitur alterum pro vero haberi ab eo. Potest enim fieri vel ut ab hoc altero praescindat, vel immo illud implicite et virtualiter reprobet, si nempe ex verbis ejus deducitur illud alterum damnari, aut si id quod damnatur explicite fluit ex hoc altero adeoque virtualiter in eo continetur. Jamvero contendimus id fieri de gratia efficaci ab intrinseco. Haeretici enim astruunt gratiam ab intrinseco efficacem; inde logice fluit deesse libertatem sub motione gratiae : Tridentinum affirmat libertatem ; ergo virtualiter negat efficaciam intrinsecam gratiae.

III^m. Fatentur Bellarminus, Suarez, Valentia, quod, supposita scientia media, gratia efficax ex hypothesi rejici non possit in sensu composito, neque putant hoc esse contra Tridentinum. Ergo eo quod gratia ab intrinseco efficax rejici non possit in sensu composito, dici nequit esse contra Tridentinum. Sic Lemos in Congregatione de Auxiliis [1].

Resp. cum Bastida « rem esse claram et evidentem, ex hypothesi quod homo hoc momento gratiae consentiat, idque a Deo praevideatur, fieri non posse ut non consentiat, sive ut gratiam rejiciat in sensu composito ». Neothomistae autem hoc non dicunt, sed negant liberum arbitrium posse dissensum conjungere cum entitate et natura gratiae moventis et excitantis praecise considerata, priusquam supponatur et praevideatur consensus liber hominis cum gratia conjunctus. Itaque *distinguitur:* Juxta citatos auctores gratia efficax *antecedenter ad consensum* conditionate praestandum gratiae, qui fundat Dei praescientiam, rejici nequit, *Neg.; consequenter*, *Conc.* — Ad *cons. negatur paritas.*

229. — **Scholion 1^m.** Causa potest subordinari alteri dupliciter, scilicet *per accidens,* quatenus exsistentiam ab ea accepit vel servatur in esse, et *per se*, quatenus in operando ab ea pendet. — Potest *per se* tripliciter subordinari : a) quatenus causa subordinans constituit causam secundam *in actu primo,* e quo, pro diversa natura istius causae, necessario vel libere sequitur actus secundus. Potest causa subordinans causam subordinatam dupliciter constituere in actu primo: α) *Extrinsecus,* videlicet determinando alia entia ad agendum, ita ut ex eorum actionibus resultet actus primus, sive plena sufficientia causae consideratae. β) *Intrinsecus*, determinando exsistentiam elementorum intrinsecorum causae, e quibus oritur sufficientia ad agendum. — b) Quatenus causa subordinata a subordinante accepit virtutem agendi et effectum

(1) Cf. Liv. De Meyer, l. VI, c. x.

non producit nisi dependenter ab altera causa quae simul eumdem effectum attingit et quidem dependenter a concausa. Cum duae causae simultanee attingunt effectum, patet eam dicendam esse subordinantem quae alteri virtutem agendi dedit. Porro contendimus tali modo causam secundam subordinari Deo in agendo. — c) Quatenus natura prius movetur a subordinante. Hanc subordinationem tuentur Neothomistae, duce Bañez.

Scholion 2m. Axioma « *Causa secunda operatur in virtute causae primae, movetur, applicatur a causa prima* », eo sensu est accipiendum quod causa secunda a) accepit a Deo potentiam agendi ; b) haec potentia a Deo conservatur ; c) non agit nisi constituta a Deo in actu primo ; d) non agit nisi Deo concurrente simultanee.

Scholion 3m. In systemate moliniano causa increata recte dicitur causa *prima*, creata vero *secunda*. Etenim a) causa increata est dignissima et omnipotens ; b) subministrat causae secundae virtutem agendi ; c) concurrendo cum rebus extrinsecis, vel operando intrinsecus in causa secunda, eam constituit in actu primo ; d) concurrit indifferenter ad productionem effectus, causa autem creata determinat esse specificum effectus ; jamvero determinatio praesupponit id quod est determinabile, illud vero recte dicitur primum. e) Deus magis intime attingit esse rei.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

230. — RATIONE. Obj. 1°. Deus est causa prima, voluntas creata est causa secunda. Atqui causa prima praemovet secundam ; secus non est prima. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus est causa prima eo sensu quod est causa dignissima ; creavit voluntatem et eam conservat ; eam constituit in actu primo, concurrendo cum variis hominum potentiis et cum rebus extrinsecis ; demum praestat actui secundo concursum indifferentem et simultaneum, *Conc.;* Deus est causa prima eo sensu quod natura prius ex potentia voluntatis educit *praemotionem*, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui Deus est causa prima eo sensu quod praemotionem physicam educit ex potentia voluntatis, antecedenter ad omnem actum secundum voluntatis. Etenim a) causa secunda agit in virtute primae, mota et applicata a prima. Ergo causa prima immittit qualitatem physicam praevie ad omnem actum. — b) Causa subordinata alteri ab ea praemovetur ad actum secundum. Atqui voluntas, uti omnis causa secunda, subordinatur causae primae. Ergo praemovetur voluntas ad omnem actum secundum.

Resp. Ad 1m, *distinguitur antecedens* uti supra. — Ad 2m, *Dist. maj.* Causa *per accidens* subordinata alteri, praemovetur ab ea, *Neg.*; causa subordinata *per se*, *Subdist.* causa creata subordinata causae *creatae*, *Conc.*; causa subordinata *increatae*, *Neg.* — *Conc. min.* — *Neg. conseq.*

Inst. Atqui causa creata subordinata causae primae praemovetur ad actum secundum. Etenim quae causa instrumentaliter agit, praemovetur a principali. Atqui causa creata subordinata causae increatae instrumentaliter agit. Ergo praemovetur a principali, sive a Deo.

Resp. *Dist. maj.* Quae causa agit tamquam instrumentum *proprie* acceptum, quale est instrumentum in artefactis, praemovetur, *Conc.*; tamquam instrumentum magis *communiter acceptum*, prout praescindit a differentiis quibus genus instrumenti contrahitur in artefactis et in causis naturalibus, *Subd.* praemovetur ad *actum primum*, *Transm.*; praemovetur ad *actum secundum* praemotione physica, *Neg.*

Inst. Atqui causa secunda est instrumentum proprie acceptum respectu causae primae. Etenim a) Deus respicit finem ultimum creationis et omnia efficaciter dirigit in hunc finem. Atqui, ut hoc sit, oportet ut omnia sint instrumenta proprie dicta respectu Dei. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus respicit finem ultimum et *efficacissime entia intellectu carentia* dirigit, *Conc.*; efficaciter dirigit *entia intellectiva*, *Subdist.* eo sensu quod iis praestat virtutem attingendi finem ultimum eaque constituit in actu primo, eo adhuc sensu quod post hanc vitam vel Deum laudabunt, vel gloriam materialem procurabunt, manifestando Dei justitiam et haec entia non fuerunt a Deo in ordine rerum posita nisi consequenter ad praevisionem quod finis ultimus a Deo sit attingendus, *Conc.*; eo sensu quod *praemoventur* a Deo ad singulas actiones quibus attingunt finem, *Neg.*

Obj. 2°. b) *Ex dominio Dei.* De ratione domini est applicare sibi subditos ad suas operationes, sive applicatione morali per imperium, si dominium est morale, seu si tantum moraliter subditi subjiciuntur ; sive applicatione physica, si dominium physicum est. Atqui Deus est supremus omnium dominus, non tantum moraliter ex subordinatione morali, sed naturaliter conditione naturali creaturae. Ergo.

Resp. 1. Bannesiani ita extollunt Dei dominium, ut Deum faciant crudelem tyrrannum. Non est ratio habenda solius Dei dominii, sed etiam sanctitatis ejus et bonitatis. Jamvero uberius ostendimus perverti a Praedeterminatoribus Dei sanctitatem, e medio tolli libertatem humanam.

2. Varia autem Dei attributa optime salvantur a Molinianis. Profecto dependentiam creaturae a Deo et Dei dominium sufficienter salva

consistere, luculenter apparebit haec tria consideranti : a) Deus usu scientiae mediae praesciebat quid singuli homines possibiles acturi essent in omnibus adjunctis possibilibus. Praelucente ista scientia, liberrime decrevit se unum prae ceteris, iisque innumeris, ordinibus possibilibus esse conditurum. Profecto non est nisi supremi domini, regis et imperatoris hujusmodi decretum ferre. — b) In praesenti ordine, denegato concursu simultaneo Dei, nullus effectus valet in ordine reali contingere. — c) Si Deus absolute vult ut determinatus effectus ab homine ponatur, ei non deest potentia absoluta praemovendi et praedeterminandi voluntates, ita scil. ut effectus producatur necessario. Immo potest efficere ut actio ab homine procedat sine jactura libertatis ; potest enim, inspecta scientia media, ponere voluntatem liberam in actu primo e quo praescierit infallibiliter consecuturum esse actum secundum absolute intentum. At neutrum Deus ordinario facit ; per primum enim, si ordinario fieret, destruitur libertas et inducitur praedestinatio et reprobatio negativa antecedenter ad praevisa merita ; per alterum inducitur illud posterius, quod admitti non posse demonstratur alibi.

Quibus praemissis, *distinguitur major :* De ratione dominii physici est ut causae cooperantes applicentur physica applicatione quae sit *conformis naturae suae*, *Conc.; secus*, *Neg.* — *Conc. min.* — *Dist. cons.* Deus applicat physice *modo congruo naturae* quae applicatur, *Conc.;* secus, *Neg.* Jamvero praemotio, addita ceteris elementis actus primi, non est modus congruus, praesertim si agitur de causis libere agentibus.

Obj. 3°. Eo quod Deus non praemovet, homo dicendus est habere aliquid quod a Deo non accepit. Atqui hoc dici nequit. — *Prob. maj.* Habet determinationem voluntatis ad unum. Atqui hunc actum non accepit a Deo, sed a se ipso. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Homo habet aliquid cujus *possibilitatem* non accepit a Deo, *Neg.;* cujus *exsistentia* non accipitur sive producitur a Deo, *Subd.* cujus exsistentiae *causa unica* non est Deus, *Conc.;* cujus *causa partialis* non est Deus, *Neg.* — *Cdt. min.* Nequit dici hominem habere habere aliquid cujus *possibilitas* Deum non habet auctorem, *Conc. ;* cujus *exsistentia* non determinatur a Deo, *Subd.* tamquam a causa *partiali*, *Conc.;* tamquam a causa *totali, Neg.* Homo sane non utitur concursu Dei, nisi agendo ; jamvero omnis actio fit beneficio Dei concursus. Itaque usus concursus divini non datur independenter a Dei actione.

Obj. 4°. *Ex natura voluntatis.* Illa potentia indiget praemotione, quae ab alio reducenda est ad actum. Atqui voluntas humana ab alio principio est reducenda ad actum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Illa potentia indiget praemotione, quae ab alio reducitur *ad actum secundum*, *Conc.; ad actum primum*, *Neg.* — *Cdt. min.* Voluntas reducitur *ad actum primum* ab alio principio, sive intrinseco homini, puta ab intellectu et sensu, sive extrinseco homini, puta a corporibus vel Deo, *Conc.; ad actum secundum*, *Subd.* circa bonum *adaequatum, Transm.; finitum, Neg.*

Inst. Atqui voluntas constituta in actu primo reducitur ab alio principio ad actum secundum circa quodlibet bonum. Etenim voluntas constituta in actu primo est indifferens respectu actus secundi. Atqui quod est indifferens respectu actus, ab alio reducitur ad actum. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Voluntas constituta in actu primo est *passive* indifferens, *Neg.; active*, *Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui voluntas constituta in actu primo est passive indifferens ad actum secundum. Etenim potentia non reducitur per semetipsam ad actum, sed ab alio ad actum reducitur, ideoque est passive indifferens. Sive aliter quidquid movetur, ab alio movetur. Atqui voluntas, constituta in actu primo, est potentia respectu actus secundi. Ergo ab alio reducitur ad actum secundum.

Resp. *Dist. maj.* Potentia *passiva* reducitur ab alio ad actum, *Conc.; activa, Subd.* reducitur ab alio *ad actum primum*, *Conc.; ad actum secundum, Subd.* potentia *necessario agens*, *Conc.; omnis potentia, Neg.* — *Cdt. min.* Voluntas in actu primo constituta est potentia mere *passiva*, *Neg.; activa, Conc.*

Objectiones ex Scriptura petitae expendentur seq. articulo; argumenta quae Bannesiani ex s. Augustino et ex. s. Thoma eruunt, examinabuntur art. v°.

ARTICULUS IV.

Defenditur gratia ab extrinseco efficax ad mentem Molinae.

§ 1. Defenduntur communia Molinismo et Congruismo.

THESIS XXXVI^a. — Efficacia gratiae sic est explicanda cum Molina et Lessio: Omni gratiae inest efficacia virtutis; efficacia vero actualis gratiae dimanat ab extrinseco: eo nempe est efficax, quia liberum arbitrium, agens per vires gratiae, suasioni divinae consentit, dum per vires naturae ab ea dissentire posset. — Infallibititas autem connexionis gratiae cum opere salutari petitur: a) *objectiva* quidem ex futuritione conditionata consensus huic gratiae; b) *cognoscitiva* vero ex scientia media; c) *affectiva* demum

ex decreto absoluto quo, praelucente scientia media circa efficaciam et inefficaciam omnium gratiarum, Deus statuit conferre gratiam conditionate praevisam efficacem, prae gratia praevisa inefficaci, atque ita homini gratiae cooperaturo speciale praestat beneficium.

231. — PRIMA PARS. OMNI GRATIAE INEST AB INTRINSECO EFFICACIA VIRTUTIS.

Prob. Efficacia virtutis gratiae stat in eo quod confert homini vires supernaturales sufficientes ad operandum salutariter. Atqui omnis gratia hujusmodi vires confert. Omnis etiam gratia est vere et relative sufficiens, proxime aut remote, adeoque praestat facultatem ad operandum salutariter, adeo ut per hominem stet eam facere efficacem. Ergo.

232. — SECUNDA PARS. GRATIA EFFICAX TALIS EST AB EXTRINSECO.

Prob. I^m Arg. Gratia est efficax ab intrinseco aut ab extrinseco. *Ab intrinseco* est efficax, cum entitas gratiae, sive absolute et in omnibus adjunctis, sive pro adjunctis concretis in quibus datur et quae pertinent ad actum voluntatis primum, talis est ut non possit non sequi consensus. *Ab extrinseco* est efficax cum, intellectu per gratiam illuminato et voluntate per gratiam mota, penes voluntatem constituitur gratiae assentiri aut ab ea dissentire. Si gratiae consentitur, consensus salutaris physice procedit a voluntate et a principio supernaturali, nempe a motu gratiae excitantis, ab habitu, si datur, et a concursu connaturali Dei ; si ab eadem gratia dissentitur, dissensus fit a facultate agente per vires naturae cum concursu naturali Dei. — Atqui in superioribus thesibus ostensum est gratiam non esse efficacem ab intrinseco. Ergo manet ut ab extrinseco mutuetur efficaciam.

II^m Arg. Juxta doctrinam Scripturae et Patrum in superioribus traditam datur gratia vere et relative sufficiens ; per hominem stat eam reddere efficacem aut inefficacem ; laudantur alii et praemio donantur quod eam fecerint efficacem ; corripiuntur contra alii et poenis afficiuntur quod eam irritam reddiderint. Atqui horum singula supponunt gratiae efficaciam et inefficaciam determinari a libero arbitrio. Ergo.

III^m Arg. EX PATRIBUS. Patres passim propugnant efficaciam aut inefficaciam gratiae pendere a libero arbitrio consensum tribuente vel denegante. Ergo censent gratiam ab extrinseco esse efficacem.

Prob. ant. Omisso Augustino, de quo speciatim disputabitur, sic loquuntur — a) CYPRIANUS : « Credendi, ait, vel non credendi libertas in arbitrio est posita » ([1]), ubi profecto sermo fit de fide salutari. —

([1]) CYPR. *Testim. adv. Judaeos, ad Quirinum.* l. III, c. III.

b) S. EPHREM: « Divina gratia semper corda nostra visitat, et si locum, ubi quiescat, invenerit, ingreditur, semperque in anima habitat. Sed si cor immundum offenderit, illico recedit » ([1]); ubi probabiliter non tantum de gratia habituali fit sermo, sed etiam de actuali ingrediente apud hominem libere eam recipientem. — c) CYRILLUS HIER.: « Quacumque gratia donetur homo, sibi semper liberum est vel assentire, vel rejicere, vel cor Deo praebere » ([2]) — d) CHRYSOSTOMUS: α) in verba: *In propria venit* etc., ita disserit: « Venientem illum alii sequuntur, alii non. Nullum enim vult invitum, vel necessitate coactum, servum habere, sed omnes libenter, et ex voluntatis proposito venire. » ([3]) β) Alibi ait: « Non enim necessitate aut vi Deus bonos facere solet, neque electio ejus est violenta, sed a suasione perficitur. Ut autem discas vocationem non vim inferre, perpende quot vocati perierint. Unde palam est in nostro sitam esse arbitrio salutem vel perniciem nostram » ([4]). — e) HIERONYMUS: α) « Hoc est, ait, quod tibi a principio dixeram, in nostra positum esse potestate, vel peccare, vel non peccare, et vel ad bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium » ([5]). β) Alibi dicit: « Denique infertur: aut facite arborem bonam, et fructus ejus bonos: ex quo perspicuum est est unumquemque propria voluntate facere animae suae bonam et malam arborem, cujus fructus varii sunt » ([6]). Jamvero Hieronymus non negabat exigi gratiam ad vincendam tentationem gravem et ad salutariter operandum. — f) DAMASCENUS, ait: « In nobis est virtuti immanere et sequi Deum nos ad illam vocantem, aut deserere virtutem » ([7]).

IV^m Arg. RATIONE. *Prima,* quam Molina proponit, petitur *ex sensu intimo.* « Hoc ipsum est, ait Molina, quod vel ipsa experientia in unoquoque nostrum testatur, dum ad Deum convertimur. Quivis enim in seipso experitur, dum de peccatis propter Deum dolet, in sua potestate esse, continere eum actum quo dolet, non solum divertendo ad alia, sed etiam dissentiendo, complacendoque tunc in iis ipsis peccatis, de quibus dolet, eaque ratione inter justi laudes reputatur quod potuerit transgredi et non est trangressus, et facere mala et non fecit » ([8]). — *Secunda* petitur *ex sensu communi fidelium.* Viri pii seipsos negligentiae accusare solent, quod cum gratia a Deo recepta non exercuerint opera pietatis.

([1]) EPHREM: *Hom. de compunct.* t. I, p. 70, edit. Venetis. — ([2]) CYR. HIER. *Procatech.* n. 7. — ([3]) CHRYS. *Hom.* X (al. IX) *in Joh.* n. 1. — ([4]) Ib. *Hom.* XLVII (al. XLVI). — ([5]) HIER. In fine III^i libri *dialogorum.* — ([6]) Id. *In cap.* LV *Isaiae.* — ([7]) DAMASC. *De fide orth.* l. II, c. ult. — ([8]) MOLINA; *Concordia* etc. d. XL in q. XIV, art. 13.

Concionatores clamitare solent fideliter esse obtemperandum inspirationibus divinis. Jamvero haec supponunt gratiam esse efficacem ab extrinseco. — *Tertia:* Ex antea probatis, liberum arbitrium sine gratia potest quaedam opera moraliter bona peragere, etc.; pollet potentia physica ad diu observandam legem divinam et ad vincendas tentationes graves. Jamvero ex argumentis, quibus hae propositiones fuerunt comprobatae, etiam colligitur hominem non indigere praemotione physica ordinis naturalis. Ergo neque indiget praemotione ordinis supernaturalis ad salutariter operandum.

233. — TERTIA PARS. De infallibilitate efficaciae gratiae.

Prob. Duo fuerunt comprobata: 1. Gratia efficax est infallibiliter talis ante collationem, et ut hujusmodi a Deo decernitur et confertur; sive aliter, antecedenter ad collationem gratiae et ad Dei decretum absolutum conferendi gratiam efficacem, infallibiliter certum est determinatam gratiam, si confertur, fore efficacem; hoc Deo cum perspectum sit, amore benevolo confert gratiam qua efficacem. 2. Ex alia parte gratia non est efficax ab intrinseco, sed ab extrinseco. Atqui ista duo inter se conciliari nequeunt, nisi dicatur infallibilitatem *objectivam* repeti ex futuritione conditionata consensus, *cognoscitivam* ex scientia media, *affectivam* ex decreto quod fertur sub praelucente scientia media. Ergo.

Tota thesis sequenti argumento probatur:

Illa sententia prudenter admittitur, quae sola explicat explicanda et conciliat concilianda, nempe triplicem infallibilitatem connexionis gratiae efficacis cum consensu voluntatis, necessitatem gratiae ad omne opus salutare, libertatem operis salutaris, et exsistentiam gratiae pure quidem sufficientis, sed vere et relative. Atqui cetera systemata huic oneri succumbere ostensum est in superioribus; doctrinam Molinae illud integris viribus sustinere declaratur:

1. *Salvatur necessitas gratiae.* In systemate Molinae ad opus salutare exigitur illustratio mentis et inspiratio voluntatis; exigitur etiam gratia adjuvans, cum sine ea consensus gratiae excitantis esset entitative naturalis adeoque nequaquam salutaris.

2. *Salvatur relativa sufficientia gratiae pure sufficientis.* Gratia enim pure sufficiens habet in actu primo, seu antecedenter ad dissensum voluntatis, efficaciam virtutis.

3. *Salvatur libertas actus salutaris.* Non enim tollitur per entitatem gratiae, neque per praescientiam divinam. Ergo integra manet. — *Non tollitur per entitatem gratiae,* siquidem est ab extrinseco efficax, seu conjungitur cum consensu, aut non, pro sola determinatione voluntatis.

— *Non tollitur per praescientiam Dei.* Illud enim non destruit hominis libertatem quod ab homine impediri potest, directe aut indirecte. Atqui homo indirecte potest impedire Dei praescientiam. Etenim, ut haec detur, in systemate Moliniano natura prius exigitur, per modum conditionis, terminus extrinsecus Deo, sc. consensus voluntatis creatae ; quare qui impediret hunc terminum, ponendo alterum priori oppositum, ille indirecte impediret scientiam Dei mediam et scientiam visionis. Atqui in systemate Molinae homo potest impedire hunc terminum extrinsecum ponendo oppositum, siquidem positio aut non positio ab eo pendere dicitur, rejecta omni praemotione. Ergo.

4. *Salvatur infallibilitas efficaciae gratiae.* — Salvatur infallibilitas a) *objectiva* et *cognoscitiva.* Deus enim infallibiliter cognoscit non modo futura contingentia absoluta sed etiam conditionata, uti aliis argumentis probatum est in tractatu de Deo uno. Porro de medio in quo praesciuntur futuribilia abeunt doctores in duas sententias principales. Neothomistae asserunt ea praesciri in decretis praedeterminantibus ; hoc autem esse absurdum constat quia contradictionem implicat praedeterminata et praemota esse contingentia. Quare restat ut dicatur cum Molinianis futuribilia cognosci a Deo immediate in seipsis, sc. intellectum divinum aeternaliter determinari ad cognoscenda futuribilia in essentia Dei quae ea objicit intellectui, conditionem vero requisitam ad hoc ut essentia reddat haec futuribilia intellectui praesentia, hanc conditionem, inquam, esse ut in tempore liberum arbitrium hos actus foret eliciturum si crearetur et in certis adjunctis poneretur. Quamobrem Deus ope scientiae mediae cognoscit quaenam gratiae forent efficaces, quaenam vero inefficaces, antecedenter ad collationem et ad absolutam praedestinationem gratiarum efficacium. — Salvatur infallibilitas b) *affectiva.* Etenim Deus major benefactor est materialis et formalis eorum quibus confert gratias praevisas efficaces, quam eorum quibus confert gratias quae praescitae sunt inefficaces. Est, inquam, *major benefactor materialis,* seu majus beneficium confert: Quod enim propter adjuncta affert majorem utilitatem, id est majus beneficium. Atqui talis est gratia efficax. Ergo. — Est etiam *major benefactor formalis*, seu confert id beneficium *qua majus* seu *qua utilius :* Etenim Deus omnia dona supernaturalia confert cum complacentia, siquidem tribuuntur ut valeat praestari ipsi supernaturalis gloria ; si praescivit efficaciam conditionatam, confert ea cum majore benevolentia, cum majore affectu, proindeque qua utiliora, qua majora beneficia.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

234. — RATIONE. Obj. 1°. Systema Molinae sapit semipelagianismum. Etenim componit cum Deo, alteram partem salutis tribuit homini, alteram vero Deo, immo primam homini qui ex se suum consensum promit. Atqui in his situs est error semipelagianus ([1]). Ergo.

Resp. Semipelagianorum error situs erat in eo quod volebant initium fidei, constans actu credendi, oratione, paenitentia, etc. adscribendum esse viribus naturae sibi permissis, et gratiam non dari nisi secundum mensuram meritorum naturalium. — Utrumque evidenter excluditur a Molina. Tenet enim ad initium fidei exigi gratiam excitantem et adjuvantem a qua actus salutaris totam dignitatem mutuatur. Tenet etiam gratiam praevenire merita naturalia, nedum ea sequatur; tenet denique Deum gratuito eligere gratiam praevisam conditionate efficacem prae inefficaci, gratuito, inquam, quia nempe non detur secundum merita etiam supernaturalia. Illud unice vult Molina, ut scil. penes arbitrium sit assentire gratiae aut ab ea dissentire. Id quidem admittebant Pelagiani de gratia quam dicebant necessariam ad augmentum fidei, verum in hoc non erant haeretici. Cf. n. 16, p. 41.

Obj. 2°. Gratia ab extrinseco efficax a) est versatilis, utpote a voluntate nostra pendula, b) subdita libero arbitrio, c) pedissequa et exspectans voluntatem. Atqui haec sapiunt semipelagianismum. Ergo.

Resp. *Ad 1m partem majoris:* a) *Dist.* Gratia molinistica est versatilis, h. e. in *utramque partem flecti potest*, quasi per vires gratiae consentiretur aut dissentiretur, *Neg.*; est versatilis, h. e. homo non tantum praevie elevatus potest gratiae consentire, sed adhuc *per vires naturae potest resistere gratiae, Conc.* Talis versatilitas a Tridentino asseritur et definitur. — b) *Dist.* Gratia molinistica est versatilis, et gratia bannesiana ita caret versatilitate *ut destruat libertatem, Conc.;* non incurritur a Neothomistis inconveniens oppositum quod est multo gravius, *Neg.* — *Cdt. min.*

Ad 2m partem majoris: a) *Dist.* Gratia molinistica est subdita libero arbitrio eo sensu quod *arbitrium, agens per vires gratiae, eam reddit efficacem* consentiendo ipsi, aut inefficacem per vires naturales dissentiendo, *Conc.;* eo sensu quod ab arbitrio aut a meritis naturalibus pendet collatio gratiae, aut eo sensu quod arbitrium tribuit gratiae virtutem causandi supernaturalitatem, *Neg.* — b) *Dist.* Et apud Bannesianos

---

([1]) Cf. BILLUART, *De gratia*, diss. V, art. 6.

contra, voluntas ita est subjecta gratiae ut libertas ipsius penitus pervertatur, *Conc.;* illud inconveniens sane magnum non incurritur, *Neg.* — *Cdt. min.*

Ad 3m partem majoris: a) *Dist.* Gratia molinistica est *pedissequa* et exspectans voluntatem sensu *semipelagiano*, quasi exspectaret merita naturalia, eique inserviret, non vero praecederet, et non tribueret supernaturalitatem actui omni salutari, *Neg.*; eo sensu quod non praedeterminat voluntatem ad actum, sed quod contra connexio ipsius cum consensu determinatur ab arbitrio per vires gratiae agente, *Conc.* — b) *Dist.* Et gratia thomistica est tyrannica, voluntas ita exspectat ut nihil libertati reliquum sit, *Conc.*; secus, *Neg.*

Obj. 3°. In sententia Molinae gratia determinatur a voluntate ad agendum, adeoque accipit a libero arbitrio efficaciam. Atqui illud admitti non potest. Ergo.

Resp. *Ad 1m partem majoris.* a) *Dist.* Determinatur a voluntate, h. e. gratia adjuvans non attingit actum salutarem nisi *dependenter a libero arbitrio quod pro nutu suo consentit aut non consentit gratiae excitanti;* sive aliter: voluntas agens simul cum gratia adjuvante efficit ut gratia praecise sufficiens jam sit positive sufficiens seu efficax, *Conc,;* gratia determinatur a voluntate, h. e. voluntas *per vires naturales* agens *meretur* ut sibi conferatur gratia *aut influit* physice in gratiam, eamque determinat ad cooperandum, *Neg.* — Ita profecto intelligi debet concursus gratiae et liberi arbitrii in elicitionem actus salutaris: Voluntas se determinat ad agendum quatenus est elevata, se determinando elicit immanenter terminum qui vocatur volitio; hic terminus procedit a voluntate et a gratia adjuvante proindeque gratia adjuvans et voluntas influunt quidem in terminum productum seu in actum salutarem, minime vero in se mutuo. Quare uti rejicimus praedeterminationem voluntatis, ita rejicimus prae-aut co-determinationem gratiae a voluntate. — b) *Dist.* Et contra in sententia Bannesianorum voluntas ita determinatur a gratia ut ipsius libertas destruatur, *Conc.;* illud incommodum, quod est majus, non incurritur in sententia adversa, *Neg.*

Ad 2m partem majoris: a) Gratia accipit a libero arbitrio *efficaciam virtutis*, *Neg.;* efficaciam *connexionis*, *Subd.* eo sensu quod gratia non efficit supernaturalitatem actus salutaris, nisi arbitrium *simul natura* attingat eumdem actum, *Conc.;* eo sensu quod liberum arbitrium *prius natura* agit et sic tribuit gratiae connexionem cum consensu, *Neg.* — b) *Dist.* Et apud Bannesianos arbitrium talem accipit efficacem gratiam, *ut ei resistere nequeat*, adeoque ut libertas evanescat, *Conc.;* secus, *Neg.*

Obj. 4°. Juxta Molinam ([1]) quod e duobus aequali motu gratiae excitatis, unus actum salutarem ponat, alter non, oritur tantum a libertate utriusque. Atqui hoc admitti nequit. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Oritur solum juxta Molinam ex libero arbitrio, h. e. arbitrium non indiget praedeterminatione, *Conc.;* non exigitur gratia excitans et adjuvans ad hoc ut arbitrium salutariter consentiat, *Neg.* ([2]).

Obj. 5°. Si gratia nostrae voluntatis consensum exspectat, ut fiat efficax, inutiles esse videntur tot et tam saepe repetitae Ecclesiae preces, quibus Deum rogamus ut nostras voluntates ad bonum convertat et in bono stabiliat. Inutiles etiam sunt gratiarum actiones de victoria adversus tentationes reportata. Atqui hoc adversatur sensui communi fidelium. Ergo.

Prob. 1ª pars maj. Vel petitur gratia sufficiens vel efficax. Atqui neutra convenienter peti potest. Non sufficiens, cuique enim est praesto; sed non petitur humiliter id quod adest. — Non efficax gratia: Pendet a consensu arbitrii, seu peteretur a Deo consensus in potestate voluntatis positus. Atqui nihil stultius, ait Augustinus, quam orare ut facias quod habes in tua potestate ([3]). Ergo. — *Prob. 2ª pars maj.* Victoria est relata per consensum propriae voluntatis. Jamvero secundum Augustinum « irrisoria est illa gratiarum actio, si ex hoc gratiae aguntur Deo, quod non donavit ipse nec fecit » ([4]). Sic Gazzaniga ([5]).

Resp. 1. Gratiae sufficientes differunt inter se tum numero, tum virtute, siquidem aliae sunt remote aliae proxime sufficientes; deinde praesciuntur futurae aliae quidem efficaces, aliae vero inefficaces. Quare non deest in systemate Molinae materia orationi et gratiarum actioni: postulantur nempe gratiae abundantes proxime sufficientes, praescitae efficaces; de his acceptis persolvuntur grates Deo. Inde patet responsio. — 2. Contra in systemate Bannesiano inutile prorsus est ut quis se diligentem praebeat de precibus fundendis aut gratiis agendis. Ad omne id quod opportunum fuerit a solo Deo praedeterminabitur. — 3. Ad Augustinum quod attinet, his verbis ostendit necessitatem gratiae ad salutariter operandum et ad vincendam tentationem gravem. Quare respondetur ut supra.

([1]) Molina. *Conc.* q. xxiii, art. 4, d. 1, m. 10.

([2]) Id. « Quo fit ut quando dicimus... arbitrium nostrum libere consentire Deo moventi, excitanti et cooperanti ad supernaturales actus, vel influere in illos et cooperari ad illos, non excludamus adjutorium et cooperationem divinam, quin potius illam praesupponamus... Atque in hunc modum in posterum accipiantur quae a nobis his de rebus dicentur. » *Conc.* q. xiv, a. 13, d. xii.

([3]) Aug. *De nat. et gr.* c. xviii, M. XLIV, 256. — ([4]) Id. *De dono perseverantiae*, c. ii, M. XLV, 1996. — ([5]) Gazzaniga : *De gratia*, P. I, diss. v, c. ii, prop. I, n. 120.

Obj. 6°. Deo omnipotenti virtus denegari nequit voluntatem a se creatam ad bonum inclinandi, et liberum consensum ad opus salutare requisitum in illa producendi. Nam repugnat creatura absolute rebellis. Cfr. Aug. ([1]). At in systemate Molinae illa virtus divina, si non negatur, saltem obscuratur. Ergo. — *Prob. min.* Juxta ipsius dictamina Deus actum salutarem certo et infallibiliter producere valet, non quia insuperabiliter et indeclinabiliter in voluntatem agit, ejusque liberum consensum producit, sed quia per scientiam mediam praevidet, quibus auxiliis humana voluntas ex innata et propria libertate consensura sit. Atqui, hoc principio posito, vix intelligi potest quomodo Deus actum salutarem, quem vult, certo et infallibiliter semper efficere queat. Etenim si gratia est ab extrinseco efficax, tanta potest esse obstinatio voluntatis, ut omnibus auxiliis a Deo collatis resistat. Ergo.

Resp. A. *Directe:* 1. Si agitur de genere humano creato, Deus non creavit nisi homines quos praescivit ita dominio suo esse subjectos, ut libere consensuri sint nonnullis gratiis divinis. — 2. Si agitur de genere humano possibili, moraliter certum est non posse exsistere hominem adeo malum ut in thesauro gratiarum nullum detur auxilium cui liberum consensum concederet. Attamen hoc non est metaphysice certum, seu oppositum non repugnat. Quoad hujusmodi hominem, semper Deo praesto forent praemotiones quibus eum determinaret ad actum, qui proinde libertate careret ([2]). — Quare *Dist. maj.* Quoad genus humanum *exsistens, Conc.;* quoad omnes homines *possibiles*, *Subd. moraliter certum est* nullum esse qui non valeat ita moveri gratia ut libere consentiat, *Conc.*; hoc est metaphysice certum, *Neg.* — *Cdt. min.* — Ad prob. *Conc. maj. Dist. min.* eodem modo.

B. *Indirecte: Retorqueo argumentum.* Tanta est Dei potentia ut omnem voluntatem creatam movere per gratiam possit ad libere consentiendum. Atqui, stante sententia Bannesianorum, nullus tali modo valeret moveri, cum singuli non agerent nisi praedeterminarentur.

Obj. 7°. Doctrina Molinae adversatur Dei majestati. Non aliter enim, in hoc systemate, Deus actum a se intentum ab homine obtinere potest, nisi per scientiam mediam indagando cuinam ex variis auxiliis homo consensurus esset. Atqui talis ratio agendi Deum dedecet. Sic enim

---

([1]) Aug. « Quis tam impie desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntas quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere. » *Ench.* c. xcviii, M. XL, 277.

([2]) Cfr. Pallav. *Hist. Trid.* l. VIII, c. xiii.

similis redditur homini qui, quia infirmus est, modos et media indagare debet quibus desideratum effectum consequi valeat.

Resp. 1. Objectio supponere videtur Deum praedefinire formaliter omnes actus bonos. Si enim Deus, citra hujusmodi praedefinitionem, praelucente scientia media de efficacia et inefficacia omnium auxiliorum, unum ordinem prae ceteris eligit, nulla sane datur studiosa inquisitio de auxiliis quibus actus intentos obtinere possit. Jamvero istud suppositum esse falsum in § seq. ostendemus.

2. In Deo non datur successio actuum, sed unicus actus aequivalet innumeris actibus; per unum ex his actibus Deus videt intuitu uno quaenam gratiae essent conditionate efficaces; per alium actum eligit certum ordinem gratiarum et per hunc actum scientia media transit in scientiam visionis. Similem analysim actus divini instituere debent Bannesiani. Quare *Dist. maj.* Deus debet indagare per actus *realiter successivos et distinctos, Neg.;* per *unicum* actum qui *aequivalet multis, Conc.* — *Cdt. min.* — Ad prob. resp. eodem modo.

235. — EX SCRIPTURIS arguitur, allatis testimoniis quibus antea impugnata est *omnis activitas* hominis in edendo actu salutari.

Obj. 1° ex I Cor. XII, 6: « Operatur omnia in omnibus; » ex Phil. I, 6: « Confidens hoc ipsum quia coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu; » ib. II, 13: « Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate. » Unde sic: Juxta Paulum Deus operatur omnia in nobis, operatur velle et perficere, coepit et perficit opus bonum. Atqui haec falsificantur, admissa gratia ab extrinseco efficaci. Ergo. — *Prob. min.* Hac gratia admissa, homo determinat efficaciam gratiae. Atqui qui id determinat, ille dicendus est habere principalem partem in operibus bonis, speciatim dicendus est ipse operari velle in se, perficere opus quod Deus coepit. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus operatur velle et perficere, etc. quatenus nihil vere boni et salutaris efficitur sine gratia Dei tum excitante tum adjuvante, eaque conditionate praescita efficaci, *Conc.*; Deus operatur omnia solus, exclusa libera cooperatione hominis, ita ut hominis non sit gratiam facere pure sufficientem aut efficacem, *Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *distinguitur major:* Admissa gratia ab extrinseco efficaci, homo determinat efficaciam gratiae agens per vires naturae, *Neg.*; agens per vires gratiae, idque eo modo qui est praescitus a Deo ante praedestinationem gratiae, *Conc.* — *Cdt. min.*

Ad I Cor. XII, 6. Paulus in hac pericopa in eo est ut demonstret unum et eumdem esse Spiritum a quo distribuuntur omnia charismata.

Illud prius affirmat v. 4 et evolvit inde a v. 8. Quod affirmavit v. 4, illico id explicat per duas analogias: « divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus » Horum versuum hic est sensus: diversa sunt ministeria in Ecclesia Christi, nempe apostolorum, episcoporum, diaconorum, etc. ; at omnia ministeria ab uno Domino Jesu sunt ordinata, qui per ministros regit Ecclesiam. Eadem ratione in hoc mundo multos et varios effectus videmus qui omnes, quamvis profluant a diversis causis secundis, unum tamen habent causam primam quae operatur omnia in omnibus quatenus concursu suo causas secundas reddit idoneas ad operandum. Ex iis igitur quae duabus aliis Personis divinis appropriantur, pulcherrime ostendit Paulus diversitatem charismatum optime appropriari uni Spiritui. Manifestum itaque est ne tangi quidem in hoc loco id ex quo arguunt adversarii (cf. Cornely, in h. l.).

Ad Phil. I, 6. Notat Corn. a Lapide: « Apostolus dicere potuisset: confido fore ut bonum opus quod coepistis, prosequamini et perficiatis; sed ut eos doceat modestiam, maluit dicere: Confido fore ut Deus illud perficiat, quia, cum ad perseverantiam utrumque requiratur, scilicet et gratia, et cooperatio et constantia liberi arbitrii, primas in ea tenet gratia partes. Unde uti alibi, ita quoque hic, gratiae Dei perseverantiam Apostolus tribuit.... Est ergo metalepsis: Confido fore ut Deus perficiat, hoc est, confido fore ut vos per Dei gratiam perficiatis opus bonum quod coepistis. »

Ad. Phil. II, 13. In versu 12 adhortatus erat apostolus Philippenses ut cum metu et tremore operarentur salutem suam. Ut vero animum addat, in memoriam eorum revocat eos habere Deum adjutorem: Deus enim est qui per auxilium gratiae internae operatur velle opus bonum et ad finem usque facere. Porro interna haec Dei operatio concilianda est cum sollicitudine in negotio salutis ad quam modo Philippenses hortabatur; jamvero nullatenus conciliatur, si, uti volunt neothomistae, Deus dicitur a Paulo omnia operari immittendo gratias ab intrinseco efficaces; contra optime conciliatur, si Deus dicitur omnia bona operari gratiis ab extrinseco efficacibus.

Adhuc ex Scriptura arguitur, allatis testimoniis quibus antea impugnata est *relativa sufficientia gratiae pure sufficientis.*

Obj. 2°. Juxta Paulum ad Rom. IX, 15 sq. quod quis habeat fidem, id tribuendum est Deo miserenti, nullatenus vero homini currenti. Atqui hoc falsificatur, posito quod gratia sit efficax ab extrinseco: tunc enim homini consentienti gratiis excitantibus tribuendum est quod hic homo habeat fidem. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Tribuendum est Deo miserenti, non vero homini currenti, quod a Deo praedestinetur gratia conditionate praescita *congrua*, potius quam gratia praescita inefficax, *Conc.;* non est tribuendum homini agenti per vires gratiae quod consentiat gratiae ita ut sit *efficax, Neg.* — *Cdt. min.* — Cfr. resp. ad obj. 3m adv. th. XXVIIm.

Obj. 3° Ex I Cor. IV, 7 : « Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti ? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » Eph. II, 8. « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur. » Ad haec verba Pauli respicit Tridentinum dicens : « Non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est. » Unde sic : Juxta Paulum a) homo justus se ipsum non discernit a peccatore; b) nihil habet laude dignum quod a Deo non fuerit acceptum; c) de seipso et de operibus suis nequit gloriari. Atqui haec falsa sunt in systemate Molinae de gratia quae ab extrinseco est efficax. Si enim utrique datur gratia sufficiens, quae interdum esse dicitur major in peccatore, si efficacia gratiae pendet a libero arbitrio: a) homo bono usu gratiae seipsum discernit a peccatore consensum denegante; b) hic consensus, seu bonus usus gratiae, est laude dignus et homo habet eum a seipso; c) quare gloriari potest in seipso de consensu isto. Ergo.

Resp. Paulus ad Ephesios tantum excludit ab opere naturali vim merendi gratiam fidei ; nullatenus excludit liberam cooperationem voluntatis humanae a qua pendeat efficacia aut inefficacia gratiae ad fidem excitantis.

Multiplex datur explicatio verborum s. Pauli ad Corinthios.

A. Secundum cl. Cornely in h. l. « In ultimo praecedentis moniti versu Apostolus omnibus Corinthiis humilitatem commendans prae oculis jam praecipue habuit factionum duces, qui superbia et arrogantia sua studium partium invexerant et promoverant, eosdem nunc diserte aggreditur ostendens eos nihil omnino habere, quo gloriari possint (v. 7): acerba deinde, immo mordaci ironia eorum insolentiam perstringit (8-10) atque genuinorum Apostolorum vitam eis ob oculos ponit » (11-13). Haec asserta ita evolvit praelaudatus scriptor :

« Ad humilitatis normam in V. T. traditam Apostolus fideles revocans eos exhortatus erat, ne de ducibus, quos sequebantur, gloriarentur ; quam stulta vero sit ejusmodi gloriatio, nunc demonstrat variis suis quaestionibus duces ipsos convincens, quod nihil in eis sit, quo quis gloriari possit: « Quis enim te discernit? Quid autem habes

quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » Unum alloquitur, ut omnes efficacius confundat. Ut aliquis ab aliis discerni possit, habeat aliquid oportet, quo reliqui careant; sua vero interrogatione Paulus docet, omnia ea, quibus factionum duces gloriabantur, revera non adesse; ea enim ratione proposita est quaestio, ut responderi debeat: nemo me discernit, nemo in me aliquid invenit boni, quod in aliis non inveniatur. Quodsi quis vero praestantiam quandam possideat, qua saltem per Deum ab aliis discerni aliisque praeferri posse sibi videtur, altera interrogatione edocetur, se nondum gloriari posse. Quibuscumque enim scientiae, eloquentiae, etc. donis ornatus est, ea omnia non sibi ipse tribuit, sed aliunde accepit, ideoque, uti tertia interrogatio docet, nullam omnino rationem habet, cur inflatus se supra alios extollat; solus enim stultus de gratuitis aliorum beneficiis velut de bonis sibi debitis gloriatur. »

B. « Nihilominus inde a s. Augustini aetate, qui eum contra Pelagianos et semipelagianos frequenter adhibuit, in controversiis de gratia est celeberrimus; neque est dubium quin recte etiam ad dona supernaturalia adhibeatur. Quod si enim homo a seipso donum naturale, quo ab aliis discernatur, et de quo tamquam sibi debito gloriari possit, non habet, multo minus in ordine supernaturali ejusmodi donum possidet. » — Porro ubi praefata verba de donis gratiae intelliguntur, non una eis datur interpretatio.

1. Paulus prohibet ne gloriemur in hominibus (I Cor. III, 21), in nobis ipsis (I Cor. IV, 7), secundum carnem (II Cor. XI, 18). Rationem dat quia justus et fidelis non discernuntur a peccatoribus et ab infidelibus ratione operum viribus naturae factorum, quibus nempe mererentur dona fidei et justitiae, proinde quia nullum edunt opus per vires naturae quod sit laude dignum et quo jure gloriari queant. Discernuntur enim a peccatoribus et ab infidelibus ratione operum supernaturalium quorum dignitas et valor oriuntur ex gratia gratuito collata a Deo; quamobrem nullum habent opus laude dignum quod non fuerit acceptum a Deo. — Manifestum est non tangi a Paulo quaestionem utrum gratia qua fiunt opera laude digna sit efficax ab intrinseco an ab extrinseco; neque tangi quaestionem utrum praeter gratiam efficacem, qua reapse discernuntur justi et fideles a peccatoribus et infidelibus, dentur a Deo infidelibus et peccatoribus gratiae quae inefficaces seu pure sufficientes sunt, quia hi iisdem gratiis consentire recusant. Quid Paulus de his quaestionibus sentiat, dijudicandum est ex aliis locis.

Haec interpretatio confirmatur auctoritate Augustini, tum in libro

de spiritu et littera (1) tum *ep.* CLXXXVI, c. II, n. 4: « Hoc utique totum, non ideo ut homo non glorietur, sed ut qui gloriatur, in Domino glorietur, non ex operibus, ne forte quis extollatur (Eph. II, 9), non quia bona opera frustrantur..., sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia » (2).

Si quaeritur utrum judicio Pauli justi et fideles possint gloriari de bono usu gratiae collatae, dicendum est id nullatenus ab eo prohiberi, dummodo agnoscant necessitatem gratiae excitantis gratuito collatae et gratiae adjuvantis a quibus repetendus est omnis valor operum quibus unus ab altero discernitur et in quibus gloriatur. Immo non raro ipse Paulus de his gloriatur (Rom. II, 10; I Cor. XV, 10; IV, 5; II Tim. IV, 7). — Attamen, uti advertit Molina « tanta est infirmitas nostra... ut nec sic quidem expediat gloriari, sed potius humiliari et pavere sub occultis Dei judiciis, vererique omnia opera nostra, atque in solum gratiae auctorem gloriam et honorem refundere » (3).

Inde ad primam partem majoris respondetur *distinguendo:* Juxta Paulum homo se non discernit *opere naturali, Conc.;* homo non est causa discretionis factae *opere supernaturali, Subd.* non est causa *adaequata* et *principalis, Conc.; inadaequata* et *instrumentalis, Neg.* — *Ad 2m part. maj.* Conceditur opera non esse laude digna, nisi ratione supernaturalitatis quae tota quanta est a Deo.

Ad 3m part. maj. distinguitur: Homo nequit gloriari in seipso, h. e. in operibus *naturalibus, Conc.;* in bono usu gratiae, *Subd.* quasi non consensisset salutariter ex *viribus gratiae,* vel quasi esset causa *principalis* consensus salutaris, *Conc.;* non potest gloriari quod causa *instrumentalis* fuerit istius actus salutaris, *Subdist. non expedit gloriari, Conc.; injuste ageret, Neg.* — *Cdt. min.* Ad prob. respondetur eodem modo.

2. Fidelis ab infideli, justus a peccatore discernuntur proxime quidem habitibus fidei et gratia sanctificante, remote actibus supernaturalibus ad justitiam disponentibus. Hi autem actus eliciti fuerunt auxilio gratiae infallibiliter efficacis. In systemate Molinae infallibilitas in eo est quod antecedenter ad decretum absolutum de conferendis gratiis, efficacia conditionate erat nota Deo per scientiam mediam. Quare discretio facta fuit decreto absoluto Dei quo statuit conferre gratiam praevisam efficacem prae praevisa inefficaci. Illud autem decretum est prorsus

(1) Cfr. resp. ad obj. 3m contra thes. XXVII. — (2) M. XXXIII, 817. — (3) MOLINA : *Conc.* q. XIV, a. 13, d. 12, § Illud postremo.

gratuitum; inde verum est Deum esse, excluso homine, qui alios ab aliis discernit.

Ad 1m part. maj. distinguitur: Fidelis et justus se ipsos non discernunt ab infideli et a peccatore, h. e. mereri non valent ut sibi a Deo decernatur gratia conditionate praevisa efficax, sine qua non discerni valent, prae gratia praevisa inefficaci, *Conc.;* non valent libera cooperatione gratiam reddere efficacem, et proinde gratia non est conditionate praevisa efficax ex conditionate praescita hominis libera cooperatione, sed ab intrinseco, *Neg.*

Ad 2m part. Dist. Nihil est laude dignum quod non fuit acceptum vi decreti absoluti gratuito lati a Deo, praelucente scientia media, *Conc.;* ita accipitur gratia ut debeat esse efficax ab intrinseco, *Neg.*

Ad 3m part. Dist. De solo Deo est gloriandum, quatenus libere et gratuito decernit gratiam efficacem potius quam inefficacem, *Conc.;* quatenus gratia non est efficax ab extrinseco seu quatenus efficacia non fuit conditionate praevisa a Deo ratione consensus conditionate praesciti, *Neg.*

3. Alii sic distinguunt: Homo se non discernit in actu primo, *Conc.;* in actu secundo, *Neg.* Discretio in actu primo fit collatione gratiae sufficientis, immo gratiae quae futura est infallibiliter efficax; in actu secundo discretio fit positione actus salutaris seu consensu gratiae. Hominem se non discernere in actu primo constat quia, licet consensus conditionate praevisus tribuat gratiae infallibilitatem efficaciae, attamen iste consensus non est ratio ob quam Deus decernat illam gratiam conferre, sed ratio nobis impervia petitur ex Deo.

Obj. 4°. In Scripturis dicitur Deus creare cor mundum, Ps. L, 12; facere in nobis cor novum, Ezech. XXXVI, 26; excitare ex mortuis et vivificare, Ephes. II, 5; cor aperire et circumcidere, Deuter. XXX, 6; auferre cor lapideum et dare cor carneum ac facere ut in praeceptis ejus ambulemus, Ezech. XXXVI, 26, 27; trahere, Joh. VI, 44. Atqui iterum haec significant efficaciam intrinsecam gratiae. Ergo.

Resp. 1. In his testimoniis, ubi reapse de gratia actuali fieret sermo, Dei quidem asseritur efficientia, hominis vero libera cooperatio neque affirmatur neque negatur, adeoque sermo fit de gratia efficaci, de natura efficaciae vero, utrum ab intrinseco an ab extrinseco, prorsus praescinditur. — Verum alibi ipse homo dicitur cor aperire, circumcidere, immutare etc. (Vid. n. 93, p. 172). Itaque ex aliis hisce locis constat hominem conjungere suum consensum cum viribus ipsis a gratia datis, proindeque gratiam esse ab extrinseco efficacem.

2. Efficaciam gratiae esse intrinsecam nullatenus colligitur ex eo quod Deus dicitur creare, vivificare, resuscitare, auferre cor lapideum, dare cor carneum. Hae enim appellationes latiori sensu et metaphorice usurpantur, ob similitudinem imperfectam quam justificatio habet cum his actionibus proprie acceptis. Homo enim per peccatum est mortuus; ejus cor est lapideum ratione concupiscentiae; sine gratia vivere nequit anima neque cor emolliri; Deus autem, sine meritis praecedentibus hominum, dat gratiam excitantem estque causa principalis actuum salutarium; ob cooperationem gratiae et bonas dispositiones, infundit ipse solus gratiam sanctificantem. Merito itaque dicitur creare, vivificare, etc., efficere ut velimus ac faciamus. Quare *Dist. maj.* Hae appellationes accipiendae sunt sensu proprio et presso, *Neg.;* metaphorice et late, *Subd.* ita ut affirmetur quidem Dei operatio, praescindatur autem ab humana in actu salutari, *Conc.;* ita ut operatio libera voluntatis in actu salutari excludatur, *Neg.*

Obj. 5°. Homines dicuntur *mortui in peccatis,* Ephes. II, 1; *tenebrae,* Matth. VI, 23; *arbores malae*, Matth. VII, 18; *servi peccati*, Rom. VI, 17; *exsistentes in carne, quae non potest se subjicere legi Dei*, Rom. VIII, 7; *animales* I Cor. II, 14; *nihil posse ex se ipsis tamquam ex se ipsis,* II. Cor. III, 5. Atqui hujusmodi homines nequeunt salutariter operari, nisi beneficio gratiae ab intrinseco efficacis. Ergo.

Resp. 1. Si verba sumuntur secundum sensum rigorosum, argumentum nimis probat: ex eo enim consequitur hominem ne cooperari quidem gratiae, sed se mere passive habere, quod ipsi Neothomistae falsum esse contendunt adversus Novatores. Cf. n. 93.

2. *Dist. maj.* Homines sunt mortui, animales, tenebrae, etc. quatenus privantur gratia sanctificante ob peccatum originis, vel ob peccata personalia, aut etiam sine auxilio gratiae non valent edere opera salutaria, diu servare legem Dei quoad substantiam, vincere concupiscentiam, etc. *Conc.;* quatenus non valent motui gratiae conjungere consensum, nisi praedeterminentur, proindeque quatenus gratia est efficax *ab intrinseco*, *Neg.* Manifestum est in hisce testimoniis non tangi quaestionem de natura efficaciae gratiae. Verum haec quaestio implicite tangitur in aliis testimoniis ad quorum normam praefata sunt interpretanda.

§ 2. Rejiciuntur ea quae Congruismo sunt propria.

236. — Mente Suarez gratia efficax, seu gratia congrua, est ea quae datur a Deo ex praevia voluntate absoluta operis boni, confertur in

adjunctis congruis a Deo ordinatis, et praescita est per scientiam mediam conjungenda cum consensu salutari. Ea quae sunt propria Congruismo revocari possunt ad haec duo: 1. Infallibilitas *objectiva* gratiae, aut simpliciter ejus efficacia, repetitur ex congruitate. Congruitas, uti dictum est, alia est antecedens, alia est consequens. Si rejicitur antecedens, consequens est necessaria; insuper est sufficiens, uti statim ostendetur. — 2. Infallibilitas *affectiva* gratiae, vel simpliciter infallibilitas connexionis, petitur ex praedefinitione formali actuum salutarium.

I. **De congruitate** seu adjunctis congruis. Fatentur Moliniani adjuncta temporis, loci, occasionis, etiam societatis in qua quis versatur, status peculiaris animae, puta tristitiae aut laetitiae et alia id genus, multum influere in voluntatem ut consensum suum det gratiae aut deneget. Verum contendunt non tantum adjuncta non determinare voluntatem ad bonum aut malum usum gratiae, nempe in omnibus adjunctis, utpote ad actum primum voluntatis pertinentibus, integrum manere voluntati aut consentire gratiae aut ab ea dissentire, adeoque efficaciam gratiae ejusque praescientiam ultimo et formaliter repetendam esse ex consensu a voluntate praestito cum viribus gratiae — quod a congruistis non denegatur —; sed adhuc contendunt congruitatem adjunctorum non posse ingredi in definitione gratiae efficacis. Illud sequentibus rationibus comprobatur.

1. *A posteriori.* Illud non est de essentia gratiae efficacis quod neque omni neque soli gratiae efficaci convenit. Atqui talis est congruitas antecedens. Videmus enim in iisdem omnino circumstantiis effectus sibi ipsis oppositos: ex duobus latronibus in cruce cum Christo pendentibus unus convertitur et salvus fit, alter induratur et perit. Videmus aliquos in circumstantiis maxime congruis propria voluntate perdi, ut Judam; alios contra in circumstantiis omnino incongruis efficaci gratia converti ([1]). Merito itaque asserit Toletus ([2]) de s. Paulo « non exspectat Deus semper arbitrium nostrum, quia sua gratia ipsum excitat, ipsi dat velle et perficere, et quia etiam rebelles convertit et compellit voluntates. Tunc ergo vocavit, quando illi placuit: et si

([1]) August. « Aversus quippe a fide, quam vastabat, eique vehementer aversus, repente est ad illam gratia potentiore conversus, convertente illo, cui hoc ipsum facturo per prophetam dictum est: « Tu convertens vivificabis nos »; ut non solum ex nolente fieret volens credere, verum etiam ex persecutore persecutionem in ejus fidei, quam persequebatur, defensione pateretur ». *De praed. Ss.* c. 11, n. 4. M. XLV, 962. — ([2]) Toletus: *In cap.* v *Lucae*, adnot. 34.

ante vocasset, utique respondisset et obtemperasset... Existimo tunc vocasse discipulos multos, et praesertim Matthaeum, quando plus erant impediti, magisque detinebantur, ut venirent... Sic Paulum vocavit, dum opus fervebat, minusque ad observandum paratus erat. »

2. *A priori.* Qui efficaciam gratiae petunt ex circumstantiis, adeo ut Deus, actum salutarem intendens, eas ordinet et in iis arbitrium constituat, videntur asserere Deum non pollere virtute agendi immediate in voluntatem humanam, eam inclinandi in bonum et convertendi, non obstante incongruitate adjunctorum, aut saltem eum numquam hanc suam virtutem exercere. Jamvero talis opinandi modus adversatur Augustino ([1]).

II. De praedefinitione actuum salutarium. — *Praedefinitio in genere* est decretum quo Deus, antecedenter ad praescientiam absolutam determinationis voluntatis creatae (consensus salutaris, usus boni gratiae), ab aeterno, positive et efficaciter decrevit ut actus bonus in tempore fiat. — Illud genus praedefinitionis se ad duas species extendit, ad praedefinitionem nempe *formalem* et ad *virtualem.*

A. Praedefinitio est *formalis,* si Deus ante decretum dandi gratias efficaces *vult absolute* fieri opus bonum *et propter hanc voluntatem decernit dare gratias efficaces* potius quam gratias inefficaces — Id tripliciter fieri concipi potest.

Primus modus, quem defendunt neothomistae, omnem scientiam vere mediam respuens, asserit Deum absolute praedefinire opera bona, ideoque decernere gratias ab intrinseco efficaces.

Secundus modus: Deus in primo signo rationis, absolute praedefinit actus bonos; in secundo, exercet scientiam mediam; in tertio, decernit dare gratias efficaces quia sunt efficaces seu ut obtineatur opus bonum absolute volitum. — Ista praedefinitio est *subjective independens a scientia media,* siquidem Deus actum praedefiniendi opera concipitur ponere ante usum scientiae mediae; *objective vero est dependens a scientia media,* siquidem concipitur Deus non exsecuturus decretum nisi ex usu scientiae mediae.

Tertius modus: Deus in primo signo rationis exercet scientiam mediam; in secundo absolute praedefinit actus bonos; in tertio decernit

---

([1]) Aug. « Habet (Deus) humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. » *De corr. et gr.* c. xiv, n. 45. M. XLIV, 943.

Id. « Quis tam impie desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere. » *Enchir.* c. xcviii.

gratias conditionate praescitas efficaces, quia tales sunt. — Ista praedefinitio est *subjective et objective dependens a scientia media.*

B. Praedefinitio est *virtualis,* si Deus decernit dare gratiam conditionate praescitam efficacem, non quidem ex praevia voluntate absoluta operis boni, verum ex alia ratione Deo digna hominibus tamen inscrutabili. — Patet verificari definitionem praedefinitionis in genere, siquidem Deus antecedenter ad absolutam praescientiam boni usus gratiarum, decernit absolute se daturum gratias conditionate praescitas efficaces, adeoque implicite vult opera bona prius conditionate praescita. — Patet etiam discrimen quo separatur praedefinitio virtualis a praedefinitione formali. Formali enim praedefinitione concipitur Deus ferre duo decreta quorum uno, quod praecedit alterum, absolute vult explicite et primario opus bonum, altero autem praedestinat gratiam efficacem tamquam medium attingendi finem. Contra virtuali praedefinitione Deus unico decreto vult explicite gratiam efficacem, implicite vero et in obliquo actum bonum.

Praedefinitio virtualis in haec signa rationis resolvitur: *In primo* signo rationis exercetur scientia simplicis intelligentiae circa homines possibiles, gratias possibiles, ordines gloriae possibiles. Simul habetur voluntas salvifica universalis, antecedens et conditionata. — *In secundo* signo rationis exercetur scientia media circa efficaciam et inefficaciam omnium gratiarum, circa salvandos et reprobandos consequenter ad bonum aut malum usum gratiarum in singulis ordinibus possibilibus. — *In tertio* Deus, non quidem ex praevia intentione absoluta operis boni aut salutis, sed ob alias rationes ipso quidem dignas, nobis vero inscrutabiles, absolute decernit futuram exsistentiam certi ordinis, in quo singulis hominibus conferuntur gratiae ex se relative sufficientes ad salutem, quarum tamen aliae futurae sunt efficaces, aliae vero inefficaces. In hoc ordine prima gratia est gratuita; subsequens datur propter merita supernaturalia. — *In quarto* signo datur scientia visionis, siquidem scientia media transit quoad istud objectum in scientiam visionis per decretum absolutum voluntatis. — In tertio signo voluntas salvifica universalis, antecedens et conditionata transiit in particularem, absolutam et consequentem.

Quaeres quomodo explicetur peculiaris Dei amor ergo eum cui praedestinatur gratia efficax. R. Eo quod Deus decernit gratiam quae praescita est conditionate efficax, censetur peculiari modo desiderasse effectum quem praescivit secuturum, adeoque illum virtualiter praedefinivisse; censetur etiam inaequaliter dilexisse homines, cujus rei signum est

inaequalis gratiarum distributio. Attamen *ante decretum absolutum* peculiaris ista Dei dilectio non proprie fertur in salutem, neque in personam cui praedestinantur gratiae efficaces, sive Deus non dat proprie gratias praevisas efficaces *ex dilectione peculiari praevia,* sed potius *cum dilectione concomitante.* Deus enim gratias efficaces praedestinavit ex alio fine sive ex alius rei dilectione.

237. — **Quaestio.** Ex antea discussis apparet Deum, antecedenter ad decretum absolutum conferendi gratias efficaces, earum efficaciam perspectam habuisse, eumque decrevisse se daturum gratias ut efficaces; e quo sequitur actus bonos fuisse praedefinitos, si hic terminus generice sumitur, siquidem definitio tradita decreto absoluto Dei convenit.

Quaeritur *utrum praedefinitio sit formalis an virtualis;* sive aliter utrum decernatur gratia efficax *ex praevia intentione absoluta operis boni* (ex dilectione praevia justi, et scientia media dirigente), an *ex alia ratione* (proindeque cum dilectione peculiari justi concomitante decretum, et scientia media praelucente).

SENTENTIAE. Prima est eorum qui *praedefinitionem virtualem tantum defendunt.* Est a) Molinae (1); b) Vasquezii qui dicit se hanc sententiam saepe docuisse ab anno 1580 et qui eam certo docebat a° 1595 ex approbatione sui Provincialis (2); c) Toleti (3); d) Lessii (4) quo

(1) Molina : « Hac ergo conclusione comprehendi potest nostra sententia : Quod Deus hunc ordinem auxiliorum et ceterarum rerum, in quo praevidebat tum quosdam adultos pro sui arbitrii libertate, tum quosdam parvulos, sine sui arbitrii libertate, perventuros in vitam aeternam, reliquos vero minime, potius elegerit quam quemcumque alium in quo res aliter evenisset, atque adeo quod electione potius hujus ordinis quam alterius hos praedestinaverit potius quam illos, nulla fuit causa aut ratio ex parte praedestinatorum, sed id totum in liberam Dei voluntatem referendum est. — Quod vero electio hujus ordinis rationem habuerit praedestinationis comparatione horum adultorum et non illorum, ratio seu conditio ex parte adultorum, a qua id pendebat, fuit, quod pro sua innata libertate, hi, et non illi, ita per suum arbitrium essent cooperaturi, ut ad terminum viae in gratia pervenirent, Deusque altitudine sui intellectus id praeviderit ». *Concord.* q. xxiii, art. 4 et 5 disp. 1, m. 13m in fine.

« Sciendum est Deum duobus modis velle aliquid voluntate absoluta. Uno sine ulla dependentia ab arbitrio creato, qua liberum arbitrium est.... Altero... dependenter.... atque adeo sub conditione si creatum arbitrium id etiam velit ; at, ea ratione absolute, quod cum praevideat per arbitrium ipsum libere futurum, ex hypothesi quod eum ordinem rerum velit creare quem reipsa creare constituit, ei placet (id quod arbitrium voliturum est), absolutaque jam voluntate vult ut sit... Hac ratione Deus... vult omnia bona quae per arbitrium nostrum sunt futura. » Q. xix, a. 6, d. ii. Cf. Q. xiv, a. 13, d. xviii; ib. d. liii, memb. 3, a. 6, d. 2. Cf. Liv. De Meyer, l. V, cc. xlix, l.

(2) Cfr. in I p. d. XCIX, c. viii, nn. 43, 48, 49; ib. c. iii, n. 14 ; c. vi, n. 35; d. XCII, c. ii, n. 7. — (3) In I p. q. xxiii, a. 5, concl. 2a. — (4) *De praed. hom. et ang.* n. 112; *de gr. effic.* c. iv, nn. 12-16; ib. n. 62; ib. 96-160.

melius nemo hanc sententiam exposuit et propugnavit ([1]); Demum e) Greg. de Valentia ([2]).

Lessio adhaeserunt a) Praepositus ([3]); b) Becanus (1612) ([4]); c) Valent. de Herice (1623) ([5]); d) Ant. Perez (1666) ([6]); e) Haunoldus (1669) ([7]); f) Ulloa (1716) ([8]).

SECUNDA est eorum qui *praedefinitionem formalem defendunt.* Sunt duplicis speciei :

1. Alii praedestinationem ad gloriam antecedere praevisionem meritorum defendunt. Sic : a) Bellarminus ([9]); b) Suarezius ([10]); c) Tanner (1625) ([11]); d) Did. Ruiz (1628) ([12]); e) Sylv. Maur. (1676) ([13]); f) Vinc. Ramirez (1702) ([14]); g) Marinus (1720) ([15]); h) Mayr (1731) ([16]); i) Cercia (1853) ([17]).

2. Alii non admittunt reprobationem negativam et tuentur electionem ad gloriam consequenter ad praevisa merita. Sic: a) Platel (1678) ([18]) ; b) Viva (1700) ([19]); c) Kilber (1767) ([20]); d) Sardagna (1770) ([21]).

Praedefinitionem formalem innuit etiam Ripalda, ubi ait auxilium efficax esse « medium infallibile ac certum finis liberi efficaciter praefiniti » ([22]).

SYSTEMA SUAREZII paucis evolvitur: Deus in *primo signo* rationis absolute determinat numerum electorum formaliter sumptum et gradus

---

([1]) LESSIUS hanc doctrinam tradidit Lovanii a° 1586° qua de re mota est controversia a° 1587 Lovanii et Duaci. (Cfr. LIV. DE MEYER, *Hist. de aux.* l. I, c. VI-XXVII ; *Hist. vindic.* l. I, c. X, sq.). Censuram inussit isti doctrinae facultas Lovaniensis; in praefatione provocant ad Bellarminum quasi Lovanii docuisset sententiam Lessio contrariam. Respondit Lessius se Bellarmini sententiam sequi : « nam hanc totam fere de praedestinatione doctrinam ab illius ore in familiari colloquio accipi. Non refert quod ille hic aliter docuerit, nam tunc non satis examinaverat D. Augustinum : Postea enim, re diligentius perpensa et D. Augustino diligentius et accuratius expenso, et haereticorum rationibus consideratis, in eam sententiam concessit quam nos tenemus, » (scil. circa praedestinationem ad gloriam consequenter ad praevisa merita : praedeterminationes enim semper rejecit Bellarminus). — Bellarminus ipse suscepit Lessium defendendum, de censura ait eam inustam esse « non sine scandalo Catholicorum et gaudio haereticorum », doctrinam Lessii esse securam ostendit quia « illa doctrina omnium consensu secura censeri solet quae est in Ecclesia communior, et quam hactenus multi probati auctores tradiderunt. » (Cfr. LIV. DE MEYER, *App. ad Hist. de auxiliis*, p. 758, 785 sq.).

([2]) GREG. VAL. In *I p.* q. XXII, punct. 4, § 4, assert. II ; T. I, d. I, q. XXII, p. 3 ; q. XXIII, p. 4. — ([3]) *Comment. in* I p. q. XXII, a. 4, n. 42, 44, 45. — ([4]) *De Deo*, c. XIV, q. 4. — ([5]) I p. d. XXIII, cc. XIII, XIV. — ([6]) *De provid. Dei*, d. IV, c. II. — ([7]) *De Deo*, n. 519 etc. — ([8]) *De Deo*, d. III, nn. 125, 141, 155, 156. — ([9]) *De gr. et lib. arb.* l. I, c. XII, n. 11 sq. — ([10]) *Opusc. Im de div. motione, sive de auxiliis. De gr.* l. V. *De vera intelligentia auxilii efficacis ejusque concordia cum libertate voluntarii consensus. De div. praedest. et reprobat. Opusc. de scient. fut. cont.* — ([11]) T. I, d. III, q. V, dub. 3, 4, 6 ; t. II, d. VI, q. II. — ([12]) *De praed.* — ([13]) *De Deo*, q. LXXVIII. — ([14]) *De praed.* d. XI, c. IV ; d. XII, etc. — ([15]) *De praed.* d. VI. — ([16]) *De Deo*, n. 684, 679. — ([17]) *De gr.* proleg. III. — ([18]) *De Deo*, nn. 206, 174. — ([19]) P. I. d. IV, q. II, n. 7 ; p. III, d. II, q. III. — ([20]) *De Deo*, nn. 209, 226, 253. — ([21]) Tr. V, n. 517, seq. 562, 475. — ([22]) *De ente*, d. CXIII, n. 29.

gloriae formaliter sumptos. In *secundo* signo, antecedenter ad omnem praevisionem operum, absolute decernit quinam homines ad varios gradus gloriae sint eligendi. In *tertio,* antecedenter ad praevisam cooperationem, praedefinit omnia opera bona ab unoquoque electo efficienda. In *quarto* ope scientiae mediae cernit quaenam gratiae futurae sint efficaces, relate ad opera praedefinita, et eas gratias absolute decernit dare. In *quinto* habetur scientia visionis, etc.

Observa. 1. Quoad actus *naturales*, immo *supernaturales*, judicio Suarezii, probabilis est doctrina asserens non praedefiniri omnes actus liberos, sed eos dumtaxat qui necessarii sunt vel de facto ordinantur ad finem a Deo praedefinitum.

2. Actus supernaturales a Suarezio in tres ordines partiuntur : a) Alii sunt praeordinati a Deo ad commune bonum totius Ecclesiae, tamquam media vel dispositiones vel conditiones necessariae. b) Alii ad privatum proemium hominis praedestinati. c) Alii ad justitiam vel bonum privatae personae ad regnum caelorum non perventurae. — Certum esse ducit absolute praedefiniri actus supernaturales primi et secundi ordinis, probabilius vero praedefiniri actus tertii ordinis, quia ista opinio est conformis doctrinae S. Aug.

3. Cum absoluta praedestinatione electorum ad gloriam necessario connectitur reprobatio saltem negativa reliquorum. *Negativa* dicitur, non eo sensu quod voluntas divina nullum actum eliceret circa illos, sed quia positive vult iis negare bonum indebitum.

THESIS XXXVII[a]. — Deus non fert decretum praedestinativum gratiarum ex praevia intentione absoluta omnium actuum salutarium; ideoque hi actus non praedefiniuntur formaliter, uti volunt Suareziani. Quare dicendum est cum Molina et Lessio opera bona nonnisi virtualiter praedefiniri, quatenus nempe Deus ex aliis rationibus, ipso quidem dignis, nobis vero inscrutabilibus, praedestinat gratias decreto quod virtualiter includit voluntatem operum bonorum et affectum specialiter benevolum erga eos qui praesciti sunt gratiae cooperaturi.

238. — PRIMA PARS. Opera bona non praedefiniuntur formaliter.

Prob. Si Deus praevie determinat absolute omnes actus bonos, et ex hac praedefinitione praedestinat gratias efficaces, dicendum est nullum umquam fieri ab homine actum bonum, nisi praedefinitus fuerit a Deo; dicendum etiam erit nullam gratiam praevisam conditionate efficacem

praedestinari, nisi jam praedefinitus fuerit actus. Ulterius consequentur ista duo : a) Iis, qui bene operantur, *gratiae efficaces de industria eliguntur,* h. e. hae gratiae praedestinantur praecise quia sunt efficaces, et si praescitae fuissent futurae inefficaces, ipsis substitutae fuissent aliae gratiae. b) Iis qui male operantur *gratiae inefficaces seu pure sufficientes decernuntur*, adeo ut si praescitae fuissent futurae efficaces, ipsis substituisset Deus alias praescitas inefficaces. — Atqui haec admitti nequeunt, adeoque id, e quo praefata consequuntur, est falsum. Ergo Deus non praedefinit formaliter actus bonos.

Prob. min. 1. His enim positis, *inutilis est cura salutis*, proindeque inducitur segnities in re salutis. Vel enim praedefinitum est opus bonum : tunc autem de industria eligetur gratia qua opus intentum fiat, etiamsi homines reniterentur ; vel praedefinitum non est : tunc autem certe non fiet, etiamsi conarentur homines illud efficere. Atqui in utroque casu inutilis fit omnis conatus et industria ad colendam virtutem et salutem consequendam. Ergo.

2. *Inducitur aequivalenter praedestinatio antecedens et reprobatio negativa.* — Etenim a) si praedefiniuntur omnes actus boni, quare non praedefiniretur perseverantia finalis electorum ? Itaque hi omnes et soli ad gloriam pervenient quorum perseverantia finalis fuerit absolute decreta ante praevisam cooperationem. Atqui sic inducitur praedestinatio antecedens. Ergo. — b) Si singuli actus boni praedefiniuntur formaliter, profecto dicendum est etiam praedefinitum fuisse a Deo finem vitae singulorum hominum. Jamvero si justus lethaliter peccat, quia nempe, urgente tentatione gravi, non praedefinita fuerat victoria salutaris, et si tunc brevi instat mors ; vel antecedenter ad praevisum consensum dicenda est fuisse praedefinita paenitentia salutaris, vel non fuit praedefinita. Atqui paenitentiam salutarem ante mortem praedefinire formaliter, seu eam velle independenter a praevisa cooperatione, et praedestinare gratiam praescitam efficacem, perinde est ac praedestinare ad gloriam antecedenter ad praevisa merita ; eam non praedefinire est reprobare negative. Ergo. — c) Lessius inducit reprobos in ultimo judicio dicentes : « Nos ab illo decreto exclusi fuimus, nobis gratia congrua nullo nostro merito denegata, et solum incongrua praeparata ; nobis bona opera decreta non fuere, ipse nos implanavit (Eccli. xv, 12), ipse nostrae saluti est insidiatus, ipse eam nobis impossibilem reddidit... Si dicatur eis : Deus etiam vos ad vitam aeternam destinavit, sed sub conditione si in bonis operibus perseveraveritis ; respondebunt : Quid potuit nobis prodesse talis ordinatio facta sub

conditione quam ipse sciebat numquam implendam, et cujus non impletionem ipse elegit et postea sua providentia procuravit » ([1]).

3. *Minuitur vera et relativa sufficientia gratiae inefficacis.* a) Haec enim minuitur si a solo homine non pendet inefficacia gratiae. Atqui, admisso omnem gratiam efficacem connecti cum bono opere prius absolute volito et intento a Deo, gratiae inefficacia non pendet a solo homine. Etenim antecedenter ad praevisum usum libertatis, infallibiliter inefficax erit omnis gratia quae a Deo non fuerit ex industria electa secundum absolutam praedefinitionem operis. — b) In sententia praedefinitionis formalis, Deus confert male operantibus auxilia quibus virtutis quidem inest efficacia, verum quae praesciuntur inefficacia et quae non darentur si contra praescirentur fore efficacia. Atqui in aestimatione hominum sic non confertur a Deo gratia vere sufficiens. Ergo.

4. *Minuitur libertas.* Secundum hominum aestimationem ille minuit libertatem, qui, omnibus viis hominis omnibusque ejus tendentiis perlustratis, eum in certis adjunctis constituit eo fine ut ab eo fiat id quod praedefinitum est, et ne fiat ab eo id quod praedefinitum non est. Atqui hoc obtinet, si de industria eliguntur gratiae efficaces et gratiae inefficaces. Ergo ([2]).

239. — SECUNDA PARS. Opera bona praedefiniuntur virtualiter.

Prob. Ex modo ostensis non praedefiniuntur formaliter opera bona. Sed tamen dicenda sunt praedefiniri sive formaliter sive virtualiter. Erga dicenda sunt praedefiniri virtualiter.

1. Illa enim opera bona praedefiniuntur a Deo formaliter aut virtualiter, quae absolute fuerunt decreta a Deo, antecedenter ad cooperationem voluntatis creatae praestitam gratiis a Deo praedestinatis, adeoque antecedenter ad hanc cooperationem absolute a Deo praescitam. Atqui omnia opera bona a Deo sunt absolute decreta antecedenter ad praefata. Ergo. — *Prob. min.* tum argumentis quibus probata est supra infallibilitas gratiae efficacis, tum sequentibus : a) *Opera bona sunt decreta absolute a Deo antecedenter ad hominis cooperationem gratiis divinis.* Nam antequam voluntas creata dat consensum gratiae, Deus beneficio scientiae mediae infallibiliter praescit gratiam, si decernitur, futuram

([1]) Lessius : *De praed.* n. 13.
([2]) Argumentum evolutum vide, sis, Lessium : *De praedest.* nn. 11-119.

esse efficacem ; praelucente hac scientia, format suum decretum. Atqui qui tale condit decretum, vult absolute opera bona antecedenter ad cooperationem hominis gratiis divinis. Ergo. — b) Opera bona sunt decreta absolute a Deo *antecedenter ad absolute praescitam a Deo cooperationem voluntatis creatae.* Ratio est quia haec praescientia non praecedit Dei decreta, sed contra in ordine naturae ea subsequitur, siquidem per illud decretum scientia media transit in scientiam visionis.

2. Ex revelatione constat Deum gerere amorem specialem erga eum cui praedestinat gratiam efficacem. Atqui hic amor consistit in eo quod actus bonus fuerit praedefinitus formaliter aut virtualiter. Etenim consistit vel in eo tantum quod Deus eam gratiam praedestinat cui de facto homo in tempore consentit, citra ullum respectum Dei ad hunc consensum in decretis ab aeterno formandis : tunc homo dicendus est specialem gerere amorem erga Deum, non vero Deus erga hominem ; vel amor specialis Dei dicetur reponendus esse in eo quod istae gratiae praedestinatae sunt entitate praestantiores gratiis pure sufficientibus : sed saepe contrarium obtinet ; vel dicendum est specialem affectum Dei reponi in eo quod praedestinantur gratiae antecedenter praescitae efficaces : tunc autem actus bonus fuit praedefinitus formaliter aut virtualiter ([1]).

Scholion I^m^. In systemate praedefinitionem virtualem propugnante, a) omnis gratia datur ex sera intentione ut sit efficax. — b) Relate ad gratias praevisas *efficaces :* α) Deus dat velle et perficere, facit ut faciamus ; β) homo se non discernit, nec habet quid boni a Deo non acceptum ; γ) conciliantur perfecte voluntas salvifica universalis et specialis amor erga electos. — c) Relate ad gratias praevisas *inefficaces* : α) Darentur a Deo, etiam si praescirentur efficaces. Inde stimulatur hominis diligentia ad cooperandum gratiis. β) Attamen Deus non abstinet a dandis hisce gratiis quae futurae erant pure sufficientes : ratio vero cur non abstineat, petitur ex voluntate salvifica universali ob quam in signo priori decrevit Deus omnibus hominibus dare gratias sufficientes.

240. — Scholion II^m^. Praedefinitio formalis, dummodo objective pendeat a scientia media, non penitus tollit libertatem actus, licet eam minuat. Sic ostenditur : Quandiu voluntas constituta in actu primo proximo manet indeterminata ad actum secundum et active indifferens : tamdiu salva manet essentia libertatis. Atqui praedefinitio formalis, objective dependens a scientia media, salvam relinquit istam indifferen-

(1) Idem arg. praeclare traditur a DAMASCENO : *De fide orth.* l. XI, c. III. M. XCIV, 970.

tiam activam. Etenim in praedefinitione deprehendundur tria: a) decretum quo Deus absolute vult ut actus bonus ponatur; b) decretum conferendi gratiam congruam cum praescientia conditionata efficaciae hujus gratiae; c) praescientia absoluta consensus. Itaque si praedefinitio formalis objective dependens a scientia media, tolleret indifferentiam ad opposita, hoc oriretur ex uno horum trium. Atqui nullo ex his tollitur. Ergo. — *Prob. 1ª pars min. De decreto.* Illud non tollit indifferentiam voluntatis, quod non influit nisi mediante eo quod non necessitat voluntatem, sed eam indeterminatam et indifferentem relinquit. Atqui decreta de actibus salutaribus non influunt immediate in voluntatem; influunt mediate quidem, verum decreta a suarezianis-congruistis excogitata differunt a decretis quae neothomistae attribuunt Deo, quia neothomistarum quidem decreta influunt in voluntatem creatam per medium quod praedeterminet adeoque necessitatem importat; congruistarum autem decreta per medium quod voluntatem relinquit indifferentem, uti statim apparebit. — *Prob. 2ª pars min. De auxilio.* Auxilium a Deo decretum tolleret indifferentiam activam voluntatis, vel per se ex natura sua, vel quia decernitur ex intentione efficaci consensus et cum ipsius praescientia. Atqui auxilium a Deo decretum neutro modo tollit voluntatis humanae indifferentiam: a) Auxilium Dei non tollit indifferentiam voluntatis *per se;* patet quia ejus efficacia non est nota Deo nisi per scientiam mediam; si autem per se tolleret indifferentiam, esset efficax ab *intrinseco* et ut talis cognita per scientiam simplicis intelligentiae. b) Neque eam tollit *ratione intentionis Dei*, haec enim nullatenus mutat naturam auxilii, nullamque ipsi confert efficaciam novam. — *Prob. 3ª pars min. De praescientia.* Illud non tollit indifferentiam activam voluntatis, quod directe aut indirecte a voluntate impediri potest. Atqui praescientia conditionata indirecte a voluntate impediri potest. Etenim penes voluntatem, cujus consensus fuit praescitus, est ponere dissensum: nam auxilium non est intrinsecus efficax sed extrinsecus, siquidem efficacia supponitur nota per scientiam mediam. Voluntas itaque ponendo dissensum, potest indirecte impedire praescientiam alterius termini.

Satisfit difficultatibus.

241. — CONTRA Iᵐ PARTEM. Obj. 1°. Deus perfecte operatur. Atqui, nisi per prius velit actum bonum quam praedestinat gratiam efficacem, imperfecta est ejus operatio. Ergo. — *Prob. min.* Qui perfecte operatur, vult absolute finem. Atqui actus bonus est finis gratiae a Deo praedestinatae. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Deus operatur imperfecte, nisi per prius velit *absolute aut conditionate* actum bonum, *Conc.*; nisi per prius velit *absolute, Neg.* — Ad prob. *Dist. maj.*: Omnis, qui perfecte operatur, vult finem *operis*, ubi hic finis *contingenter* connectitur cum opere, *Neg.*; finem *operantis*, *Subd.* vult absolute *aliquem* finem, *Conc.*; vult absolute eum finem qui coincidat cum fine operis, *Neg.* — *Cdt. min.* Opus bonum est *finis operis*, seu ad quem ex natura sua ordinatur gratia Dei, *Conc.*; est *finis operantis*, *Subd.* est finis quem operans *absolute* et *ultimo* intendit, *Neg.*; est finis quem *conditionate* intendit et qui subordinatur alii fini qui absolute intenditur et obtinetur, sive finis subordinatus, sc. opus bonum, obtineatur sive non, *Conc.*

Inst. Atqui a) qui perfecte operatur, vult absolute finem operis; b) saltem Deus vult absolute hunc finem.

Prob. A. Qui perfecte operatur nequit habere intentionem confusam. Atqui ille habet intentionem confusam, qui non vult absolute finem operis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui perfecte operatur nequit habere intentionem confusam, h. e. *indeterminatam*, *Conc.*; h. e. *conditionatam*, sive aliter nequit velle terminum sub conditione quae purificanda est ab alia causa, *Neg.* aut *Subd.* non operabitur perfecte nisi praescierit utrum conditio sit verificanda ab alia causa et statuerit quid sit facturus si conditio non purificetur, *Conc.*; si omnia sunt praescita et conditionate ordinata, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 2°. B. *Deus vult absolute finem operis.* Etenim a) absolute decernit conferre auxilium. Atqui absoluta collatio auxilii supponit finem absolute intentum. Ergo. — b) Si Deus non vult absolute finem operis, assignari debent ex parte Dei alii fines. Atqui nequeunt assignari alii fines. Ergo.

Resp. Ad 1^m prob. a) *Dist. maj.* Deus decernit absolute conferre auxilium *ab intrinseco et necessario nexum cum fine*, *Neg.*; *ab extrinseco et contingenter* nexum, *Conc.* — *Cdt. min.* Collatio auxilii *ab intrinseco et necessario nexi cum fine*, supponit hunc finem esse absolute volitum, *Conc.*; collatio auxilii *ab extrinseco et contingenter* nexi id supponit, *Neg.* Neque supponit finem *operis* absolute intentum, neque finem *operantis*. — b) *Argumentum nimis probat.* Si enim auxilia efficacia conferri nequeunt nisi propter efficaciam absolute volitam, sequitur auxilia inefficacia conferri non posse, nisi propter inefficaciam absolute volitam. Si enim dicitur auxiliis inefficacibus posse esse alium finem, admittendum est idem de efficacibus antecedenter ad absolute praevisam efficaciam.

Ad 2m prob. *Dist. maj.* Debent posse assignari *a Deo* seu *a parte rei* dari debent alii fines, *Conc.* ; *a nobis cognosci* debent, *Neg.* In hujusmodi quaestionibus ad *inscrutabilia Dei judicia* provocat Augustinus (1). Eodem modo loquuntur non pauci alii Patres : Prosper (2), Petrus Diac. (3), Fulgentius (4), Gregorius Magnus (5), Isidorus Hispalensis (6), Anselmus (7). — Illud responsum ab adversariis sane admitti debet, cum ipsi non aliud proferre valeant responsum, petentibus cur aliorum praedefiniantur actus boni, omissis aliis.

Obj. 3°. Salvanda est infallibilitas connexionis affectiva. Atqui non salvatur aliter nisi per praedifinitionem formalem. — *Prob. min.* Infallibilitas connexionis affectiva postulat ut gratia efficax detur speciali benevolentia. Atqui id non est, nisi admittatur praedefinitio formalis. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist. maj.* Postulat ut gratia detur benevolentia *specialissima*, *Neg.* ; ut detur benevolentia *non communi* iis quibus gratiae inefficaces distribuuntur, *Subd.* postulat ut detur benevolentia *antecedens scientiam mediam*, ita ut haec dirigat, *Neg.* ; ut detur benevolentia *consequens* usum scientiae mediae et quae proinde non datur proprie nisi in *decreto* quo, *praelucente scientia media*, eliguntur gratiae praevisae efficaces, *Conc.* — *Cdt. min.*

Eligere pro Petro gratiam praevisam efficacem, potius quam gratiam praescitam inefficacem quae tamen aeque eligi potuisset ; pro Juda autem eligere gratiam quae praescita est inefficax, omissa gratia praescita conditionate efficaci, est signum majoris dilectionis erga Petrum quam erga Judam. — Affectus tamen iste specialis non antecedit usum scientiae mediae, neque decretum praedestinativum gratiarum.

Inst. Atqui infallibilitas connexionis affectiva postulat ut gratia efficax

(1) Aug. « Tunc (in caelo non latebit quod nunc latet.... cur ille potius quam iste fuerit assumptus, cum causa una esset ambobus, cur apud quosdam non factae sint virtutes, quae, si factae fuissent, egissent illi homines paenitentiam, et factae sunt apud eos qui non erant crediturí ». *Ench.* c. xcv. M. XL, 275. Cfr. *Ad Simpl.* l. I, q. ii, n. 16 ; *ep.* cxciv, n. 23 ; *Praed. SS.* n. 16, 26 ; *Don. persev.* n. 17, 21, 25, 30, 37 ; *De gr. et lib. arb.* c. xxii, n. 44 ; *Corr. et gr.* n. 17. sq. ; *In Joh.* tr. xxvi, n. 6 ; tr. liii, n. 6 ; *Ad Bonif.* l. I, c. xx, n. 38 ; l. IV, c. vi, n. 16 ; *Sp. et litt.* n. 60 ; *Pecc. mer. et rem.* l. II, n. 32 ; *De Gen. ad litt.* l. XI, c. ix, n. 12 ; *Serm.* clxv (al. vii *de verb. apost.*) n. 5, 9 etc.

(2) *Ad excerpta Genuens.* dub. iv ; *Ep. ad Rufin.* n. 14 ; lib. *Sent. ex Aug.* sent. cccxviii. P. L. LI, col. 192, 85. 476 ; — (3) *De Incarn. et gr.* c. vii. P. L. LXV, 418. — (4) *Ep.* xvii ; *De Incarn. et gr.* c. xxviii. P. L. LXV, 486. — (5) *Moral.* l. X, c. vi. P. L. LXXVII, 922 ; l. XXV, c. xiv ; l. XXIX, c. xxix et c. ult. P. L. LXXVI, 142, 509. 522. — (6) *Sent.* l. II, c. vi. P. L. LXXXIII, 606. — (7) *Proslog.* c. xi. P. L. CLVIII, 234.

detur speciali benevolentia quae antecedat usum scientiae mediae. Aut brevius : Exigitur affectus antecedens praevisionem conditionatam boni usus gratiae. Ut enim habeatur affectus specialis, exigitur ut gratia sit efficax ex voluntate Dei. Atqui hujusmodi affectus antecedit praevisionem conditionatam boni usus gratiae. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Exigitur ut gratia sit efficax ex voluntate *conditionata* Dei, *Conc.*; ex voluntate *absoluta, Subd.* ex voluntate absoluta *post usum conditionate praevisum, Conc* ; *ante* hunc usum per scientiam mediam praescitum, *Neg.* — *Cdt min.* Si gratia est efficax ex voluntate conditionata, affectus Dei praecedit usum scientiae mediae, *Neg.*; si est efficax ex voluntate *absoluta, Subd.* si est efficax ex voluntate absoluta quae consequitur *usum conditionate praevisum*, *Neg.*; si esset efficax ex voluntate Dei, quae praecederet istum usum, *Conc.* [1].

Inst. Atqui ut habeatur affectus specialis, exigitur ut gratia sit efficax ex voluntate Dei absoluta ante usum conditionate praescitum. Secus enim gratia efficax non est majus beneficium quam inefficax ; immo saepe erit beneficium minus. Certum enim videtur non paucos ex reprobis praeventos fuisse gratiis pluribus et in se robustioribus quam non paucos ex electis.

Resp. Si Deus non ferret decretum voluntatis, praelucente scientia media de efficacia aut inefficacia variorum auxiliorum, verum foret id quod objicitur ; sed auxilium, in se minus validum, est, in aestimatione hominum, majus Dei beneficium quam auxilium magis validum, si prius praescitur fore efficax, posterius autem inefficax.

Obj. 4°. Saepe asseritur Deus in Scripturis velle, definire, dare opera bona, eaque facere. Atqui hic dicendi modus indicat Deum absolute velle opera bona antecedenter ad praevisum bonum usum gratiae. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Dicitur Deus velle etc. actum voluntatis creatae *independenter a consensu conditionate praescito, Neg.* ; independenter a consensu *absolute* praescito, *Conc. Cdt. min.* — Hi loquendi modi sufficienter verificantur, supposito bona opera virtualiter praedefiniri. Si enim Deus per scientiam mediam praescit Petrum in uno quidem

(1) Less. « Ea enim intentione Deus illam praeparat et confert ut sit efficax. Unde si efficax est, ex intentione Dei id habet ; si est inefficax, id non solum est praeter, sed etiam contra intentionem Dei. » — « Efficacia gratiae in actu secundo non pendet a sola intentione Dei (alioquin omnis gratia esset efficax, cum sincerissima intentione detur ab eo ut effectum habeat), neque a sola nostra libertate, sed simul a Dei intentione et nostra libertate ei obsequente, et viribus gratiae se determinante ; inefficacia vero a sola libertate, divinae intentioni et gratiae inclinationi repugnante. » *De gr. effic.* c. IV, n. 93.

ordine esse consensurum gratiae, in alio autem ordine esse dissensurum et si libere eligit primum ordinem, omisso altero, recte dicitur velle actum, eum dare. — Iis non significari praedefinitionem formalem constat quia eaedem locutiones occurrunt de operibus malis ; jamvero nemo, nisi Calvino consentiat, dicet haec praedefiniri formaliter. Ita loquuntur Gen XLV, 8, L, 19 de venditione Joseph ; ita etiam Exod. VII, 3, Jos. XI, 20, Joh. XII, 40, Rom. IX, 18, etc., de induratione et excaecatione ; II Reg. XII, 11 de adulteriis ; II Reg. XVI, 10 de maledictione David ; III Reg. XXII, 22, 23, Job XII, 24 de deceptione ; Is. XIII, 4, 17 de malis belli ; Act. II, 23, IV, 27, 28 de passione Christo inflicta. Ita etiam loquitur Augustinus qui ait Apostolos electos a Christo per misericordiam, Judam autem per judicium, illos ad obtinendum regnum suum, hunc ad effundendum sanguinem suum ; reprobos vocari non secundum propositum Dei; Deum filiis perditionis dare ad tempus fidem et gratiam ut occultetur quinam sint electi, qui reprobi ; velle praedestinatos tantum salvos fieri ; reprobos creare, ut ostendat quid valeat arbitrium sine gratia [1].

Obj. 5°. Ex Rom. VIII, 28-30. « Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus ; quos autem praedestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et justificavit ; quos autem justificavit, illos et glorificavit. » — Unde sic : Sancti a Deo praesciuntur, praedestinantur, vocantur secundum propositum, justificantur et glorificantur. Atqui haec non verificantur, nisi opera bona formaliter praedefiniantur. Ergo.

Resp. Verba Pauli facile explicantur de praedefinitione virtuali :

Sensus v. 28 hic est : Iis qui a Deo receperunt gratiam fidei, h. e. ii quibus Deus, praelucente scientia media de efficacia et inefficacia omnium gratiarum, voluit decernere gratiam praevisam conditionate efficacem, et qui diligunt Deum, iis, inquam, omnia valent cooperari in bonum, dum ipsi velint bene uti gratiis a Deo collatis. — Verba quae sequuntur, v. 29, ab aliis aliter explicantur : a) Quos Deus ab aeterno praescivit futuros esse tales ut, gratuito vocati gratia praevisa efficaci, deinceps fideliter eum diligerent, illos quoque ab aeterno praedestinavit ad consortium gloriae filii sui, eo fine ut is haberet multos fratres gloriae suae cohaeredes. — b) Quos secundum propositum vocatos

(1) AUG. *Corr. et gr.* n. 14, 16. 40, 44. *Ep.* CXCIV.

Deus praescivit fore dilectores sui, eos, consequenter ad praevisa merita primae dilectionis, praedestinavit ad ulteriora merita per tribulationes ; consequenter ad has tribulationes patienter toleratas, eos praedestinavit ad ulteriores tribulationes ; consequenter ad praevisam conformitatem cum Christo patienti, eos praedestinavit ad conformitatem cum Christo glorioso, ut sit ipse primogenitus inter fratres in regno glorioso. — Quae sequuntur, v. 30 hunc faciunt sensum : Quos autem Deus ad illud gloriae consortium ab aeterno praedestinavit, illos in tempore vocavit, justificavit, glorificavit.

Quare *Conc. maj. Neg. min.* Aeque enim verificantur verba Apostoli, sive Deus dicatur unum ordinem gratiarum elegisse prae ceteris, praelucente scientia media, ob praeviam praedefinitionem formalem operum bonorum; sive dicatur eumdem ordinem Deum elegisse ob alium finem, non retenta nisi virtuali praedefinitione.

Obj. 6°. *Auctoritate Augustini.* Ex sententia Augustini oriebantur ea quae inter argumenta contra praedefinitionem formalem fuerunt proposita et a Massiliensibus objiciebantur adversus doctrinam Augustini in libro *de correptione et gratia* traditam. Ergo Augustinus favet praedefinitioni formali.

Resp. Massilienses male intelligebant sententiam Augustini de gratuitate gratiae et illogice has sequelas ex ea deducebant. Eas autem sequelas nullatenus veras esse admittit s. Doctor ; contra, eas pro falsis habet. Ergo praedefinitioni formali adversatur Augustinus, siquidem hae praedefinitiones logice istas sequelas adducunt. — Responsio patet ex his quae scribit Augustinus in libro *de dono perseverantiae.* Etenim n. 38 refert objectionem Massiliensium ipsi a Prospero et Hilario relatam : « Sed aiunt, ut scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiae, audientibus multis : Ita se habet de praedestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel, accepta perseverantia, maneatis in fide; ceteri vero, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiae miserantis erexit. Verumtamen si qui estis necdum vocati, quos gratia sua praedestinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam qua velitis et sitis electi ; et si qui obeditis, si praedestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis » [1]. — His relatis, addit Augustinus, se hujusmodi objectionibus non deter-

(1) Aug. *De dono perseverantiae,* M. XLV, 1016 sq.

reri a confitenda vera Dei gratia, quae nempe non datur secundum merita et a confitenda praedestinatione sanctorum secundum gratiam, sicut non detinetur a confitenda Dei praescientia per similes objectiones fieri solitas. — Postea vero corrigit ea quae perperam ex sententia sua fluere dicebantur. Sic (n. 59) : « Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam : quod tamen cum feceritis, nolite extolli quasi de operibus vestris, aut gloriari quasi hoc non acceperitis » (1). Demum n. 61 sic corrigit propositionem monachorum Adrumetinorum : « Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus et gloriam praedestinati non sunt, temporales sunt nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt. » Confirmatur quia s. Prosper sic mentem s. Augustini exposuit : « Vires itaque obedientiae non ideo cuique subtraxit (Deus) quia eum non praedestinavit, sed ideo eum non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse praevidit » (2). Patet ea verissima esse, stante praedefinitione virtuali, et prorsus diversa ab iis quae adversus formalem praedefinitionem objiciuntur.

ARTICULUS V.

De sententia s. Augustini et s. Thomae.

Cum Neothomistae potissimum glorientur quod sententia sua sit conformis doctrinae s. Augustini et s. Thomae, quorum profecto summa est auctoritas, opportunum erit speciale examen instituere quid uterque doctor de efficacia gratiae edocuerit.

§ 1. De mente s. Augustini circa efficaciam gratiae.

THESIS XXXVIII^a. — S. Augustinum censuisse gratiam ab extrinseco esse efficacem liquido constat tum ex his quae S. Doctor scribit ad Simplicianum (l. I, q. II, n. 10 sqq.); tum quia penes voluntatem esse dicit consentire gratiae aut ab ea dissentire; tum ex eo quod constanter asserit praedestinationem gratiae inniti praescientiae divinae. — Neque in contrarium quidquam evincitur sive ex statu controversiae Augustinum inter Massiliensesque agitatae; sive ex difficultatibus quas hi contra doctrinam ipsius movebant; sive ex difficultate quam expertus est Augustinus in concilianda efficacia gratiae cum libertate; sive ex locutio-

(1) M. ib. 1029. — (2) S. Prosper : *Resp. ad capitula Gallorum*, c. XII. M. LI, 167.

nibus quibus s. Augustinus efficientiam gratiae extollit. Perperam etiam provocatur ad discrimen inter adjutorium-sine-quo-non praestitum a Deo in statu naturae integrae et adjutorium-quo solis praedestinatis collatum in statu naturae lapsae.

242. — PRIMA PARS. Ex L. I AD SIMPLIC. Q. II, N. 10 SQQ. [1] CONSTAT JUDICIO AUGUSTINI GRATIAM ESSE AB EXTRINSECO EFFICACEM.

Augustinus interrogatus de scopo seu de intentione Apostoli ad Romanos IX, 10-29 declarat ibi ostendi gratiam evangelicam esse gratuitam, seu nulla merita eam praecedere; illud vero ostendi ab Apostolo ex gratuita electione Jacob et rejectione Esau antequam nati essent. Ut appareat talem esse scopum Apostoli, explicat Augustinus varias sententias in hoc loco occurrentes: nn. 4, 5, 6 explicat quomodo intelligenda sint verba: « ut secundum electionem propositum Dei maneret »; n. 7 asserit ipsam fidem esse donum Dei, illudque eruit ex eo quod Apostolus dicit : « Non ex operibus, sed ex vocante dictum est quia major serviet minori; » si enim vocanti tribuenda est electio Jacob prae Esau, qua figuratur electio ad gratiam evangelicam, ergo non est adscribenda naturae. — Verum huic interpretationi occurrit difficultas: si Jacob (et qui figurantur in eo ut in typo) electus est, nullis praecedentibus meritis, ne fide quidem praecedente, ergo Esau (et qui figurantur in eo tamquam in typo) reprobatus est, nullis praecedentibus demeritis, siquidem utrumque respiciunt verba Apostoli: « Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei quia major serviet minori... Jacob dilexi, Esau autem odio habui. » Augustinus responsionem quaerit in sequentibus verbis Apostoli.

1ª responsio (n. 9). Inquirit August nus num fortassis responsio tradatur a S. Paulo in versu 15°: « Miserebor cujus misereor et misericordiam praestabo cujus miserebor », h. e. quem vocavero, hujus miserebor seu fidem praestabo, et cui fidem praestitero, eum faciam misericordem ut bene operetur. — Ipse Augustinus falsificat istam responsionem veluti inadaequatam : Petitur enim, ait, cur Deus non sit misertus Esau ?

2ª responsio (n. 10, 11, 12): « Noluit Deum vocantem sequi, ideoque est rejectus ». Admittit quidem Augustinus quod Esau reprobus non esset factus, si Deum vocantem non respuisset; additque ad mentem hujus responsi explicari posse verba Apostoli : « Non volentis neque

[1] Cf. M. XL, 117 sq.

currentis, sed miserentis est Dei, » h. e. ut quis velit et currat, praerequiritur vocatio et adjutorium Dei, Dei autem est et nostri « ut velimus ». Attamen advertit ista responsione, utpote inadaequata et insufficienti, non solvi difficultatem ob duas rationes : a) Esau rejectus est antequam natus erat. Ergo non fuit vocatus, nec ei fuit data occasio sequendi Deum. Nec responderi potest ipsum fuisse rejectum ob praevisa opera : A pari enim dicendum esset Jacob fuisse electum ob praevisa opera, adeoque gratiam non esse prorsus gratuitam. b) Verba Apostoli : « Non volentis... sed miserentis est Dei » interpretationem magis completam expostulant. Nam si admittitur haec interpretatio : « non sufficit velle et currere, sed requiritur adhuc vocatio et misericordia, adeo ut Dei sit et nostri quod velimus; » aeque bene dici poterit : « Non miserentis est Dei, sed volentis », jamvero ista interpretatio nequit admitti. Etenim misericordia Dei frustrari ab homine non potest ; deinde alibi Apostolus dicit : « Deus operatur in nobis velle et perficere, » et adhuc : « Voluntas praeparatur a Domino. » Ergo sensus horum verborum est : Deus miserens operatur velle et perficere, praeparat voluntatem qua salvi fiant electi ; contra hominis nullatenus est velle talem vocationem [1]. — Verum enascitur difficultas adversus istam interpretationem : Ex ea enim sequitur salvos fieri omnes eos quorum Deus miseretur ipsos vocando, nullum vocatum respuere vocationem, omnes vocatos esse electos ; sed hoc falsum esse constat quia : « Multi vocati, pauci electi » ; ergo multi vocati non sequuntur vocationem proindeque non est Dei miserentis, sed hominis volentis. Augustinus solvit istam difficultatem, proposita tertia responsione, quam pro vera habet.

3ª responsio (n. 13). Duplex datur vocatio : congrua et incongrua ; omnes nempe vocantur ; alii quidem, quorum typus offenditur in Jacob, ita vocantur ut reapse sequantur seu eo modo quem Deus praescivit conjungendum esse cum consensu ; alii vero, qui Esau pro typo habent, ita ut non sequantur, seu eo modo quem Deus praescivit fore inefficacem. De his, qui congrua vocatione vocantur, dicitur ab Apostolo eorum misereri Deum, eorum voluntatem praeparari a Domino, homi-

[1] Ex secunda ista responsione, quam S. Doctor pro insufficienti habet, manifestum est judicio Augustini gratiam, de qua Apostolus loquitur ad Romanos, esse infallibiliter efficacem et a Deo liberrimo consilio dari homini qua talem. Inde nempe solutio proposita est insufficiens, quia tantum dicit undenam habeat efficaciam actualem simpliciter talem, non vero undenam habeat efficaciam *infallibilem*, talem nempe ut antecedenter ad consensum datum, ad gratiae collationem, immo ad decretum Dei absolutum decernendi gratiam, infallibiliter certa fuerit gratiae efficacia.

nis non esse velle hujusmodi vocationem, sed Dei miserentis ([1]). Hac solutione luculenter constat gratiam evangelicam esse gratuitam : qui enim credunt, vocati sunt vocatione praescita congrua, quae dupliciter est gratuita, tum quia opera naturalia nullam merentur vocationem, seu gratiam, tum quia non merentur vocationem congruam prae incongrua. Praeterea nullam induci iniquitatem, constat quia ii qui non credunt habuerunt gratiam ad credendum, et ideo non habent fidem quia noluerunt consentire Deo vocanti.

Porro isto loco Augustinum non disputando proponere solutionem ab aliis passim traditam, sed propriam mentem aperire, patet tum ex ipso hoc loco, tum quia ipse Augustinus asserit hoc loco inveniri quaestionem solutam. Sic in libro *de praedestinatione sanctorum* c. IV, n. 8, de Massiliensibus ait: « Invenissent istam quaestionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam in primo libro duorum quos ad... Simplicianum scripsi » ([2]), et in retractatione horum librorum : « In cujus quaestionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio.... sed vicit Dei gratia » ([3]). Ex praefato loco sic arguimus :

I^m Arg. Petitur ex responsione secunda ad quaestionem motam quam carpit Augustinus uti insufficientem. Cfr. n. 10. E quo loco dupliciter arguitur : a) Asseruerat Augustinus mente Pauli vocatum esse Jacob, nullis meritis, ne fide quidem, praecedentibus. Quaerit quomodo, stante ista vocatione gratuita, explicanda sit reprobatio Esau, quae esset etiam absque malis operibus. Respondet dicendo Esau esse reprobatum,

---

([1]) AUGUST. « An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut et illud verum sit: « Multi vocati, pauci electi : » ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendae reperiuntur idonei ; et illud non minus verum sit : « Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, » qui hoc modo vocavit, quo modo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem ? Ad alios autem vocatio quidem pervenit ; sed quia talis fuit qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt sed non electi, et non jam similiter verum est : « Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis » : quoniam non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit ; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quo modo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur. Verum est ergo : « Multi vocati, pauci vero electi ». Illi enim electi qui congruenter vocati ; illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est : « Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei » : quia, etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita vocat quomodo eis vocari aptum est ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit : Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque concurrentis est hominis : quia nullius Deus frustra miseretur ; cujus autem miseretur sic eum vocat quo modo scit ei congruere, ut vocantem non respuat ». M. XL, 118.

([2]) AUG. *De praed. sanct.* c. IV, n. 8. M. XLIV, 966. — ([3]) Ib. *Retr.* l. II, c. 1. Cf. LIV. DE MEYER : *De mente S. Augustini circa gratiam physice praedeterminantem*, cc. 1, 11 ; in resp. ad objectiones Reginaldi, art. 1-5.

quia vocantem sequi noluit. Dum Augustinus evolvit hanc responsionem, sequentia inserit : « Noluit ergo Esau et non cucurrit ; sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando praestaret, nisi, vocatione contempta, reprobus fieret ». Ea autem verba nullibi affirmat Augustinus esse falsa, sed contra omnino vera esse tenet ; eatenus scilicet carpit hanc solutionem, quatenus est incompleta, uti ex sequentibus perspicuum erit. — Unde sic arguimus : Juxta Augustinum Esau, et qui in eo praefigurantur, non credunt quia vocationem, quam habuerunt a Deo, contempserunt, sive quia Deum vocantem sequi renuerunt. Atqui talis vocatio est gratia sufficiens, quae efficax aut inefficax redditur ab extrinseco, non vero ab intrinseco. Ergo. — b) Attamen asserit Augustinus hanc responsionem, veluti insufficientem, falsificari ex Apostolo, quia, ea stante, duo concurrunt ad volendum : Deus qui vocat et voluntas quae sequitur ; sed eo ipso potest dici : « non miserentis est Dei, sed hominis volentis, » quod est contra dictum paulinum. Ex hac ratione allata iterum arguitur : Si gratia est ab intrinseco efficax, electio Jacob et eorum quorum Jacob est typus, consistit in eo quod gratiam praedeterminantem habuerunt; reprobatio Esau in eo quod hac gratia caruit; merito ad eos applicantur verba Apostoli, siquidem miserentis est Dei, non autem currentis, quod detur gratia praedeterminans, potius quam sufficiens quae cum actu conjungi nequeat. Jamvero nihil de hac solutione prorsus obvia proponitur ; contra solutio proposita est ipsamet responsio quam Moliniani tradunt, uti ex altero argumento manifestum fiet. Ergo.

II^m Arg. Petitur ex solutione difficultatis. Juxta Augustinum ad volitionem salutarem, « ut velimus, » concurrunt quidem duo, gratia nempe et voluntas humana ; attamen verum manet actum salutarem et gratiam evangelicam non esse hominis volentis et currentis, sed Dei miserentis ; ratio est quia exigitur vocatio congrua, seu vocatio quae revera efficit bonam voluntatem, qua non vocatur quicumque vult, sed ille cujus Deus miseretur. Contendimus vocationem congruam, seu gratiam efficacem, quam Augustinus describit, non esse efficacem ab intrinseco, sed ab extrinseco, eamque esse infallibiliter efficacem ratione consensus a Deo praesciti. Hoc constat dupliciter : a) Ex perspicuis Augustini verbis : « Verum est ergo : « Multi vocati pauci electi. » Illi enim electi qui congruenter vocati : illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est : « Non volentis neque currentis, sed miserentis

est Dei, quia, etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita vocat quomodo eis vocari aptum est ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit : Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis : quia nullius Deus frustra miseretur ; cujus autem miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat » (1). Manifestum est Augustinum non repetere efficaciam gratiae ab iis quae gratiae sunt intrinseca, sed ex iis quae sunt extrinseca gratiae. — b) Si vocatio congrua esset gratia efficax sensu Bannesianorum, congruitas penderet a sola gratia. Atqui apud Augustinum contrarium defenditur. Ergo. — *Prob. min.* Si congruitas penderet a sola gratia, eadem gratia duobus collata apud utrumque esset efficax, aut apud neutrum. Atqui juxta Augustinum in uno est efficax, in alio inefficax. Dicit enim s. Doctor n. 13 paulo ante verba modo relata : « Quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, etc. » (cfr. testimonium integrum supra). — Praeterea sub numero seq., paucis interjectis : « Cum alius sic, inquit, alius sic moveatur ad fidem, eademque res saepe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret voluntatemque conjungeret in qua Jacob justificatus. »

243. — **Obj.** 1° Mens Augustini circa naturam gratiae non est sumenda ex scriptis ante ortum pelagianismum, sed ex postea scriptis, siquidem Augustinus profundius materiam de gratia pertractavit, tempore controversiae cum Pelagio. Atqui liber ad Simplicianum pertinet ad tempora praecedentia pelagianismum. Ergo.

Resp 1. *Negatur suppositum.* Cum pelagianis et semipelagianis nullatenus controversum est circa naturam gratiae efficacis, utrum sit ab intrinseco efficax, an ab extrinseco, verum de sola necessitate gratiae ad omnem operationem salutarem deque ejus gratuitate. Inde profundior indagatio Augustini parum versata est circa naturam efficaciae gratiae. — 2. Augustinus in libris circa finem controversiae cum pelagianis nullatenus carpit librum ad Simplicianum, sed contra eum laudat et commendat (2). Immo profitetur se, antequam hunc librum

(1) M. XL, 119.

(2) Aug. « Videant... utrum in primi libri posterioribus partibus eorum duorum quos... ad Simplicianum... scripsi... remanserit aliquid quo vocetur in dubium gratiam Dei non secundum merita nostra dari et utrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei, et utrum ex his quae ibi dicta sunt non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam nonnisi ab eo donari, qui nos praedestinavit in suum regnum et gloriam. » *De dono persev.* c. xxi, n. 55. M. XLV, 1027. Cf. *De praed. SS.* n. 8. M. XLIV, 966. *Retr.* l. II, c. 1.

ad Simplicianum scribebat et antequam episcopatum susceperat, errasse in re de gratia, ipsi vero ad Simplicianum scribenti veritatem fuisse revelatam [1]. Confirmatur quia ipse Jansenius fateri cogitur : « Quamvis verum sit, uberius eum (Augustinum) contra Pelagianos de natura gratiae disputasse... nihil omnino tamen, quod sciam, ex ista quaestione (ad Simplicianum) retractavit, ac proinde quidquid in ea de Christi gratia docuit, verum esse confessus est » [2].

Obj. 2° Augustinus ipse in libro *de dono perseverantiae* testatur se, Deo miserante, proficienter scripsisse, non tamen a perfectione coepisse. Ergo multa mutavit circa gratiam [3].

Resp. Haec certe non applicantur iis quae de gratia ad Simplicianum scripsit ; paulo ante enim expresse contrarium dixerat. Sed his verbis rationem reddit Augustinus illius quod immediate ante dixerat, nempe « Quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea ut me sequatur, nisi in iis quibus me non errasse perspexerit. Nam propterea nunc facio libros in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse, non tamen a perfectione coepisse. »

Obj. 3°. Bellarminus haec scribit : « Augustinus, cum scripsit libros ad Simplicianum, adhuc juvenis erat, nec multa invenerat in hac difficili quaestione, quae postea majori diligentia reperit [3]. »

Resp. a) Praeferendum sane est judicium quod ipse Augustinus in fine vitae tulit de l. ad Simpl., judicio quod Bellarm. tulit. b) Bellarminus nullatenus censet Augustinum aliquid mutasse circa sententiam prius a se defensam de natura efficaciae gratiae, sed circa sententiam de praedestinatione ad gloriam.

Obj. 4° : Verba Augustini ad Simplicianum sic sunt intelligenda : « Cujus miseretur Deus, sic eum vocat auxilio intrinsecus efficaci, quomodo per scientiam simplicis intelligentiae scit ei congruere ut sequatur, quamvis multi uno modo exterius sunt vocati, quia tamen non omnes uno modo per gratiam internam sunt vocati (sed alii per gratiam sufficientem, alii per gratiam ab intrinseco efficacem), illi soli sequuntur vocationem qui ei capiendae reperiuntur idonei, h. e. qui efficiuntur idonei per gratiam intrinsecus efficacem. » Ergo nihil est in

---

(1) Aug. « Dixi... hoc apostolico praecipue testimonio (I Cor. IV, 7) etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem ; quam Deus mihi in hac quaestione solvenda, cum ad episcopum Simplicianum... scriberem, revelavit ». *De praed. SS.* n. 8. M. XLIV, 966.

(2) Jansenius : *De gr. Chr.* l. II, c. XXXII.

(3) Aug. *De dono perseverantiae*, c. XXI, n. 55. M. XLV, 1028. — (3) Bellarm. *De gr. et lib. arb.* l. II, c. XV, n. 4.

hoc loco quod adversatur Bannesianis. Ita Billuart ([1]) et Lemos ([2]).

Resp. 1. Si fas est sic interpretari verba auctoris, nullus fortassis est inter Molinianos qui nequeat trahi ad castra Bannesianorum. — 2. Sufficit attenta lectio, sine praejudicata opinione, ut cernatur connexionem gratiae cum consensu repeti ab Augustino, non ab intrinseca indole gratiae, sed ab extrinseco; profecto Moliniani non aliter loquuntur. Si eadem non est mens Augustini, quare non simpliciter provocat ad vim intrinsecam gratiae ? — 3. Augustinus nullatenus censet Deum per scientiam simplicis intelligentiae scire efficaciam gratiae. Etenim non obscure asserit gratiam ex se esse repudiabilem, seu per se non dari infallibilem connexionem inter gratiam et consensum. Ergo efficacia non potest determinate sciri scientia simplicis intelligentiae. — 4. Ubi Augustinus asserit multos uno modo vocari, praecipue loquitur de vocatione interna. Loquitur enim de vocatione effectrice bonae voluntatis, qua nempe operatur velle. — 5. Profecto nequeunt pro eodem sumi *reperiuntur* idonei et *efficiuntur* idonei. — 6. Falsificatur insuper interpretatio, quia juxta Augustinum ii non sequuntur vocati, qui non congruebant nec contemperabantur ; sed congruitas et contemperatio se tenent ex parte hominis, non ex parte gratiae ; si enim ex parte gratiae se teneret, eadem gratia duobus collata in utroque esset efficax aut in utroque inefficax. Sed Augustinus dicit in uno eam esse efficacem, in altero autem inefficacem.

244. — SECUNDA PARS. Praedestinatio gratiae mente Augustini innititur praescientiae divinae ; quare censet Augustinus gtatiam esse efficacem ab extrinseco.

Prob. Qui infallibilitatem efficaciae gratiae repetit constanter a praescientia Dei, numquam ab entitate gratiae, ille favet doctrinae Molinae et adversatur systemati Bannesii. Atqui haec est ratio loquendi apud Augustinum. Ergo.

Prob min. a) Ex l. ad Simpl. supra citato. — b) Praedestinatio de serie gratiarum efficacium ad perseverantiam finalem perducentium definitur ab Augustino : « Praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur » ([3]), scil. Deus per scientiam mediam praescit quinam cooperaturi essent gratiis et perseverarent, quinam non ; praelucente hac scientia, praeparat et decernit se

([1]) Billuart : *De Deo*, diss. VI, a, 6, § 9. — ([2]) Lemos. In IIa Congr. coram Paulo V habita. — ([3]) Aug. *De dono perseverantiae*, c. xiv, n. 35. M. XLV, 1014.

daturum gratias praescitas conditionate efficaces. Ista praeparatio, praelucente scientia, est praedestinatio. — c) In l. *de corr. et gr.* loquendo de piis viris qui tamen in finem usque perseveraturi non sunt, ait: « Plane dicuntur electi a nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam quae ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare ut praescierit esse casuros » (1). « Isti cum pie vivant, dicuntur filii Dei, sed quoniam victuri sunt impie et in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei praescientia Dei » (2). — Unde sic : Praedestinationem ad gloriam fundat Augustinus supra praescientiam Dei. Ergo infallibilitatem efficaciae gratiae fundat etiam supra hanc praescientiam.

Nemo non videt nexum duplicis quaestionis : Potest profecto cum Suarezio propugnari praedestinatio ad gloriam antecedenter ad praevisa opera et simul defendi efficacia extrinseca gratiae, siquidem scientia media tribuit medium exsequendi decretum de gloria danda ; verum non potest defendi efficacia intrinseca et rejici praedestinatio antecedens. Qui enim dicit gratias efficaces, a Deo praeparatas, esse tales ab intrinseco, ille non recurrit ad Dei praescientiam, sed ad naturam gratiae, ut explicet cur alii sint electi et alii non, cur alii sint cooperaturi infallibiliter et alii non. Quare qui contendit praedestinationem ad gloriam fundari in praescientia Dei, ille etiam admittit gratiam esse ab extrinseco efficacem.

245. — TERTIA PARS. JUXTA AUGUSTINUM CONSENTIRE GRATIAE ET DISSENTIRE AB EA POSITUM EST IN POTESTATE VOLUNTATIS.

Illud enim clare affirmatur a s. Doctore in libro *ad Simplicianum* supra exposito, et in libro *de spiritu et littera.* « Attendat et videat, non ideo tantum istam voluntatem (credendi) divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est ; verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus ut velimus et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes... sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat,... profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est » (3). — Alia argumenta prostant ad th. XXXII^{m} (4).

(1) Id. *De corr. et gr.* n. 16. M. XLIV, 925. — (2) Ib. n. 20. M. XLIV, 928. — (3) AUG. *De sp. et litt.* c. XXXIV, n. 60. M. XLIV, 240. — (4) Vid. n. 206, p. 387.

— Unde sic : Qui pro libitu consentit gratiae vel ab ea dessentit, ille ponit nexum inter gratiam et actum, proinde ille ab extrinseco reddit gratiam efficacem. Atqui mente Augustini voluntas humana pro nutu suo consentit gratiae, vel ab ea dissentit. Ergo.

246. — QUARTA PARS. Controversia Augustini cum Massiliensibus non ostendit oppositum.

Prob. In tantum haec controversia probaret Augustinum censere gratiam esse ab intrinseco efficacem, in quantum Massilienses fuissent haeretici quia rejiciebant gratiam ab intrinseco efficacem. Atqui Massilienses non erant haeretici quia rejiciebant gratiam ab intrinseco efficacem, sed quia contendebant initium fidei non esse adscribendum gratiae sed naturae, proinde gratiam praeveniri meritis naturalibus, et quia consequenter ad haec negabant voluntatem misericordiae specialis erga electos. Ergo status controversiae Augustinum inter et Semipelagianos quaestionem de natura gratia efficacis prorsus integram relinquit.

Prob min. 1. Is fuit Massiliensium error, qui ab Arausicano damnatur. Atqui Arausicanum multis modis damnat primum errorem, quo affirmatur fidem esse adscribendam naturae, non vero gratiae : in 25 canonibus suis ne verbum quidem habet de natura efficaciae gratiae. — 2. Is fuit error Massiliensium, cui ipse Augustinus ante susceptum episcopatum adhaesit, ipso fatente. Atqui Augustinus nullatenus dicit se errasse negando gratiam esse efficacem ab intrinseco, sed asserendo gratiam non exigi ad initium fidei : « Quo praecipue testimonio (I Cor. IV, 7) ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona quibus temperantes et juste et pie vivanus in hoc seculo... Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante episcopatum meum scripta » [1]. — 3. Hujusmodi fuisse errorem Massiliensium constat testimoniis Augustini, Prosperi, Hilarii. a) Augustinus in libro de praedestinatione sanctorum ad Prosperum et ad Hilarium scribit: « Pervenerunt autem isti fratres (Massilienses)... ut praeveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant » (n. 2). « Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quae de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab

(1) Aug. *De praed. SS.* II, 7. M. XLIV, 964.

ipso tantum augeatur in nobis, eo merito quo coepit a nobis » (n. 3) ([1]). — b) Augustinum fideliter recitasse litteras Prosperi et Hilarii constabit eas perlegenti ([2]). Refert sententiam Massiliensium s. Prosper Augustino scribens : Justitia et salus, aiunt Massilienses, est omnibus aequaliter proposita, sive per legem naturalem, sive per legem scriptam, sive per Evangelium. Ideo alii credunt quia volunt, alii non credunt quia nolunt ; inter infantulos alii cum baptismo moriuntur, et alii sine eo ; inter gentes aliis praedicatur Evangelium et aliis non praedicatur, quia Deus praescit quas actiones unusquisque faceret, si baptismum susciperet vel si Evangelium praedicaretur. — Fides, quam quilibet homo solo arbitrio amplectitur, deinceps juvatur per gratiam. Deus praescit quinam per vires suas sunt credituri et deinde gratia juvandi. Hos praedestinat. — Attamen si admittendum est gratiam praevenire omnia merita, per hanc gratiam intelligenda est ipsa natura gratuito a Deo concessa homini ([3]). « Vitam aeternam ab his apprehendi qui Deo sponte crediderint et auxilium gratiae merito credulitatis acceperint. »

Praeterea id constat ex testimoniis quae tradita sunt p. 41 ad calcem.

— 4. Idem constat ex propositione 4ª Jansenii damnata ab Innocentio P. X, (Denz. n. 969.)

Obj. 1°. Ex epistola Prosperi n. 4. Prosper asserit quosdam Massilienses admisisse necessitatem gratiae praevenientis ad initium salutis.

Resp. Massilienses omnes asserebant naturae inhaerere aliquid boni, quo initium fidei comparare et sic gratiam ad opera salutaria mereri et impetrare valeat. Non pauci ex his, moti testimoniis Scripturae et Patrum de necessitate gratiae praevenientis ad initium salutis, contendebant gratiam hanc praevenientem esse ipsammet naturam a Deo datam sine praecedentibus meritis. De his vero loquitur Prosper.

Obj. 2°. Cassianus, Faustus Rhegiensis, Arnobius junior, Gennadius admiserunt gratiam praevenientem exigi ad initium salutis. Ergo omnes Massilienses idem admiserunt.

Resp. Qualis error ab Augustino fuerit reprobatus et ab Arausicano damnatus, clarissime constat ex documentis modo allatis. Quare, si objectio narrat vera, concludendum foret vel hos scriptores perperam fuisse intellectos a Prospero et ab Hilario, vel eos non fuisse annumeratos Massiliensibus. Ceterum falsum est eos exigisse gratiam ad initium salutis.

([1]) Aug. *De praedest. Sanct.* n. 2, 3. M. XLIV, 961. — ([2]) *Ep. Prosp. ad Aug.* n. 3 et *ep. Hil. ad Aug.* nn. 2 et 4. — ([3]) *Cf. Ep. s. Prosp ad s. Aug.* M. LI, col. 68 sq.

247. — QUINTA PARS. DIFFICULTATES CONTRA SENTENTIAM AUGUSTINI MOTAE NON OSTENDUNT OPPOSITUM.

A. *Exponitur sententia Augustini.* 1. Gratia praevenit omne meritum naturale, adeoque gratuita est tum praedestinatio ad gratiam seorsim sumptam, tum praedestinatio ad gloriam et ad gratiam simul sumptas. — 2. Perseverantia finalis est donum speciale Dei. — 3. Erga electos datur voluntas specialis misericordiae, quae est omnipotens ; vocantur per gratiam congruam, quae nempe ex praescientia divina est infallibiliter efficax et in qua continetur speciale Dei beneficium. Quare praedefinitus ab aeterno est numerus electorum. — 4. Uberius explicans voluntatem misericordiae specialis et effectus ex ea procedentes, ait in praedestinatione Dei, seu in praescientia et praeparatione donorum Dei, includi propositum electos vocandi in tempore, adeoque eos vocari secundum propositum : vocantur in tempore ita ut praeveniantur misericordia, Evangelium audiant, fidem accipiant et justificationem, in his Deus operetur velle irresistibiliter, glorificentur in laudem Dei, discernantur a massa damnationis. De his enim dictum est : omnia cooperantur in bonum, nullus perit, secundum electionem propositum manet, firmum est fundamentum Dei. — Ceteri qui vel Evangelium non audierunt, vel audierunt quidem, sed se non converterunt, vel pie quidem vixerunt aliquo tempore sed non perseverant, hi non sunt discreti per praescientiam et praedestinationem ([1]).

Hujusmodi verbis Augustinus propugnat sententiam oppositam ei sententiae quam, brevi post evulgatum librum de correptione et gratia, defenderunt semipelagiani, nempe gratiam dari secundum exactam mensuram meritorum actibus naturalibus initii fidei comparatorum, adeoque gratiam omnibus hominibus a Deo offerri aequali modo eamque conferri ut praecise sufficientem dumtaxat, proindeque non esse locum voluntati misericordiae specialis ad omnes et solos electos restrictae.

Manifestum est ab Augustino propugnari quidem infallibilem efficaciam gratiae, praedefinitionem actuum salutarium, praedestinationem ad gloriam, dummodo haec *generice* considerentur, nullam vero *speciem* praedestinationis et efficaciae infallibilis gratiae ex professo defendi. Augustinus enim defendit tria praefata veluti dogmata fidei ; eorum dogmatum explicationem non aggreditur. — Defendit nempe Augustinus gratiam praedestinari et actus bonos praedefiniri antecedenter ad hos actus in ordine reali effectos et antecedenter ad eorum praescientiam

([1]) AUG. *De corr. et gr.* n. 12. sq. M. XLIV, 923 sq.

Dei absolutam per scientiam visionis, proindeque electos ad gloriam praedestinari antecedenter ad eamdem praescientiam Dei absolutam operum bonorum. Verum non tractat quaestionem utrum praedestinatio ad gloriam fiat antecedenter ad *omnem* praevisionem operum bonorum, etiam *conditionalem*, quae nempe praecedit electionem unius ordinis prae ceteris ordinibus, an fiat consequenter; utrum opera bona praedefiniantur a Deo formaliter an virtualiter ; utrum gratia, beneficio cujus fiunt actus salutares, sit efficax ab intrinseco, an ab extrinseco.

Quomobrem sententia ab Augustino ex professo propugnata aeque componitur cum sententiis quarum aliae aliter pronuntiant de natura gratiae infallibiliter efficacis, de natura praedefinitionis actuum bonorum, demum de natura praedestinationis ad gloriam. Itaque concedimus sententiam ab Augustino ex professo defensam in libro de correptione et gratia, — et idem dicendum est de iis quae proponit idem s. Doctor in libris de dono perseverantiae et de praedestinatione sanctorum, — componi posse cum sententia eorum qui dicunt Deum certos homines praedestinare ad gloriam antecedenter ad omnem praevisionem operum bonorum, eum formaliter praedefinire actus bonos quibus hi homines mereri debeant collationem gloriae, ulterius eum exsequi decreta aut per gratias ab intrinseco efficaces uti volunt Calviniani, Janseniani et Bannesiani, aut per gratias ab extrinseco efficaces quarum efficacia est praescita per scientiam mediam, uti volunt Congruistae, duce Suarez. — Verum contendimus eamdem doctrinam ab Augustino ex professo defensam non minus componi cum sententia eorum qui dicunt Deum non praedestinare ad gloriam, nisi consequenter ad conditionate praevisa merita supernaturalia, eum non praedefinire nisi virtualiter opera bona. Secundum hanc sententiam Deus, praelucente scientia media de efficacia et de pura sufficientia gratiarum in variis ordinibus possibilibus, motus bonitate sua increata ob rationem imperviam nobis, elegit ab aeterno ordinem praesentem. In hac electione habetur praedestinatio gratiae et gloriae, seu praeparatio beneficiorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur; ista praedestinatio, quae in electione ordinis gratiarum includitur, continet propositum vocandi in tempore; ex hoc proposito sequitur vocatio congrua, fides, etc.

Cum itaque scopus Augustini attingatur in diversis his explicationibus, quaenam sit interpretatio conformis menti Augustini dijudicari debet vel ex his quae inseruntur et quasi per transennam dicuntur in locis ubi Massilienses aut Pelagianos impugnat, vel ex aliis operibus post episcopatum scriptis ubi ex professo hanc quaestionem tractaret.

Porro in tractatu de Deo uno ostenditur Augustinum in aliis perspicue docere praedestinationem ad gloriam consequi praevisionem conditionatam meritorum supernaturalium — Ex 1ª et 2ª parte hujus thesis manifestum est ipsum existimare gratiam esse ab extrinseco efficacem. — Ex his igitur concludendum est locos ex se ambiguos determinari iis quae alibi clarius exponuntur, ad significandam praedestinationem ad gloriam consequenter ad condionate praevisa merita, praedefinitionem virtualem operum, efficaciam extrinsecam gratiae.

Verum adversarii volunt mentem Augustini elucescere ex objectionibus quas Massilienses moverunt contra ipsius doctrinam.

B. *Objectiones Massiliensium* exponuntur a s. Prospero in epistola ad Augustinum et ab Hilario, viro laico, qui Augustinum certiorem fecit de Pelagii haeresi in Sicilia emergente, in sua epistola ad Augustinum (1).

Objectiones sunt sequentes : Stante doctrina Augustini, aiunt Massilienses, a) adimitur lapsis cura resurgendi et evacuatur omnis correptio; b) perimitur libertas arbitrii; c) restringitur Dei voluntas salvifica; d) Deus fit acceptor personarum; e) contradicitur Patribus praecedentis aetatis, quippe qui docent praedestinationem fieri secundum merita.

Contendimus ex his difficultatibus nullatenus consequi Augustinum docuisse efficaciam intrinsecam gratiae, immo ex defensione ipsius potius contrarium evinci.

1. In tantum ex objectionibus Massiliensium consequeretur Augustinum tenuisse gratiam esse ab intrinseco efficacem, in quantum non valerent moveri contra systema Molinae, aut saltem contra systema Suarezii defendentis praedestinationem antecedentem, praedefinitionem formalem operum bonorum, et efficaciam gratiae extrinsecam et per scientiam mediam a Deo praescitam. Atqui manifestum est istas difficultates esse prorsus communes congruismo et bannesianismo, uti patet quia propununtur uti argumenta contra praedestinationem ad gloriam antecedenter ad praevisa merita, secundum mentem Congruistarum haud secus ac secundum mentem Bannesianorum. Manifestum etiam est easdem difficultates posse proponi adversus systema Molinae, cum hoc tamen discrimine quod in isto systemate, non vero in ceteris, solvi queunt. Si enim Deus, nullo habito respectu ad merita naturalia, aliis praedestinat gratias congruas, aliis incongruas, si nullus reapse fidem amplectitur et si nullus fit salvus nisi destinatae iis fuerint gratiae infallibiliter efficaces et qua tales a Deo decretae ; optime intelligitur

(1) M. XXXIII, 1002 et 1007 sq. ; M. LI, 67 sq.

facile mentibus oboriri objectiones a Massiliensibus motas. Eo facilius movebantur hae difficultates adversus doctrinam Augustinianam, quia s. Doctor in l. de corr. et gr. non explicat ex professo quid sentiat de natura praedestinationis, praedefinitionis et efficaciae gratiae. Ergo ex difficultatibus motis nullo pacto concludi potest Augustinum adhaesisse efficaciae intrinsecae gratiae.

2. Ex defensione Augustini contrarium patet. In systemate praedeterminatorum difficultates a Massiliensibus motae non sunt inanes, sed verae, et ita quidem ut solvi nequeant ; contra in systemate Molinae nonnisi ad speciem sunt et solvuntur. Porro Augustinus eas solvit, et quidem eodem modo atque postea eos solverunt Moliniani. Ergo. — *Prob. min.* a) Ad eas solvendas scripsit Augustinum libros de praedestinatione sanctorum et de dono perseverantiae. — b) Affirmat nullam dari discordiam ipsum inter et antecessores tenentes praedestinationem ad gloriam fieri secundum praescientiam, dummodo hi intelligantur esse locuti de praescientia meritorum supernaturalium, non autem de praescientia meritorum naturalium quae praecederent gratiam et mensuram determinarent gratiarum a Deo collatarum, uti Massilienses contendebant ([1]). Ergo Augustinus censet praedestinationem ad gloriam consequi praescientiam meritorum supernaturalium; ergo etiam censet connexionem gratiae cum actu salutari determinari a voluntate. — c) S. Prosper, cui profecto perspecta erat Augustini doctrina, in responsione ad capitulum 12^{m} Gallorum, haec habet : « Vires itaque obedientiae non ideo cuiquam subtraxit (Deus), quia eum non praedestinavit, sed ideo non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse praevidit » ([2]). — S. Prosper, fidelis interpres doctrinae Augustinianae, solvit difficultatem Massiliensium, haud secus ac Moliniani. Inde gratia pure sufficiens non eligitur a Deo ex industria, quia nempe est pure sufficiens ; gratia fuisset decreta a Deo cum majori complacentia, si praescita fuisset efficax ; decernitur, non obstante praevisione inefficaciae, vi voluntatis salvificae universalis et conditionatae.

248. — SEXTA PARS. PERPERAM PROVOCATUR AD DIFFICULTATEM QUAM EXPERTUS EST AUGUSTINUS IN CONCILIANDA EFFICACIA GRATIAE CUM LIBERTATE.

Non raro affirmarunt Pelagiani libertatem voluntatis nullam esse

(1) AUG. *De dono persev.* M. XLV, 1023. — (2) PROSPER M. LI, 167.

sub motione gratiae ([1]) ; idem non raro exprobrarunt Massilienses ; immo fassus est ipse Augustinus difficultatem conciliandi libertatem cum gratia, dicens eum qui liberum arbitrium defendit, videri negare gratiam, eum autem, qui gratiam defendit, videri negare liberum arbitrium ([2]). E quibus sic arguunt Neothomistae : Augustinus fassus est difficile esse ut concilietur libertas et efficacia gratiae. Atqui in systemate Molinae difficultas est nulla, siquidem efficacia gratiae determinatur ab extrinseco, nempe ab ipsa voluntate quae pro nutu suo connexionem gratiae cum actu efficit aut non; contra in systemate Neothomistarum difficultas est vera, cum gratia ponatur ex se connexionem cum consensu determinare. Ergo Augustinus adhaeret bannesianismo et adversatur molinismo.

Isti difficultati statim occurri potest dupliciter : a) Augustinus solvit difficultatem ; jamvero, si censuisset gratiam esse praedeterminantem, certo difficultati succubuisset, uti patet ex inutilibus conatibus quos Bannesiani in hunc finem adhibent. Ergo rejicit s. Doctor gratiam praedeterminantem. — b) Asserit Augustinus libertatem non difficilius conciliari cum efficacia gratiae, quam cum Dei praescientia. Sed Moliniani praecise idem dicunt : volunt enim ideo gratiam esse infallibiliter efficacem quia Deus usu scientiae mediae praescit cuinam gratiae homo conditionate consentiret, a quanam dissentiret. Contra in systemate Bannesianorum facilius conciliatur libertas cum praescientia Dei formaliter sumpta, quam cum praemotione.

Attamen examinandum est quare Augustinus offenderit difficultatem in hac conciliatione facienda.

Libertas, qualis intelligitur a Molinianis et a Neothomistis, sita est in eo quod voluntas in actu primo posita possit elicere actum aut abstinere, velle aut nolle. Ut detur actus primus operationis salutaris, exigitur motus gratiae praevenientis et gratia adjuvans operaturo parata ; inde actus salutaris est liber eo quod voluntas, his variis ornata, pro nutu suo consentit aut dissentit.

Pelagiani plura ad libertatem exigebant. Juxta eos voluntas non est libera respectu alicujus actus, nisi ipsa possit ponere elementa actus ; quare ubi quaedam elementa actus primi a causa extrinseca erant efficienda, voluntatem destitutam censebant libertate respectu actus

(1) *Op. imperf.* l. I, c. LXXVIII sq. M. XLV, 1102. *C. duas ep. Pelag.* l. II, c. v. M. XLIV, 577. *Serm.* CLVI, c. XI.

(2) AUG. L. *de gr. Chr.* c. XLVII ; *C. Jul.* l. IV, c. VIII ; *de praed. Sanct.* c. XIV ; l. II, *contra Petil.* c. LXXXIV ; *de peec. mer. et remiss.* l. II, c. XVIII ; *ep.* CCXIV et CCXV *ad Valentinum.*

secundi. — Talem fuisse Pelagianorum mentem constat quia, nullo facto examine naturae gratiae, affirmabant, inde ab initio controversiae, perimi libertatem actus salutaris, si diceretur exigi auxilium gratiae.

Augustinus nullibi dicit difficilem esse conciliationem gratiae cum facultate assentiendi motui gratiae praevenientis aut ab eo dissentiendi, ac proinde cum libertate qualem eam omnes nunc audiunt et qualis in objectione sumitur. Etenim saepe repetit volitionem salutarem esse a Deo et a libero arbitrio, hujus esse eligere, consentire et dissentire. Clarius itaque veram libertatem edocere non potuit. Cfr. th. de libertate actus salutaris n. 206, et III^m partem praesentis thesis. — Verum Augustinus videtur, pro more suo, libertatem sumpsisse eodem sensu atque adversarii, aut etiam fortassis non subjecit accurato examini conceptum libertatis et gratiae. Augustinum sumpsisse libertatem secundum hanc significationem luculenter patet ex testimoniis supra relatis, ubi ostensum est libertatem actus salutaris manere integram sub motione gratiae [1]. Vid. n. 206, p. 387.

Quare ad difficultatem respondetur distinguendo majorem. Fassus est Augustinus libertatem h. e. *potestatem consentiendi gratiae aut dissentiendi ab ea*, difficile conciliari cum efficacia gratiae, *Neg.;* fassus est libertatem, qualis vulgo tunc intelligebatur, difficile conciliari, *Conc.* Ex una parte volebat retinere nomen et essentiam libertatis, ex alia parte difficile videbatur eliminare elementum quod conciliationem impossibilem reddebat.

249. — SEPTIMA PARS. PERPERAM PROVOCATUR AD LOCUTIONES QUIBUS AUGUSTINUS EFFICIENTIAM GRATIAE EXTOLLIT.

PRIMA : Gratia non dat tantum posse, sed et ipsum velle actu, facit nempe ut velimus, dat bonam voluntatem, causat omnia merita.

Resp. His locutionibus opponitur gratia catholica modo gratiae pelagianae, modo gratiae semipelagianae.

1. Pelagiani ducebant gratiam esse possibilitatem operandi seu naturam, adjecta in ultimis stadiis controversiae illustratione. Contendit Augustinus necessariam esse gratiam quae praevenit ac praeparat voluntatem adeoque facit ut velimus; contendit etiam istam gratiam ita adjuvare voluntatem, ut sit causa principalis actus salutaris et meritorii, proindeque eam dare actu velle salutariter et efficere merita. Sed ista dicta de gratia possunt verificari dupliciter : vel eo solo quod voluntatem movet et supernaturalitatem actus salutaris causat, vel

[1] Frequentur etiam libertas apud Augustum est idem atque potentia naturalis expers concupiscentiae, adeoque non indigens gratia medicinali.

insuper quia voluntatem determinat. Qua autem ratione gratia dat velle actu, facit ut velimus, etc., nullatenus indicat Augustinus in hisce locutionibus. Quare de ejus mente est judicandum ex alibi dictis. — Itaquè distinguitur : Gratia dat velle actu, facit ut velimus, dat bonam voluntatem eo sensu quod gratia non tantum est possibilitas seu natura, sed insuper movet voluntatem et est causa principalis actus salutaris, *Conc.* ; eo sensu quod gratia *praedeterminat* voluntatem, *Neg.* — *Dist.* ultimum : gratia causat omnia merita, eo sensu quod gratia est ratio ob quam actus voluntatis sunt meritorii, seu quod homo nullum habet meritum, nisi consentiat gratiae excitanti adjutus viribus gratiae elevantibus ipsius consensum, *Conc.*; eo sensu quod gratia sola operatur, aut quod voluntas non agit nisi praedeterminetur, *Neg.*

2. In posterioribus libris de gratia opponit Augustinus has locutiones, aliasque similes, semipelagianis affirmantibus gratias ad augmentum fidei necessarias omnibus aequali modo offerri a Deo pro meritis naturalibus, adeoque gratias a Deo offerri qua praecise sufficientes. Affirmat Augustinus gratiam, quacum fiunt opera bona, dari a Deo uti infallibiliter conjungendam actui salutari, proindeque Deum praedefinivisse et dare ipsum velle salutariter seu ipsam voluntatem salutariter bonam. Contra eosdem affirmat omnia merita hominis a Deo procedere, tum quia homo actu naturali seu naturali initio fidei non meretur gratiam requisitam ad augmentum fidei, sed omne meritum oritur ex auxilio gratiae quod supernaturalitatem causat in actibus salutaribus, tum quia ad omnem actum meritorium exigitur gratia infallibiliter efficax cujus collatio repetenda est ex sola bonitate Dei. — Porro solet Augustinus contra Massilienses non propugnare nisi exsistentiam gratiae infallibiliter efficacis sine ulla explicatione addita de natura efficaciae hujus gratiae ; cujus rei ratio fuit quia controversia non versabatur circa hanc naturam. Verum in libro ad Simplicianum luculenter explicat Augustinus undenam oriatur infallibilis efficacia gratiae, cum eam repetat ex consensu voluntatis aeternaliter a Deo praesciti. Quamobrem ad normam hujus loci et aliorum similium explicandae sunt locutiones ex se indifferentes ad duas interpretationes. — Itaque *distinguitur:* Juxta Augustinum *omnis* gratia dat actu velle, *Neg.;* gratia *efficax*, *Subd.* dat actu velle *ab intrinseco* seu ratione entitatis suae, *Neg.; ab extrinseco* ratione consensus conditionate praesciti, sub qua praevisione aeternaliter decernitur a Deo et in tempore confertur, *Conc.*

Secunda. Juxta Aug. in ll. *de praed. Ss.* et *de dono persev.* negotium salutis est totum Dei ; nequit homo unam quidem partem tribuere Deo,

alteram vero reservare sibi, proindeque de nullo veluti de suo gloriari potest. Haec autem falsificantur, aiunt adversarii, si gratia ponitur efficax ab extrinseco.

Resp. 1. His locutionibus excluditur sententia Massiliensium dividentium opera salutaria in duas series, quarum unam, quae constituit initium fidei, tribuebant naturae, alteram, quae constituit augmentum fidei, tribuebant gratiae secundum mensuram meritorum naturalium datae. Contra Massilienses affirmat Augustinus totam seriem esse tribuendam gratiae, seu nullum actum esse salutarem nisi fiat cum auxilio gratiae excitantis et adjuvantis; nullatenus vero dicit quo modo actus salutaris fiat a gratia; quemadmodum non negat activitatem facultatum naturalium, ita non asserit explicite modum ullum quo vires naturae et vires gratiae inter se componantur ad eliciendum eumdem actum. Quamobrem dijudicandum est ex alibi dictis ab eodem Augustino quid censeat de modo quo actus salutaris fiat a gratia. Jamvero luculenter asserit s. Doctor tum actum salutarem esse etiam attribuendum arbitrio hominis, tum voluntatem esse quae cum gratiae auxilio determinat connexionem gratiae cum actu salutari. Etenim in libro *de Spiritu et littera* scribit (1) : « Consentire vocationi divinae vel ab ea dissentire propriae voluntatis est » ; in l. *ad Simplicianum :* « Ut velimus et suum esse voluit et nostrum ; suum vocando, nostrum sequendo » (2) ; in libro *de dono perseverantiae :* « Utrumque (credere et operari) nostrum est propter arbitrium voluntatis, et utrumque tamen datum est per Spiritum fidei et caritatis... Utrumque ipsius est : quia ipse praeparat voluntatem et utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis (3) ».

2. Ex iisdem locutionibus, ratione habita status controversiae, eruitur gratiam juxta Augustinum esse efficacem ab extrinseco. Concedunt enim Neothomistae Massilienses exegisse gratiam ad augmentum fidei et istam gratiam eorum judicio esse efficacem ab extrinseco ; jamvero Augustinus nullatenus impagnat hanc partem systematus istius; immo aperte dicit sufficere ut ad initium fidei extendant hanc gratiam quam necessariam esse admittebant ad augmentum fidei.

Tertia. Saepe docet Augustinus hominem seipsum non discernere, sed a Deo discerni. Sed hoc falsificatur, si gratia est ab extrinseco efficax. Ergo.

Resp. Augustinus dupliciter verba Pauli explicat, haud secus atque

(1) Aug. *De sp. et litt.* c. xxxiv. M. XLIV, 240. — (2) Id. *Ad Simplic.* l. I. c. ii, n. 1. M. XL, 117. — (3) Id. *De praedest. Sanct.* c. iii. M. XLIV, 965.

antea dictum est. a) Interdum discerni hominem dicit eo quod ei praedestinatur gratia congrua, vel series gratiarum ad gloriam efficaciter ducentium. b) Saepius dicit Deum esse qui discernit hominem, eo quod nihil boni sit in homine nisi a Deo oriatur, seu quod omnis actus salutaris fiat auxilio gratiae (1). Patet iterum affirmari factum discretionis, modum vero quo fit discretio prorsus omitti.

QUARTA. In ll. *de praed. Ss.* et *de dono persev.* saepe occurrunt haec effata : « Deus praedestinavit omnia opera bona nostra » ; « Praedestinatione Deus ea praescivit quae ipse facturus fuerat » ; « Si dicatur Deum non praedestinasse omnia opera nostra bona, consequenter dicendum est Deum ea non praescivisse ». — Unde sic arguunt adversarii : Juxta s. Augustinum Deus futura opera nostra bona non aliter infallibiliter cognoscit, nisi in decreto suo praedestinativo. Atqui in hoc decreto nequeunt infallibiter praesciri, nisi Deus eodem decreto decernat absolute se physice praedeterminaturum esse voluntatem creatam ad eadem opera. Ergo.

Resp. Uti superius notavimus, Augustinus propugnat praedestinationem gratiae infallibiliter efficacis et praedefinitionem operum bonorum in genere; haec praedestinatio praecedit scientiam visionis operum bonorum. Hujusmodi effatis non aperit Augustinus mentem suam de natura hujusce praedestinationis ; utrum nempe praecedat omnem praevisionem actuum, etiam conditionatam, an praecedat quidem praescientiam absolutam, sequatur autem usum scientiae mediae. Quare *Dist. maj.* Deus praescit opera nostra bona, prout haec sunt *absolute futura,* in decreto praedestinativo *quod sequitur ad usum scientiae mediae, Conc. ;* decreto quod non praesupponit praescientiam conditionatam eorumdem operum si decretum ferretur, *Neg.* — *Cdt. min.*

QUINTA. Verba Apostoli : « non volentis neque currentis, sed Dei miserentis est », ita juxta Augustinum sunt explicanda, ut totum Deo detur, seu ut nullatenus dici queat « non est Dei miserentis ; sed hominis volentis ». Jamvero, aiunt adversarii, hoc optime verificatur apud Bannesianos, nequaquam apud Molinianos.

Resp. Augustinus dupliciter explicat verba Apostoli : a) In *Enchiridion* (2), opus bonum non est hominis volentis et currentis, quia nempe

(1) Id. *Ep.* CLXXXVI ad *Paulinum*, c. II. *De pecc. mer. et remiss.* l. II, c. XVIII. M. XLIV, 168.

(2) AUG. « Quomodo non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia et ipsa voluntas, sicut scriptum est, a Domino praeparatur ? Alioquin, si propterea dictum est non volentis etc... quia ex utroque fit, id est voluntate hominis et misericordia Dei,... tamquam diceretur : non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei : non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis : ac per

natura nullum opus salutare edit, sed est Dei qui ex misericordia praevenit et adjuvat voluntatem ideoque actui tribuit omnem valorem, dignitatem et meritum. — Per istam interpretationem excluditur sententia Pelagianorum et Semipelagianorum. — Patet nihil dici de modo quo operetur gratia, sed tantum affirmari ejus necessitatem. — b) In libro *ad Simplicianum* adhaeret alteri interpretationi : Praeveniri et adjuvari gratia congrua non est hominis, sed Dei miserentis. Ostensum autem est in eo loco diserte affirmari efficaciam extrinsecam hujus gratiae.

Sexta. Gratia est omnipotentissima, efficacissima, insuperabilis, indeclinabilis, a nullo duro corde respuitur.

Resp. 1. Voluntas increata Dei dicitur talis ab Augustino; verum illud praedicatum ab ipso non attribuitur gratiae creatae. A Prospero, in carmine de ingratis, hoc nomine insignitur gratia, quatenus est instrumentum omnipotentiae Dei.

2. Juxta Augustinum voluntas Dei dicitur omnipotens, non modo respectu hominis lapsi, sed etiam respectu angeli ([1]). Quare Janseniani nullum argumentum ex hac locutione petere valent, siquidem tenent angelis integram fuisse libertatem indifferentiae.

3. Neque Bannesiani ex ea valide arguere valent. Ea enim affirmat Augustinus Deum in nobis et ex nobis facere quod vult, obtinere ex voluntate humana effectum quem vult, interna et occulta, mirabili et ineffabili potestate operando in cordibus bonas voluntates ([2]). Quonam modo Deus operetur in voluntate, utrum per gratias praedeterminantes, an per gratias praevisas congruas, nullatenus asseritur ab Augustino. Quamobrem haec locutio iterum est interpretanda secundum alibi dicta ab eodem Augustino.

4. Voces indeclinabiliter et insuperabiliter occurrunt in libro *de correptione et gratia* ([3]). De his autem locutionibus sequentia accipiantur: a) Gratia qua voluntas indeclinabiliter et insuperabiliter agitur non est

---

hoc, si recte dictum est: « non volentis hominis, sed miserentis est Dei, » quia id voluntas hominis sola non implet ; cur non e contrario recte dicitur : non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet ? Porro si nullus dicere Christianus audebit : non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat ; restat ut propterea recte dictum intelligatur : « non volentis neque currentis sed miserentis est Dei », ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam et adjuvat praeparatam ». *Enchiridion, sive de fide, spe et caritate*, c. xxxii. M. XL, 248.

([1]) Aug. *Enchiridion*, c. xcv sq. M. XL. *De civ. Dei*, l. XIV, c. xxvii. M. XLI, 435. —

([2]) Id. *De gratia Christ*, c. xxiv. M. XLIV, 373.

([3]) Id. « Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter ageretur ; et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur ». *De corr. et gr.* c. xii, n. 38, M. XLIV, 940.

gratia efficax ad omnem actum salutarem a Deo concessa; sed est donum perseverantiae a Deo datum omnibus et solis electis in statu naturae lapsae : hoc enim manifestum est quia haec verba sunt conclusio eorum de quibus disputat Augustinus a numero 29 ad num. 39. Jamvero donum perseverantiae non semper includit gratias actuales, siquidem datur a Deo non modo adultis sed etiam parvulis qui, baptismo recepto, e vita decedunt, usu rationis nondum adepto. — b) Si verba praefata restringuntur ad solos adultos in finem vitae usque perseverantes, nihil impedit quin eorum voluntates dicantur agi indeclinabiliter et insuperabiliter gratiis efficacibus in dono perseverantiae inclusis. Verum prorsus errant Bannesiani cum affirmant Augustinum hujusmodi locutionihus propugnare gratiam ab intrinseco esse efficacem. Non aliud enim verbis allatis affirmat nisi quod voluntas auxilio gratiae adjuta jam superari nequit *motibus concupiscentiae et adversitate,* sed indeclinabiliter inhaeret justitiae; jamvero hoc aeque verificatur sive gratiae dicantur ab intrinseco efficaces, sive dicantur ab intrinseco quidem habere efficaciam virtutis h. e. ex se dare potentiam robustam superandi difficultates, ab extrinseco autem habere infallibilem efficaciam ratione consensus a Deo praesciti usu scientiae mediae. Quamobrem Augustinus tantum affirmat dari et decerni a Deo gratias infallibiliter consecuturas effectum ob quem dantur; quid autem sentiat circa naturam efficaciae earumdem gratiarum, id dijudicandum est ex alibi dictis ab eodem s. Doctore, siquidem haec quaestio non tangitur ab eo. — c) Re quidem vera Augustinus eodem prorsus sensu affirmat electos indeclinabiliter et insuperabiliter agi gratia perseverantiae, accipere a Deo non posse peccare, non posse mori, non posse deserere; jamvero iis verbis, in eodem loco libri de correptione et gratia occurrentibus, non significari electos a Deo accipere gratias ab intrinseco efficaces, ostendetur parte sequenti.

5. In libro *De praed. Ss.* c. VIII gratia dicitur a nullo corde respui, quippe quae prius duritiem cordis auferat. Patet iterum hanc efficaciam posse dupliciter intelligi, dicendo nempe eam adscribi gratiae ab extrinseco efficaci ratione consensus a Deo praesciti antecedenter ad decretum conferendi gratiam, vel ab intrinseco ratione entitatis gratiae. Quaenam sit mens Augustini, aliunde est dijudicandum.

250. — OCTAVA PARS. PERPERAM PROVOCANT ADVERSARII AD ADJUTORIUM-SINE-QUO-NON, ET AD ADJUTORIUM-QUO [1].

(1) AUG. *De corr. et gr.* nn. 29-39. M. XLIV, 933 sq.

Augustinus defenderat contra Pelagianos ad omne opus salutare exigi gratiam internam quae attingat et efficiat actum salutarem, et sine ea nihil boni in ordine salutari fieri. Inceperat etiam defendere gratiam efficacem esse infallibiliter talem, et perseverantiam finalem esse Dei beneficium speciale. In hunc sensum interpretatur verba Scripturae : « Deus operatur velle etc. Quid habes quod non accepisti ? »

Monachi Adrumetini proposuerant adversus hanc doctrinam objectiones quas Augustinus initio libri de correptione et gratia refert et quibus respondet. Ex eo scilicet quod Deus dat operationem et perseverantiam, consequi existimabant inutiliter praecipi ut homines declinent a malo et faciant bonum ; immerito corripi peccatores, siquidem sibi non valent dare voluntatem boni a Deo accipiendam ; quare dicebant pro male agentibus orandum dumtaxat esse, ut Deus iis tribuat bonam voluntatem et perseverantiam.

Reponit Augustinus (n. 1-10) tria haec esse componenda : a) Dono gratiae accipimus omnia, ipsam perseverantiam. b) Orandum est pro omnibus ut gratiam et perseverantiam accipiant. c) Corripiendi sunt ii qui peccant proindeque ista dona nondum acceperunt ([1]). Occasione accepta, fuse loquitur de dono perseverantiae, ostenditque quanta serie gratiarum donati a Deo sunt hi qui a massa damnationis sunt discreti : [is nempe procuratur Evangelium, fides, justificatio, paenitentia, perseverantia finalis et, si opus est, matura mors. De illis dictum est : secundum propositum sunt vocati ; omnia cooperantur in bonum ; nullus perit ; non ex operibus sed ex vocante dictum est etc. (n. 12 sq.).

Cum Adam non habuerit perseverantiam in justitia originali, inde occasio se offert miscendi sermonem de donis a Deo collatis in statu naturae integrae et in statu naturae lapsae, eaque dona inter se comparandi. Dona naturae integrae vocantur *adjutorium-sine-quo-non,* dona collata in statu naturae lapsae electis, seu finaliter perseverantibus in justitia, vocantur *adjutorium-quo.*

Adjutorium-sine-quo-non. Adam in bonis erat gratuito acceptus. Non tentabant eum mundus et caro. Quare non indigebat gratia medicinali. — Datum ei est adjutorium perseverantiae, non quidem quo fieret ut vellet, sed sine quo perseverare non poterat. Vi istius adjutorii, posse perseverare in hominis libero arbitrio dimisit Deus ; itaque ejus libertas

([1]) Patet haec optime conciliari in systemate Molinae. Gratia enim quae praedestinata seu efficax dicitur, praesupponit consensum et ejus praevisionem ; ut consensus detur a peccatore, multum inservit correptio et oratio, inde adhibenda sunt haec media, siquidem eorum beneficio fiet ut gratia praescita erit efficax potius quam pure sufficiens.

erat posse non peccare, posse non mori, posse non deserere. — Illud adjutorium tale erat ut homo numquam fuisset malus, si perseverare voluisset in bona voluntate, in qua Deus eum fecerat ; tale etiam ut sine eo, etiam cum libero arbitrio, homo bonus esse non posset ; tale denique ut homo illud per liberum arbitrium deserere posset. Itaque adjutorio isto fiebat ut homo haberet justitiam si vellet, eaque careret si hoc ipsi praeplaceret. Requidem vera angeli per illud sunt beatitudinem adepti. Adamus perseverare potuisset, verum deseruit, ideoque desertus est.

Adjutorium-quo. Sancti in malis versantur, vident enim legem spiritui contradicentem ; terret mundus ; non vident bona futura in praemium accipienda. Quocirca indigent gratia validiore, ut infirmitas juvetur. Sanctis in regnum praedestinatis datur adjutorium quo fit ut velint, quo perseverantes actu et nonnisi perseverantes sint, quo superbia humana exstinguatur, quo collatum est non posse peccare, non posse mori, non posse deserere, quo voluntas agitur indeclinabiliter (a justitia) et insuperabiliter (a concupiscentia) et nulla tentatione vincitur. — Illud adjutorium tale est, ut per illud homo reparet libertatem (potestatem) perditam, ut sine illo non possit apprehendere bonum nec permanere in illo ; ut per illud fiat ut homo velit indeclinabiliter, insuperabiliter, cum amore ; ut aliter fieri non possit ut homo velit. — Si in hoc statu naturae tantum daretur adjutorium-sine-quo-non, non posset homo remanere ; si Deus non operaretur velle in homine lapso, voluntas succumberet.

Innixi praecipue distinctioni augustinianae inter duplex adjutorium, contenderunt Lutherani, Calviniani et Janseniani in statu naturae integrae collatam quidem fuisse gratiam sufficientem, verum in statu naturae lapsae omnem gratiam efficacem mente Augustini esse intrinsece necessitantem ; Augustiniani eam esse relative victricem ; Neothomistae plerique eam esse physice praedeterminantem ; Congruistae eam esse congruam adeoque dari sub praedefinitione formali operum bonorum. — Contendimus verba Augustini, quorum analysis facta est, exigere aliam interpretationem, ita nempe ut tantum affirment in genere aliquam praedestinationem ad gloriam, praedefinitionem, collationem gratiae infallibiliter efficacis aliorumque donorum ; de natura vero seu specie praedestinationis ad gloriam, praedefinitionis operum bonorum, deque natura gratiae efficacis prorsus praescindant. Itaque, cum iste locus indifferens sit, ex aliis s. Doctoris locis constare debet quaenam sit natura efficaciae gratiae inclusae in adjutorio-quo. Quare

affirmamus ex iis locis quae in prioribus partibus thesis sunt proposita, constare gratiam, quam complectitur adjutorium-quo, esse efficacem ab extrinseco, quod sic ostenditur :

Juxta Augustinum adjutorium-sine-quo-non conferebat Adamo posse velle, posse perseverare, posse non peccare, posse non mori, posse non deserere, adeo ut ipsum velle, perseverare, etc. fuerit permissum libero ejus arbitrio. — Adjutorium-quo praedestinatis datum ipsis confert ipsum velle et perseverare, non posse peccare, non posse mori, non posse deserere, voluntatem indeclinabiliter inhaerentem justitiae et a tentatione insuperabilem. — Porro illa verba Augustini possunt inspici seorsim ab aliis scriptis ejusdem doctoris, et possunt conferri cum alibi dictis.

Si *seorsim* inspiciuntur, patiuntur triplicem interpretationem : — a) Gratiae actuales Adamo collatae non erant praedeterminantes, sed vere et relative sufficientes. Contra gratiae praedestinatae electis in statu naturae lapsae sunt praedeterminantes. — b) Gratiae non dabantur Adamo ex praedefinitione operum ; nunc gratiae dantur ex praedefinitione, eaque formali actuum bonorum et ex praedestinatione ad gloriam antecedenter ad praevisa opera bona. — c) Gratia Adami concipitur ab Augustino praecedere usum scientiae mediae et tantum decerni, praelucente scientia simplicis intelligentiae ; quare non praevidetur infallibiliter jungenda cum effectu, adeoque non datur actu velle, sed posse bene facere, posse non peccare etc. — Contra, gratia praedestinatorum concipitur subsequi usum scientiae mediae ; quare praevidentur conjungendae cum effectu. Eo quod Deus eligit gratiam praescitam conditionate efficacem, omissa gratia praescita conditionate pure sufficienti, recte asseritur conferre homini ipsum velle, non posse peccare (consequenter ad conditionate praevisum actum), non posse mori, non posse deserere etc.

Secundum tertiam istam interpretationem, sic disponuntur instantia rationis : Primum : Scientia simplicis intelligentiae, qua cernitur possibilitas consentiendi gratiis. — Secundum : Decretum dandi Adamo gratias vere et relative sufficientes ad perseverandum. — Tertium : Scientia visionis de lapsu Adami. — Quartum : Scientia media, qua cernitur quinam in variis ordinibus gratiarum salvi, quinam reprobi fierent, si decerneretur redemptio, Incarnatio Verbi, restauratio ordinis supernaturalis. — Quintum : Decretum de Incarnatione et de certo ordine distributionis gratiarum. — Sextum : Scientia visionis operum electorum.

Si quaeritur cur Deus concipiatur ab Augustino usus esse duplici ista oeconomia, respondet ipse rationem esse ut prius ostenderet quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset gratiae beneficium (n. 27). Ratio etiam esse potest quia Deus noluit decernere Incarnationem, nisi prius certum fuerit multos esse salvandos per merita Christi, Christumque ita fore caput Ecclesiae triumphantis. Ratio potest etiam esse quia voluit sanctitatem Ecclesiae a Christo fundandae esse conspicuam omni aetate. Alia adhuc ratio potest esse quia Deus saepe per anthropomorphismum exhibetur operans ad instar hominis. Porro Adamo praestitit auxilia sufficientia ad retinendam justitiam originalem ; exitus fefellit spem ; quare cautius deinceps agens jam non decernit dare gratias nisi sub praevisione conditionata usus gratiarum.

Sane admittendum est istam interpretationem posse dari verbis s. Augustini, si absolute inspiciuntur, adeoque invalidum ex iis peti argumentum ad demonstrandam praedestinationem antecedentem ad gloriam, praedefinitionem formalem operum bonorum, potissimum efficaciam gratiae ab intrinseco.

Si *comparative* sumuntur, seu si conferuntur verba Augustuni cum aliis locis, patet tertiam interpretationem esse solam ad mentem Augustini. Id enim de natura efficaciae gratiae constat ex locis quae allata sunt in prioribus partibus hujus thesis. De praedestinatione consequente ad gloriam seorsim adeoque de praedefinitione virtuali, id est manifestum ex iis quae in tractatu de Deo uno disputantur. Utrumque constat etiam quia Augustinus in libro *de praedestinatione sanctorum* (quo respondet Prospero et Hilario petentibus quomodo loca modo allata *de correptione et gratia* essent intelligenda) asserit sententiam suam non differre a sententia aliorum Patrum, dum hi intelligantur esse locuti de praescientia meritorum supernaturalium. Jamvero, fatentibus Neothomistis, hi Patres defendebant gratiam esse ab extrinseco efficacem et praedestinationem consequi praescientiam meritorum. Denique constat ex verbis s. Prosperi in responsionibus ad Capitula Gallorum supra allatis.

251. — **Scholion I^m^.** *Adjutorium-sine-quo-non* complectebatur dona habitualia et gratias actuales sufficientes ad perseverandum in statu integritatis et ad merendum vitam aeternam. — Eo contenta fuisse dona habitualia liquet quia Adamus dicitur in eo potuisse permanere, illudque potuisse deserere ; haec autem conveniunt apprime donis habitualibus, non vero solis donis actualibus. — Contentas fuisse gratias actuales constat, quia ex una parte juxta Augustinum per illud Adamus poterat perseverare, non peccare, non mori, adeoque instruc-

tus erat viribus sufficientibus ad illa ; ex altera parte tenebat Adamum eguisse gratia actuali, uti ostensum est.

Scholion. II^m *Adjutorium-quo* confert praedestinatis auxilia externa et interna quibus reapse finaliter perseverent ; adeoque est causa efficiens perseverantiae, utpote complexus horum auxiliorum. Insuper afficiebat electos intrinsecus, eisque tribuebat perseverantiam passivam, sive aliter est causa formalis, cujus effectus est perseverantia passiva cui annectitur aeterna beatitudo.

A. Est *causa efficiens perseverantiae* electorum, ratione auxiliorum externorum et internorum quae eo continentur. — 1. Spectat ad solos praedestinatos : Augustinus enim distinguit duas classes hominum. Alii constituunt massam damnationis, in qua comprehenduntur hi qui Evangelium non audierunt ; qui, eo audito, se non converterunt ; qui post conversionem sunt relapsi ; qui mortui sunt sine baptismo. Alii sunt discreti ab hac massa damnationis, non meritis suis sed gratia Salvatoris, electi sunt ante mundi constitutionem, iis procuratur Evangelium audiendum, fides, justificatio, matura mors, si opus est. Inter eos non recensentur multi ex his qui pie nunc vivunt, quia Deus praescit eos non esse perseveraturos. — 2. Iis conferri auxilia externa, constat quia datur iis occasio audiendae praedicationis Evangelii, avertuntur a peccato, acceleratur mors, etc. — 3. Conferri auxilia interna, constat quia datur gratia medicinalis qua indigent hi qui sentiunt in membris legem repugnantem spiritui.

B. Est *causa formalis perseverantiae passivae.* — 1. Habet rationem causae formalis. Patet a) vi vocis : adjutorium-*quo*. Patet b) quia de illo adjutorio dicitur electos ad gloriam eo adjutorio perseverantes esse et nonnisi perseverantes [1]. Demum patet c) ex comparatione cum beatitudine et oppositione cum adjutorio *per quod* aliquid fit, vel cum adjutorio alimentorum (n. 34), vel cum adjutorio per quod Adam posset non mori, non peccare, bonum non deserere (n. 29). — 2. Effectus formalis est perseverantia passiva. Illud enim constat tum ex verbis modo allatis, tum quia Augustinus n. 34 diserte id affirmat : « Sanctis in regno datur adjutorium quo perseverent ; » tum quia de perseverantia procedebat tota quaestio. Dixerat enim Augustinus alios esse perseveraturos, alios non, perseveraturos a Deo praesciri, iis procurari Evangelium audiendum etc. Concludit omnes esse corripiendos, correp-

(1) Aug. *De corr. et gr.* n. 34. M. XLIV, 937. Cf. *in Ps.* CXLVII. M. XXXVII, 1931 : « Quid calidius ipso calore, quo calet quidquid fit calidum... ; quid velocius ipsa velocitate, qua velox est quidquid velociter currit. »

tionem esse cessuram aliis in misericordiam, aliis vero in judicium. Quibus dictis, alia oritur quaestio : Quaeritur a nobis, quantum attinet ad perseverantiam in finem, quid de primo homine sentiamus (n. 26). Illico respondet ipsi collatum esse adjutorium-sine-quo-non, praedestinatis vero adjutorium-quo.

Satisfit difficultatibus.

252. — Argumenta, quibus Bannesiani probare tentant Augustinum docere gratiam esse efficacem ab intrinseco, in decursu probationis proposita fuerunt. Restat ut in medio ponantur quaedam locutiones quae specietenus favent praedefinitioni formali. — Advertere juvat Augustinum nullibi ex professo examinasse utrum Deus formaliter definiat omnia opera bona, neque utrum ad gloriam praedestinet antecedenter ad praescita merita supernaturalia. Ex eo factum est ut varia systemata Augustinum sibi arripere tentent, asserentia nempe eum, dum alias quaestiones tractaret, cum hac nexas, ea inseruisse e quibus logice deducitur praedefinitio formalis.

Obj. 1° Augustinus admisit praedestinationem ad gloriam independentem a meritis eorumque praescientia, uti patet ex objectionibus contra ejus systema oppositis. Ergo admisit etiam praedefinitionem formalem.

Resp. *Dist. ant.* Independentem a meritis *naturalibus*, *Conc.;* a meritis *ex auxilio gratiae*, *Subd.* admisit Augustinus praedestinationem ad gloriam independentem a meritis *absolute* praevisis, *Conc.;* independenter seu antecedenter ad *omnem* praevisionem meritorum, *Neg. Dist. cons.* Augustinus propugnat necessitatem gratiae ad omne opus salutare ; negat gloriam a Deo praedestinari ob praescita merita naturalia. In ultimo opere adversus semipelagianos conscripto, asserit impediri atque subverti hac praedestinationis praedicatione illum tantummodo perniciosissimum errorem, quo dicitur gratiam Dei secundum merita nostra dari (1).

Obj. 2°. Saepe asserit Augustinum Deum velle absolute opera bona.

Resp. Talis locutio vera est non modo in systemate quo actus dicuntur praedefiniri formaliter et effici aut per gratias ab intrinseco efficaces aut per gratias congruas, sed etiam in systemate quo actus dicuntur nonnisi virtualiter praedefiniri.

Obj. 3°. Juxta Augustinum a) electi vocantur secundum propositum (2) ;

(1) Cf. Aug. *De dono perseverantiae*, n. 42. M. XLV, 1019. — (2) Id. *De corr. et gr.* n. 16.

b) ex hoc proposito procedit collatio gratiarum efficaciam qua Deus efficit ut homines faciant opera bona ([1]). Ergo Deus praedefinit formaliter opera bona.

Resp. Juxta Augustinum secundum propositum vocantur soli electi, seu hi quibus praedestinatur series gratiarum efficacium ad perseverantiam finalem perducentium (quo sensu non semper occurrit ista locutio apud Paulum) ; praescindit iste modus loquendi a quaestione utrum praedefiniantur formaliter opera bona ob praedestinationem ad gloriam antecedenter ad praescita merita supernaturalia, an virtualiter cum praedestinatione consequente. Sane si Deus, praelucente scientia media de variis ordinibus gratiarum in quorum singulis alii reprobarentur alii salvarentur consequenter ad merita supernaturalia aut demerita, unum ordinem prae ceteris ordinibus eligit, hi, qui in hoc ordine salvabuntur, dici possunt vocati secundum propositum ; illud enim propositum, respiciens salvandos, est implicitum in voluntate ad certum ordinem gratiarum terminata ; verum ideo hoc propositum non praecedit usum scientiae mediae. Inde *distinguitur 1ª pars ant.* Electi vocantur secundum propositum, h. e. secundum voluntatem absolutam operum bonorum *antecedenter ad conditionate praevisum consensum* gratiis *Neg.* ; secundum propositum, h. e. secundum voluntatem qua eligitur unus ex innumeris ordinibus, in quo, consequenter ad merita conditionate praevisa, certi homines salvarentur, *Conc.* — Eodem modo distinguuntur reliquae partes.

Obj. 4°. Juxta Augustinum occultatum fuit a Deo quinam sint electi, ne inflarentur ; ut autem hoc occultatum maneret, multis, postea reprobandis, conferuntur gratiae quibus pie vivunt per aliquod tempus. Atqui hic modus loquendi clare indicat judicio Augustini actus bonos formaliter praedefiniri et praedestinationem ad gloriam esse gratuitam.

Resp. Is est sensus verborum Augustini : Per scientiam mediam Deus cognoscit quinam gratiis ita uterentur, si eis conferrentur hae gratiae, ut salvi fierent ; quinam vero iis denegarent assensum et reprobarentur. Porro praevisio conditionata consensus negati non fuit ratio eligendi alium ordinem in quo nulla gratia daretur ei qui denegaret consensum et se non salvaret ; si enim talis oeconomia a Deo electa fuisset, palam fieret quinam sint electi et exin inflarentur hi qui gratiis efficacibus donantur.

([1]) Aug. *De corr. et gr.* n. 12. *De praed. SS.* n. 19.

§ 2. De mente s. Thomae circa efficaciam gratiae [1].

253. — Quaeritur utrum judicio Angelici actus salutaris fiat beneficio gratiae efficacis ab intrinseco an ab extrinseco ; sive aliter utrum voluntas ad actus meritorios praedeterminetur natura prius quam agit, an se ipsam determinet. Non alia est doctrina Angelici de actibus naturalibus. Quare quaestio sic proponi valet : Utrum Deus agentia libera praemoveat ac praederminet ad actum liberum, an contra praestet concursum simultaneum et indifferentem.

Observa. Non contenditur eodem modo liberum arbitrium constitui in actu primo proximo ad actum secundum naturalem et ad actum salutarem ; si enim agitur de actibus ordinis supernaturalis, actus primus determinatur per Deum, contra si agitur de ordine naturali per se determinatur causis secundis. Verum, semel posito actu primo ordinis supernaturalis, arbitrium praevie elevatum transit ad actum secundum eodem modo atque in ordine naturali. Quaeritur autem quisnam sit hic modus juxta Angelicum.

SENTENTIAE. I^a est Bannesianorum contendentium doctrinam suam de praemotionibus et praedeterminationibus clare propositam esse ab Aquinate.

II^a est plerorumque Molinianorum asserentium Angelicum prorsus adversari praedeterminationibus physicis ad actiones liberas.

Ubi inquirunt quid apud s. Thomam audiat *motio Dei* in arbitrio hominum recepta, abeunt in varias explicationes.

1. Alii asserunt hanc motionem non esse aliam nisi *concursum Dei simultaneum et indifferentem*, qualis propugnatur a Molinianis.

2. Alii volunt hanc motionem consistere *in ultima sufficientia ad agendum* quam Deus voluntati impertitur. Hac sufficienta habita, aiunt, penes voluntatem est agere aut non agere, agere unum ex diversis, proindeque gaudet arbitrium triplici libertate. — Patet hac sententia inexplicatam relinqui Dei motionem, nisi ulterius dicatur in quonam reponatur haec sufficientia.

3. Alii dicunt Dei motionem, de qua frequenter loquitur Aquinas,

---

(1) Consulantur : Schneemann, S. J. *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus* (1881). R. P. Dummermuth, O. P. *S. Thomas et doctrina praemotionis physicae*, seu *Responsio ad R. P. Schneemann, aliosque scholae Thomisticae impugnatores* (1886). — R. P. Frins, S. J. : *S. Thomae Aq. O. P. doctrina de cooperatione Dei cum omni natura creata, praesertim libera..., responsio ad R. P. F. A. M. Dummermuth., O. P.* (1892). — R. P. De San, S. J. *De Deo uno*, t. I. *Disquisitio de mente s. Thomae circa praedeterminationes physicas*, pp. 545-746.

consistere *in tendentia a Deo voluntati impressa ad bonum in communi seu ad finem ultimum*, qua recepta, voluntas se determinat ad bonum particulare. Ipsa haec tendentia duplici modo explicatur — a) Secundum alios Deus, judicio Angelici, praefatam tendentiam voluntati imprimit *quoties haec ad actum secundum transit;* itaque Deus voluntatem praemovet ad singulos actus : ita vero eam praemovet, ut adstringatur quidem voluntas ad agendum, sed ei relinquatur specificatio actionis, adeoque voluntas se determinet ad volendum vel ad nolendum, ad volendum unum ex diversis. Stante hac explicatione, homo instruitur quidem libertate specificationis et contrarietatis, sed non gaudet libertate contradictionis. Sic. P. Daniel (1). — b) Secundum alios Deus, judicio Angelici, non efficit in voluntate humana tendentiam ad bonum universale quoties voluntas aliquem actum liberum elicit ; verum eam semel voluntati impressit in creatione animae, sive aliter creavit animam cum tendentia fundamentali ad bonum universale. Secundum hanc explicationem, ubi intellectus offert voluntati bonum particulare, voluntas, vi tendentiae fundamentalis ipsi a Deo impressae, se determinat ad volendum, aut ad nolendum, aut ad abstinendum ab omni actu, adeoque salva remanet triplex libertas voluntatis.

Secundum utramque harum explicationum in actu libero invenitur elementum necessarium a Deo determinatum, sc. inclinatio in bonum, et elementum liberum a voluntate creata determinatum (2).

Licet omnino consentiamus iis qui defendunt s. Thomam aeque adver-

(1) Daniel. *Ep.* vi, *ad Natalem Alex. O. P.* Vid. *Thes. theol.* Zacchariae, t. II, p. Ia, Controv. IIa, opusc. Im, p. 146 sq. Talem esse Aquinatis sententiam ex diversis locis colligi autumant inter quae potissimus est art. 7, q. iii. *de pot.* inter quaest. disp. Conclusio istius loci haec est : « Deus est causa actionis cujuslibet in quantum dat virtutem agendi, in quantum conservat eam et *in quantum applicat actioni*, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cum conjunxerimus his quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet non sicut pars essentiae, sed sicut tenens rem in esse, sequetur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturae. » — Dicit P. Daniel sic explicari locutiones ab Angelico usurpatas : Deus operatur in operatione creaturae. Deus creaturam applicat ad agendum. Deus habet rationem causae primae, creatura vero rationem causae secundae ; causa autem prima se habet ad causam secundam uti prius ad posterius. Voluntas non agit nisi mota a causa prima.

(2) Sequenti hypothesi hanc sententiam declarat P. Cornoldi : « Finge, inquit, te projicere lapidem manu forti, et quod lapis projectus possit se per se diversimode inflectere in suo motu, modo ex una, modo ex altera parte. Lapis sic projectus necessario movetur, quatenus est motus ; quaevis autem peculiaris inflexio a te projiciente provenit ; at, quatenus haec vel illa est inflexio ex ipso lapide procedit, posita tali imaginaria hypothesi. Eodem modo Deus dedit voluntati impulsionem in bonum ; virtute hujus generalis impulsionis, voluntas semper in id, quod sibi tanquam bonum objicitur, movetur, sed ad hoc vel illud bonum ipsa libere se movet. Deus autem in ordine naturae haudquaquam primo impulsui novos superaddit, si de hoc vel illo bono agitur. » *Filosofia scolastica* 1875. Lezione lxxviii, p. 670.

Alia similitudine communiter utuntur, scil. venti qui dum navim impellit portum non

sari praemotionibus et praedeterminationibus ad unum, ne tamen materia in immensum excrescat, in sequentibus abstrahemus utrum Angelicus adhaeserit praemotioni quae non sit praedeterminativa, an tenuerit concursum Dei esse indifferentem et concomitantem ; unum contendimus, nempe doctrinam Bannesianorum de praedeterminationibus physicis ad unum, nullum agnoscere fundamentum in scriptis praeceptoris Angelici.

THESIS XXXIX[a]. — Doctor Angelicus prorsus adversatur systemati Neothomistarum de praedeterminationibus physicis. In specie ista doctrina nullatenus fundatur in scriptis s. Thomae prouti extenditur ad actus salutares.

254. — I. Angelicus generatim adversatur praedeterminationibus Neothomistarum.

I[m] Arg. Juxta Angelicum voluntas est quae per seipsam determinat actum ; falsum est eam a Deo determinari. Atqui juxta Praedeterminantes voluntas se non determinat ad actum hunc aut illum, sed determinatur a Deo natura prius quam agit. Ergo.

Major constat ex a) 2 d. 25, q. 1, a. 1, ad 3[m] ([1]) (per totam hanc quaestionem agit Aquinas de libertate) ; b) 2 d. 28, q. 1, a. 1 ([2]) ; c) 2 d. 39, q. 1, a. 1 ([3]) ; d) 2 d. 39, q. 1, a. 2, ubi Aquinas repetit rationem peccati ex eo quod homo habet dominium actuum, quod ejus potentia

determinat : haec enim determinatio gubernanti relinquitur. Unde, quod in certum locum dirigatur, a gubernante est. Similiter Deus suo influxu voluntatem impellit ad bonum universale, sed hic influxus diversimode a voluntate modificatur et determinatur, sine ulla nova motione vel determinatione. Cf. Schneemann, op. cit. p. 76.

([1]) Angelicus in 2 d. 25, q. 1. a. 1, quaerit utrum in Deo sit liberum arbitrium. Movet hanc objectionem 3[m] : « Praeterea videtur quod nec in aliquibus creaturis sit. Ad libertatem enim liberi arbitrii pertinet ut aliquis sit dominus sui actus. Sed cujuscumque agentis actus ab aliquo priore agente causatur, ipse agens non est dominus sui actus. Cum igitur cujuslibet creaturae actus in causam priorem reducatur, quae est ipse Deus qui omnia opera nostra in nobis operatur, ut Is. xxvi dicitur, videtur quod liberum arbitrium in creatura nulla inveniatur. »

Hanc objectionem sic solvit Aquinas : « Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem. Unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi et determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem sibi ministret, et, ipso operante, liberum arbitrium agat, sed tamen *determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituatur, unde remanet sibi dominium sui actus*, licet non ita sicut primo agenti. »

([2]) Id. « Non esset homo liberi arbitrii, *nisi ad eum determinatio sui operis pertineret.* » In 2 d. 28, q. 1, a. 1.

([3]) Id. « Potentia voluntatis, quantum est ex se, indifferens est ad plura ; sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, *non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* » In 2 d. 39, q. 1, a. 1.

ad plura se habet, et non determinatur nisi ex seipsa ; e) 4 d. 49, q. I, a. 3, q. II, ad 1m ; f) *de ver.* q. XXII, a. 6, ad 1m ; g) *de pot.* q. III, a. 7, ad 13m (1) ; h) Ia IIae, q. IX, a. 6, ad 3m (2).

IIm Arg. Juxta Aquinatem homo habet dominium actuum suorum : Sic a) 2 d. I et 4 d. (cfr. n. I) ; b) *de pot.* q. III, a. 7, ad 12m (3) ; ib. ad 13m. Atqui illud dominium penitus subruitur per praedeterminationem physicam. Ergo. — *Prob. min.* Ut homo sit dominus sui actus, exigitur ad minimum ut penes ipsum sit ponere actum hunc potius quam illum. Atqui, stante Bannesianismo, penes solum Deum est ut homo efficiat actum hunc aut illum. Ergo Deus est in hoc systemate dominus actus hominis, non vero homo.

IIIm Arg. Secundum s. Thomam, ut salva sit libertas actionis, exigitur ut determinatio operis non procedat ab alio, sed ab ipso arbitrio secundum cognitionem propriam. Atqui hoc falsificatur, admissis praedeterminationibus Bannesianorum : Tenent enim actionem hominis esse liberam, licet determinetur ab alio. — *Patet major* ex variis locis : a) 2 d. 25, q. I, art. I, ad 1m, Angelicus ostendit liberum arbitrium esse in Deo, siquidem determinatio actus divini non est ab alio, sed ab ipso Deo. b) In corpore articuli : « Et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus. » c) In 2 d. 28, q. I, art. I : « Non enim esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc aut illud. »

IVm Arg. S. Thomas distinguit ea ad quae voluntas determinatur impressione Dei, et ea quae sibi ipsa determinat ; asseritque voluntatem a Deo quidem determinari ad finem ultimum et proinde hominem nihil posse in oppositum ; sibi vero determinare media ad finem et posse in oppositum eorum (in 4. d. 49, q. I, a. 3, quaest. II, ad 1m). Atqui si admittuntur praedeterminationes physicae, falsum est voluntatem sibi determinare media quae sunt ad finem ultimum, siquidem ad ea determinatur per motionem transeuntem Dei. Ergo.

---

(1) Id. « Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causae primae, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam ; et ideo *determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.* » *De pot.* q. III, a. 7, ad 13m.

(2) « Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis quod est bonum, et sine hac motione homo non potest aliquid velle. *Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud.* » Ia IIae, q. IX, a. 6, ad 3m.

(3) « Deus voluntati hominis dedit *dominium sui actus, ut non esset obligatus ad alteram partem contradictionis.* » *De pot.* l. c. ad 12m.

Eamdem distinctionem proponit Aquinas q. XXII *de ver.* art. 6, ad 1m, ubi dicit esse animae determinari a Deo, velle autem liberum determinari ab ipsa anima, proindeque esse indeterminatum et flecti posse ad opposita. Patet excludi omnem determinationem a causa prima, siquidem omnis determinatio adscribitur causae secundae.

Vm Arg. Juxta Angelicum Deus ita movet voluntatem, ut voluntas possit ipsi resistere. Cf. a) *quodl.* I, a. 7, ad 2m (1); b) *de malo.* q. VI, a. un., ad 15m (2). Atqui hoc iterum falsificatur bannesianismo, quo non relinquitur homini nisi posse irreductibile ad actum, quod sane est alienum a mente Angelici. Ergo.

VIm Arg. Immo praeceptor Angelicus non tantum negat voluntatem humanam a Deo praedeterminari ad agendum, sed idem universaliter negat de omni causa secunda. Manifeste enim ejus doctrina est concursum, quo causa prima attingit effectum secundum rationem communem, determinari concursu causarum secundarum attingentium eumdem effectum secundum rationes particulares : sic nominatim in III l C. G. c. LXVI (3); q. I, *de pot.* a. 4, ad 3m (4); q. V *de ver.* a. 9, ad 10m (5); in 2 d. 1, q. 1, a. 4 (6). Atqui hoc falsificatur, posito causam secundam a Deo praedeterminari ad unum, adeoque eam in effectu non causare nisi id ad quod determinatur divina praemotione.

CONFIRMATUR. 1 : Numquam occurit apud s. Th. terminus « praedeterminatio, praedeterminare », sensu Bannesianorum. Jamvero si admisisset pro vero id quod vocabulo significatur, non omisisset adhi-

(1) S. TH. « Deus movet omnia secundum modum eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate, propter quod virtus rationalis se habet ad opposita, et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere. » *Quodl.* I, a. VII, ad 2m.

(2) Id. « Illa causa quae facit voluntatem aliquid velle (Deus, mediante motione), non oportet quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari vel removendo talem considerationem quae inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum. » *De malo*, q. VI.

(3) Id. « Secundum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est esse ; nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Igitur esse est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt ipsum, in quantum agunt in virtute primi agentis. Secunda autem agentia, quae sunt particulantia et determinantia actionem primi agentis, agunt sicut proprios effectus alias perfectiones quae determinant esse. » C. G. III, LXVI.

(4) Id. « Licet causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur et specificatur. » *De pot.* q. 1, a. 4, ad 3m.

(5) Id. « Causa primaria plus dicitur influere in effectum quam causa secunda, in quantum ejus effectus est intimior et permanentior in causato quam effectus causae secundae, tamen magis assimilatur causae secundae, quia per eam determinatur actus causae primae ad hunc effectum. » *De ver.* q. II, a. 9, ad 10m.

(6) Id. « Horum causa etiam Deus est.... quia ipse est dans esse rebus ; causae autem aliae sunt quasi determinantes illud esse. » In 2 d. q. 1, a. 4.

bere hunc terminum. Ratio est multiplex : a) hic terminus non erat ignotus e. s. Thomae ; b) clarissime exprimit doctrinam Bannesii ; c) est omnino obvius ad exprimendam rem significatam, immo vix datur alius terminus breviter et dilucide hanc doctrinam significans.

2. Numquam occurrit apud Angelicum proposito familiaris Bannesianis : « sub Dei motione, impossibile est et implicat hominem non agere. » Contra occurrunt saepe propositiones omnino oppositae.

3. S. Th. ubi asserit et probat Deum praescire futura contingentia, numquam recurrit ad praemotiones aut decreta Dei, sed ad aeternitatem ratione cujus Deus intuetur in se futura libera. Jamvero si admisisset praemotiones, non neglexisset id medium tam obvium et tam facile explicandi scientiam divinam.

255. — II. Speciatim ad actum salutarem nulla dicitur ab Aquinate requiri praedeterminatio supernaturalis.

I^m Arg. Juxta Angelicum, haud secus ac juxta Molinianos, gratia adjuvans non differt realiter a gratia excitante, sed tantum ratione muneris diversi. Consistit nempe, ejus judicio, gratia in supernaturali illustratione intellectus a Deo effecta et in supernaturali inspiratione voluntatis ; hi vero motus dicuntur gratia excitans et praeveniens prouti praeveniunt consensum voluntatis et ad eum excitant, gratia adjuvans prouti in consensum voluntatis influunt. Quamobrem gratia efficax judicio Angelici non differt a gratia pure sufficienti nisi extrinsecus : idem enim auxilium Dei est efficax aut pure sufficiens, prouti conjungitur cum consensu voluntatis a Deo conditionate praescite aut cum hoc consensu non conjungitur. Ergo gratia adjuvans non reponitur a s. Thoma in qualitate supernaturali qua voluntas physice praedeterminetur ad agendum.

Prob. ant. cum R. P. De San [1]. 1. Gratiam actualem, non exclusa sed diserte inclusa gratia efficaci, vocat s. Thomas instinctum (I^a II^ae, q. LXVIII, aa. 1 et 2 ; *de Verit.*, q. XXIV, a. 15 ; *in Rom.* VIII, lect. III^a et VI^a ; in Jo. VI, lect. VI^a), inspirationem (I^a II^ae, q. LXVIII, a. 1), excitationem (*de Verit.*, q. XXIV, aa. 9 et 15), illustrationem interiorem (*in Rom.* VIII, lect. 3^a), vocationem internam (*in Rom.* VIII, lect. VI^a), illuminationem et inspirationem internam (*in Jo.* VI, lect. VI^a). Sed haec omnia nomina, uti manifestum est, sonant actus quosdam intellectus vel voluntatis ; in talibus proinde actibus sita est secundum s. Doctorem omnis omnino gratia actualis.

(1) De San, l. c. p. 695 sq.

2, In sent. II, d. 28, q. 1, a. 4, ad 2m : « Dicendum, inquit s. Doctor, quod homo non potest se ad gratiam praeparare, nec aliquod bonum facere sine Dei auxilio : et ideo rogandus est ut nos ad se convertat et etiam alios. Nec tamen oportet quod illud auxilium semper sit per aliquem habitum infusum, sed potest esse per multa quae exterius sunt salutis occasio, et per ipsum actum interiorem quem Deus in nobis causat. » Ubi, sicut dicendo « Non oportere quod auxilium Dei semper sit per habitum infusum, » s. Doctor denotat in tali habitu consistere omnem gratiam habitualem, ita dicendo « Auxilium Dei posse esse per ipsum actum interiorem, » ipse clare denotat in tali actu consistere omnem gratiam actualem interiorem.

3. In Ia IIae, q. CX, agens de gratia, quantum ad ejus essentiam, quaerit s. Doctor « utrum gratia sit qualitas. » Referensque se ad distinctionem gratiae in actualem et habitualem, respondet quaestioni duplici conclusione juxta duo distinctionis membra hoc modo : « Respondeo dicendum quod, sicut jam supra dictum est, in eo qui dicitur gratiam Dei habere, significatur esse quidam effectus gratuitae Dei voluntatis. Dictum est autem supra quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo, in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, *sed motus quidam animae:* actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur in III Phys... Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundum quod aliquod habituale donum a Deo animae infunditur... Et sic donum gratiae qualitas quaedam est. »

Ex hoc loco, qui in re praesenti est palmaris, manifestissime colligitur intentum. Nihil enim ex totis operibus s. Thomae est notius, quam nomine « *motuum animae* » non significari ab eo nisi operationes elicitive procedentes ab anima. Sicuti, attento usu loquendi non solum ipsius sed omnium omnino scholasticorum, « motus intellectus » non dicuntur nisi operationes intellectus, et « motus voluntatis » non dicuntur nisi operationes voluntatis. Quando ergo s. Doctor loco citato decernit gratiam actualem esse « motum quemdam animae, » ipse disertissime docet gratiam actualem non consistere nisi in actibus quibusdam intellectus et voluntatis. Et quidem talem doctrinam ipse tradit de omni omnino gratia actuali, h. e. tam de gratia efficaci quam de gratia sufficiente, uti constat ex eo quod, attento ejus usu loquendi, nomine auxilii Dei moventis, de quo auxilio universim sumpto prima ejus conclusio procedit, denotatur omnis gratia interior quae sit alia a dono

gratiae habitualis. — Unde tum ipsomet loco summae theologicae proxime citato, tum in eadem summae parte, q. CIX, aa. 2, 3, 5, 6, 9, q. CXI, a. 2, q. CXII, a. 2, ipse gratiam, qua late patet, asserit dividi in gratuitum auxilium Dei moventis et donum habituale gratiae.

II^m Arg. Gratia quae, ratione entitatis suae seu intrinsecae virtutis, potest conjungi cum non usu suo seu cum carentia effectus, sive, quod in idem incidit, gratia cui ab homine resisti potest, haec, inquam, gratia non praedeterminat physice ad actum salutarem. Atqui juxta s. Thomam omnis gratia, quantum attinet ad entitatem ipsius, seu ad intrinsecam virtutem, potest conjungi cum non usu ipsius; eidem gratiae resisti potest ab homine. Ergo juxta s. Thomam nulla gratia consistit in praedeterminatione physica. — *Prob. min.* cum R. P. De San [1]. 1. In I, q. LXII, a. 3, ad 2^m : « Dicendum, inquit, quod omnis forma inclinat suum subjectum secundum modum naturae ejus. Modus autem naturalis intellectualis naturae est ut libere feratur in ea quae vult. Et ideo inclinatio gratiae non facit necessitatem, sed *habens gratiam potest ea non uti et peccare.* »

Fatendum est quidem ea verba scripta esse de gratia habituali : nam de illa tractatur in corpore articuli et in argumento ad quod respondet s. Thomas. Nihilominus tamen ex eis efficaciter arguitur pro repudiabilitate gratiae efficacis, et hoc propter duo : *Primo*, propter rationem qua utitur s. Thomas ad probandam gratiam habitualem posse non-usu suo abjici. Nam si propterea quod gratia habitualis inclinat voluntatem secundum modum naturae ejus, habens gratiam habitualem potest ea non uti et peccare ; ergo, a pari, quia etiam gratia efficax inclinat voluntatem secundum modum naturae ejus, habens gratiam efficacem potest ea non uti et peccare. *Secundo* ex iisdem verbis efficaciter arguitur pro intento propter necessariam connexionem quam habet usus gratiae habitualis cum usu gratiae actualis. Gratia enim habituali in tantum aliquis utitur vel non utitur, in quantum utitur vel non utitur virtutibus infusis cum gratia habituali cohaerentibus, quia secundum doctrinam quam tradit s. Thomas in I^a II^ae, q. CX, a. 4, ad 1^m et ad 2^m, gratia habitualis, cum non sit habitus per se et directe operativus, non influit in operationem salutarem nisi mediantibus virtutibus ab ea procedentibus ; ipsis autem virtutibus infusis in tantum aliquis utitur vel non utitur, in quantum utitur vel non utitur gratia actuali, quia uti idem doctor angelicus perhibet in I^a II^ae, q. LXIVII, a.

(1) De San, op. cit. p. 697 sub. litt. B.

2, in corp. et ad 2m, ad usum virtutum infusarum homo indiget motione gratiae actualis. Ex quibus a primo usque ad ultimum sequitur, si universaliter verum sit id quod loco supra citato asserit s. Doctor, eum qui habet gratiam habitualem posse ea non uti et peccare, oportere etiam universaliter verum esse eum qui habet gratiam actualem, posse non uti ea gratia et peccare. Et quia hoc non esset universaliter verum, si habens gratiam efficacem non posset ea non uti et peccare, oportet ultimato concludere de mente s. Thomae verbis supra citatis esse asserere gratiam efficacem, quantum est ex se, posse conjungi cum non-usu ejus.

2. « In *quodl.* I, a. VII, ad 2m, data opera agens de motione gratiae divinae : « Dicendum, inquit, quod Deus movet omnia secundum modum eorum : et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate, propter hoc quod natura rationalis se habet ad opposita ; et ideo sic movet Deus mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere, et sic ex Deo est quod homo se ad gratiam (justificantem) praeparet, sed quod careat gratia (justificante) non habet causam a Deo, sed ab homine secundum illud Oseae XIII, 9 ; « Perditio tua ex te, Israel, tantummodo ex me auxilium tuum. »

Et notanda est ratio propter quam asserit s. Doctor hominem motioni gratiae resistere posse. Haec videlicet ratio sumitur ab eo ex eo quod ratio liberi arbitrii exigit ut voluntas, etiam prouti afficitur motione gratiae, se habeat indifferenter ad opposita. Ex quo est manifesto consequens secundum s. Doctorem per motionem gratiae, si ei resisti non possit, induci necessitatem libero usui voluntatis repugnantem.

IIIm Arg. Secundum s. Thomam habitus infusi, qui vocantur dona Spiritus S., conceduntur homini justo, ut disponatur ad bene sequendam motionem gratiae actualis. Ergo secundum s. Thomam voluntas non indiget praedeterminari physice ad hoc ut salutariter operetur. Sequela est manifesta, quia si ad omnem actum salutarem exigitur praedeterminatio physica, hac lege ut repugnet actum salutarem fieri, quoties deest haec praedeterminatio, eumdem actum non fieri quoties praedicta praedeterminatio abest, prorsus inutilis est habitus ad hoc ut homo disponatur ad bene sequendam motionem gratiae ; contra utilissimi sunt hi habitus, posito gratiam esse efficacem ab extrinseco : tunc enim vere disponitur vo'untas ad consentiendum gratiae excitanti. — *Prob. ant.* In Ia IIae, q. LXVIII, a. 1 : « Oportet, inquit, homini

inesse altiores perfectiones secundum quas sit dispositus ad hoc quod divinitus moveatur, et istae perfectiones vocantur dona, non solum quia infunduntur a Deo, sed quia secundum ea homo disponitur ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina. » Quod repetens in ejusdem quaestionis articulo 2° : « Respondeo dicendum, inquit, quod, sicut dictum est, dona sunt quaedam perfectiones hominis, quibus disponitur ad hoc quod bene sequatur instinctum Spiritus Sancti. »

IV^{m} Arg. Juxta Angelicum inter electos jam in termino constitutos et electos adhuc in via peregrinantes, illud datur discrimen, quantum ad donum perseverantiae utrisque concessum, quod beati per gratiam consummatam determinantur ad bonum, electi vero, qui adhuc in via peregrinantur, per motionem gratiae divinae inclinantur ad bonum usque in finem vitae. Ergo gratia efficax non est juxta s. Thomam physice praedeterminans. Manifesta est sequela quia verba « inclinari ad bonum » accipiuntur a s. Thoma in sensu excludente determinationem ad bonum, siquidem secus evanescit differentia quam Angelicus intendit assignare inter donum perseverantiae quod erit in patria et donum perseverantiae quod conceditur in hac vita. — *Prob. ant.* « Respondeo dicendum, inquit in I^{a} II^{ae}, q. CXIV, a. 9, quod, cum homo habeat liberum arbitrium flexibile ad bonum et ad malum, dupliciter potest aliquis bonum perseverantiae obtinere a Deo. Uno quidem modo per hoc quod liberum arbitrium determinatur ad bonum per gratiam consummatam, quod erit in gloria. Alio modo ex parte motionis divinae quae hominem inclinat ad bonum usque ad finem. »

Scholion. Synopsis doctrinae s. Thomae circa gratiam :

1. Deus : a) est principium omnis motus in quolibet operante ; b) movet voluntatem ad objectum universale voluntatis ; sine hac motione nequit voluntas aliquid velle (I^{a} II^{ae}, q. IX, a. 6, ad 3^{m}); c) producit effectum qui est intimior et permanentior in causato quam effectus causae secundae (*de ver.* q. V, a. 9, ad 10^{m}) ; dat et conservat causae secundae virtutem agendi, eam applicat actioni (*de pot.* q. III, a. 7) ; sic vehementius imprimit (*de ver.*). — Ratio contingentiae non est quia Deus agit per causas contingentes, sed quia vult effectum esse contingentem.

2. Homo : a) quodammodo determinat actum causae primae ad effectum (*de ver.* q. V, a. 9, ad 10^{m}) ; b) habet dominium actus (*de pot.* q. III, a. 7, ad 12^{m}) ; c) non determinatur ad alteram partem contradictionis (ib.) ; d) potest resistere Deo ; e) habet penes se determinationem voluntatis, adeo ut ipsa se determinet ad hoc vel illud (I^{a} II^{ae}, q. IX, art. 6, ad 3^{m}).

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

256. — **Obj. 1°.** Ex eo quod s. Thomas dicit arbitrium creatum non determinari a Deo, perperam colligitur in argumentis Angelicum adversari praemotionibus. Etenim s. Thomas unice negat arbitrium determinari a Deo *per modum naturae*. Atqui praedeterminatio non est determinatio per modum naturae, sed per modum liberi. Patet major ex multis locis s. Th. inter quae l. II C. G. c. XLVIII ubi in fine haec habet : « Quaecumque igitur habent judicium de agendis non determinatum ad unum a natura, necesse est liberi arbitrii esse... Voluntas substantiae intellectualis non erit determinata a natura nisi ad bonum commune. Quidquid igitur offertur sibi sub ratione boni, poterit voluntas inclinari in illud, nulla determinatione naturali in contrarium prohibente. »

Resp. 1. S. Thomas in hoc loco asserit quidem voluntatem humanam, cum sit libera, non determinari per modum naturae ; verum ideo nec dicit nec supponit eam determinari physica determinatione. — 2. S. Thomas non suspicatus est determinationem per modum liberi ; omnis enim determinatio imponit necessitatem. Illud evidenter apparet ex duobus : a) Rejicit s. Doctor omnem determinationem quae componi nequit cum libertate ; jamvero multis ostensum est praedeterminationem physicam conciliari non posse cum libertate. — b) In aliis textibus bene multis supra allatis s. Thomas clare removet a voluntate hominis omnem determinationem ab alio, siquidem clare dicit modo voluntatem ex se ipsa determinari et hoc exigi ad libertatem, modo concursum Dei determinari et specificari a causa secunda.

Obj. 2°. Ex quaest. disp. *de Ver.* q. XXII, art. 8 : « Sicut omnis actio naturalis est a Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est a voluntate ut immediate agente, sed a Deo ut a primo agente, qui vehementius imprimit. » — Unde dupliciter arguitur : — 1. Actio voluntatis est etiam a Deo, immo Deus vehementius imprimit quam voluntas creata. Atqui hoc est verissimum, dato voluntatem a Deo praemoveri et praedeterminari a Deo, falsissimum autem est si Deus non praestat nisi concursum simultaneum et indifferentem. — 2. Deus dicitur causa prima actionis voluntatis, voluntas creata est causa secunda. Atqui Deus non est causa prima, nisi moveat voluntatem priusquam actio fit. Ergo.

Resp. Nullatenus sermonem fieri de praemotionibus patet ex contextu et ex aliis locis eamdem doctrinam tradentibus.

1. *Ex contextu* : a) In hoc articulo inquirit s. Thomas primo quidem

utrum Deus possit cogere voluntatem, et quaestionem negative solvit ; deinde utrum eam possit inclinare de necessitate, et quaestionem affirmative solvit ; denique, versus finem articuli, utrum de facto eam de necessitate inclinet et quaestionem cum distinctione solvit, affirmans nempe de beatis in caelo, negans de viatoribus in terra. — b) Porro quaestionem secundam discutiens asserit Deum posse immutare voluntatem de necessitate h. e. efficere ut velit ita ut non possit non velle, id autem fieri a Deo ablatione inclinationis in voluntate exsistentis, et inductione alius inclinationis in ea remanentis. Illud autem probat Angelicus verbis in objectione relatis. — c) Hac responsione data, inquirit Aquinas quomodo Deus in voluntate operetur et quomodo possit eam determinare. Deus, inquit, inducit inclinationem tripliciter : α) movendo voluntatem ad volendum, nulla forma ei impressa ; β) imprimendo formam perfectam, qua voluntas inclinetur de necessitate, γ) denique imprimendo formam imperfectam, qua voluntas inclinetur quidem sed non de necessitate ; sic autem inclinari ait voluntatem viatoris.

Patet itaque excludi praemotionem. Etenim a) voluntas dicitur de facto non inclinari de necessitate. Jamvero saepe ostensum est voluntatem praemotam inclinari de necessitate. b) Ei dicitur imprimi forma imperfecta quae est diversa a forma perfecta quae de necessitate inclinat et imprimitur beatis. Jamvero praemotio est forma perfecta et non minus inclinat quam forma perfecta beatis impressa.

2. *Ex aliis locis : De ver.* q. V, a. 9, ad 10^{m} explicat s. Thomas quomodo Deus vehementius imprimit quam voluntas : « Causa primaria dicitur plus influere quam causa secunda, in quantum ejus effectus est intimior et permanentior in causatis quam effectus causae secundae ; tamen magis similatur (effectus) causae secundae, quia per eam determinatur quodammodo actus primae causae ad hunc effectum. » Manifestum est diserte excludi praedeterminationem per hujusmodi explicationem impressionis Dei in voluntate.

Quare ad 1^{m} diff. respondetur *distinguendo majorem :* Deus vehementius imprimit in quantum dat et conservat causae secundae virtutem agendi, eam applicat sive ad actum primum, sive ad bonum in communi, in quantum attingit in passo rationem entis et sic ejus effectus est intimior et permanentior, *Conc. ;* in quantum praedeterminat voluntatem ad agendum, *Neg.* Sexcenties enim Angelicus contrarium propugnat. — Ad 2^{m} diff. respondetur eodem modo.

Obj. 3°. Ex I, q. XIX, a. 8. Inquirit Aquinas utrum Dei voluntas

imponat necessitatem rebus. — Respondet imponi quidem necessitatem quibusdam volitis, verum non omnibus. Cujus rei investigat rationem. Primo falsificat sententiam eorum qui rationem repetunt ex causis secundis, dicendo nempe necessaria a Deo produci per causas necessarias, contingentia per causas contingentes. Explicationem hanc esse pravam probat quia ex ea sequitur tum effectum primae causae posse impediri per causam secundam, tum praeter intentionem et voluntatem Dei quaedam evenire aut non evenire. — Quibus dictis, proponit Aquinas suam explicationem : Ratio, inquit, desumenda est ex efficacia voluntatis Dei, seu ex eo quod fiant ea quae Deus vult fieri et eo modo quo vult : Vult autem Deus alia quidem fieri necessario et ideo creavit causas necessario agentes, alia vero fieri contingenter, quare creavit causas contingentes. Igitur effectus quidam a Deo voliti eveniunt contingenter, quia Deus voluit eos sic evenire et ideo praeparavit iis causas contingentes. — Unde arguitur dupliciter : 1. Si Deus causas liberas non praemovet ad agendum, effectus quidam sunt contingentes propter causas suas. Atqui Aquinas contrarium dicit. Ergo. — 2. Ille tuetur agentia libera praedeterminari a Deo ad actiones liberas, qui tenet contingentiam actionum repeti ex efficaci Dei voluntate, proindeque ex eo quod ad hanc voluntatem consequitur. Atqui talis est mens Angelici. Ergo.

Resp. a) Aquinas in hoc articulo non quaerit rationem proximam cur aliae causae agant necessario, aliae contingenter, sed quaerit quomodo explicetur quod alii effectus voliti a Deo possint esse necessarii, alii vero contingentes. b) Carpit solutionem eorum qui rationem unice repetunt a causis secundis, h. e. qui repetunt rationem ex eo quod Deus utitur omni genere causarum et quod inter has causas inveniuntur quae sint contingentes. Porro falsificatur illorum solutio quia ratio allata est insufficiens, siquidem nulla mentio fit causae primae, quia videtur ratio contingentiae poni extra Deum et sic videtur asseri Deum posse impediri a causa secunda et quaedam evenire casu respectu Dei ; non vero falsificatur quia proponeret causam proximam falsam. — Radix igitur contingentiae effectuum dicitur ab Aquinate esse quia Deus vult alia fieri contingenter, alia necessario, ideoque causas contingentes praeparavit aliis, aliis vero causas necessarias.

Ista sententia Angelici patitur diversas explicationes, proinde ex ea nullum argumentum peti valet : Potest dici a) cum Thomistis : Deus absolute decernit effectus contingentes et decreta exsequitur per prae-

motiones causis secundis immissas ; b) cum Suarezianis : Deus praevie determinat absolute effectus contingenter efficiendos et exsequitur decreta per auxilia praevisa conditionate efficacia ; c) cum Molinianis : Deus creavit causas liberas cum necessaria tendendia in bonum commune ; voluit ut hae causae contingentur operarentur, h. e. agerent aut non agerent, agerent hoc aut illud ; ideo ratio proxima contingentiae repetitur ex causis creatis, ratio vero ultima et radix est causa prima quae creavit causas secundas, praelucente scientia media de actibus conditionate eventuris. — Quaenam itaque sententia fideliter exprimat mentem Angelici, accipiendum est ex aliis ejusdem locis.

Itaque *ad 1m diff. Dist. maj.* Rejecta praemotione, causa *proxima* contingentiae petitur ex causa secunda, *Conc.; radix* et causa *adaequata, Neg. Cdt. min.* — *Ad 2m diff. Dist. maj.* Ille tuetur praemotiones, qui repetit *radicem* contingentiae ex Dei voluntate, *Neg.;* qui ita causam contingentiae repetit ex Deo, ut causam *proximam* ejus nolit esse voluntatem creatam, *Conc.* — *Cdt. min.*

Obj. 4°. Ex I, q. LXXXIII, a. 1, ad 3m : « Deus igitur est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actiones earum sint naturales ; ita movendo causas voluntarias, non aufert quod actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit : operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. » — Unde sic : Deus movet causas liberas, et sic eas movet ut faciat earum actiones esse liberas, producendo nempe modum liberum. Ergo Deus praedeterminat ad actionem liberam.

Resp. 1. Verbis in objectione allatis immediate praeeunt haec alia : « Ad 3m dicendum quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id quod liberum est. » — Ex prima hac propositione jam clarum est Aquinatem adversari praedeterminationibus.

2. D. Thomas asserit quidem liberum arbitrium moveri a primo motore, idque secundum proprietatem suam ; verum non aperit modum istius motionis. Indolem illius motus declarat in 2 d. 25, q. 1, a. 1, ad 3m : « Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem ; unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi et determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret et, ipso operante, liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur ; unde remanet sibi domi-

nium sui actus, licet non ita sicut primo agenti. » Cfr. in 2 d. 25, q. 1, a 2, ad 1m. — Ex his manifestum est locum objectum adversari praemotionibus, nedum iis faveat. Optime enim explicatur in sententia opposita ; speciatim facile explicatur, si admittitur judicio Angelici voluntati imprimi a Deo motionem in bonum in communi quae specificatur a libero arbitrio.

Quare *Dist. 1m membr.* Deus movet causas liberas praedeterminando ad unum et impediendo voluntatem ne se determinet et specificet actum, *Neg.;* movet *ad bonum in communi,* relinquendo voluntati determinationem et specificationem actus, *Conc.* — Simili modo distinguuntur cetera.

Obj. 5°. S. Th. repetit libertatem ex indifferentia judicii. Sic *de Ver.* q. XXIV, a. 2 ; I, q. LXXXIII, a. 1 ; C. G. l. II, c. IV. Atqui indifferentia judicii stare potest cum praemotione. Ergo libertas juxta Angelicum non destruitur praemotione.

Resp. *Dist. maj.* Repetit libertatem proxime et formaliter ex indifferentia judicii, *Neg.;* radicaliter et praesuppositive, *Conc.* Ex natura rei et per se libertas sequitur ex indifferentia judicii, seu arbitrium sibi permissum est liberum circa id quod judicatur esse indifferenter appetibile ; per accidens, si nempe aliunde arbitrium determinatur ad unum, cessat esse liberum. Quia itaque datur in homine indifferentia judicii, merito judicat Aquinas haberi in eo libertatem, dummodo tamen rejiciat praemotiones ; secus enim illatio est falsa. — Aquinatem non reponere proxime et formaliter libertatem in hac indifferentia, clare constat quia saepe eam in electione constituit. Sic in I, q. LXXXIII, a. 3 : « Proprium liberi arbitrii est electio... et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet. Ad electionem autem concurrit aliquid ex parte cognitivae virtutis, et aliquid ex parte appetitivae. Ex parte autem cognitivae requiritur consilium per quod dijudicatur quid sit alteri praeferendum. Ex parte autem appetitivae requiritur quod appetendo acceptetur quod per consilium dijudicatur. »

Obj. 6°. S. Thomas saepe asserit Deum esse causam actus liberi, arbitrium esse instrumentum Dei, arbitrium nihil efficere posse nisi moveatur physice a Deo. Sic a) I, q. LXXXIII, a. 1, ad 1m (cfr. supra) ; b) *de malo,* art. 2, ad 4m ; c) Ia IIae, q. CXIII, a. 3 ; a) *Compend. theol.* ad fr. Regin. c. CXXIX ; e) Ia IIae, q. CXIII, a. 8 ; f) Ia IIae, q. VI, a. 1, ad 3m ; g) C. G. l. IV, c. XLI ; h) *de Ver.* q. XXIV, art. 1, ad 5m ; i) C. G. l. III, c. CXLVIII ; j) *de Ver.* q. XXVIII, a. 4, ad 2m.

Resp. Omnia quae ab Angelico affirmantur in hac serie testimoniorum pariter affirmantur a Molinistis ; quare nihil in istis deprehenditur quod faveat sententiae Neothomistarum.

A. Molinistae dicunt Deum esse causam principalem actus salutaris, hominem vero causam instrumentalem ; quando explicant indolem utriusque causalitatis, eos adhaerere sententiae s. Thomae manifestum est ex eis quae probata fuerunt cap. II, a. 5, § 2.

B. Dicunt praeterea Moliniani hominem a Deo moveri ad agendum et hunc Dei motum explicant eodem modo ac Doctor Angelicus, quod jam paucis ostensuri sumus :

1. Moliniani ita explicant concursum Dei, licet indifferentem, esse tamen motionem, motum : Licet concursus divinus secundum nonnulla sit dissimilis a motione virtutis creatae, secundum alia tamen sufficienter convenit cum hac motione, ut idem nomen ei tribui valeat. Sicuti enim motor creatus tum finem praestituit mobili, tum quadamtenus communicat virtutem qua moveatur motumque in corporibus obviis gignat ; ita Deus cuilibet rei creatae indidit virtutem agendi et finem praestituit in quem ordinetur actio. Motor creatus determinat quidem mobile ut moveatur, Deus vero causas creatas liberas non determinat ad agendum ; attamen causa secunda terminum attingere nequit, nisi causa prima efficienter attingat eumdem terminum. Quare si illud elementum est essentiale motui, dicendum est illud sufficienter reperiri in concursu divino ut vocari queat motus. — Praeterea, si agitur de actu salutari, Deus dicendus est ad illum movere tum quia efficit illustrationem et inspirationem quibus homo excitatur ad salutariter agendum et quae ideo recte vocantur motus gratiae praevenientis, tum quia non confert nec decernit auxilia efficacia nisi sub praescientia efficacitatis suae, ratione cujus praescientiae dici potest Deum movere arbitrium infallibiliter et quocumque vult.

2. Neque aliter explicatur divina motio a s. Thoma : Creatura enim ab Angelico dicitur multipliciter moveri a Deo : a) quia Deus indidit ei virtutem naturalem agendi (Cfr. *de pot.* q. III, a. 7). In specie intellectus dicitur moveri a Deo quia Deus ei tribuit duplex principium intelligendi, sc. virtutem intellectivam et speciem intelligibilem ; ab his vero principiis procedit intellectio quae est motus intellectus (Cfr. I, q. CV, a. 3). — b) Quia Deus eamdem virtutem conservat (Cfr. l. III C. G. c. LXVII, n. 3). — c) Quia creaturam applicat ad operandum ; applicat autem non immediate, sed mediantibus causis secundis quae constituunt agentia in actu primo uti subsunt Deo tamquam agenti principali et primo motori immobili. Si agitur de intellectu, constituitur in actu primo ad intelligendum per sensationem et phantasma quae determinantur per alias causas secundas. Si agitur de voluntate, requiritur

praeterea intellectio objecti volendi determinata uti modo dictum est (Cfr. C. G. l. c. n. 4). — d) Quia concurrit physice ad omnes creaturarum actiones, adeoque efficit per modum causae universalis has actiones, quae vocantur motus. (Cfr. C. G. l. c. n. 5). — e) Quia omnes causas secundas in finem ultimum ordinat et movet : « Omne operans per suam operationem ordinatur ad finem ultimum.... Ordinare autem res in finem est ipsius Dei. Oportet igitur dicere, quod omne agens in virtute divina agat. » (C. G. l. c. n. 6).

Aliae difficultates dilucide expositae et solutae inveniuntur apud RR. PP. Frins et De San op. cit.

CAPUT VII.

De gratiarum distributione.

257. — Adulti dividuntur in fideles et infideles, fideles in justos et peccatores. — De singulis inquiritur utrum iis detur a Deo gratia ad salutem necessaria et sufficiens. Inde agitur de gratia vere et relative sufficienti, quam penes unumquemque est reddere efficacem ; neque tantum de oblatione gratiae sed et de collatione. Uti enim observat Perrone « qui esurienti panem offerret, quem tamen ipse attingere nequiret, ei illuderet ; ita enim esuriens fame interiret. Sic etiam Deus, si solum offerret gratiam, quam tamen reipsa non conferret, homini illuderet, non autem ipsum adjuvaret, quod vel etiam cogitare absurdum est. »

ARTICULUS I.

De gratia justis collata.

§ 1. Status quaestionis.

Ut justi salutem consequanter, necesse est ut gratiam sanctificantem conservent, proindeque ut tentationes superent, ut servent praecepta affirmativa et negativa legis divinae sub gravi obligantia. — Praecepta negativa observari non possunt, quoad substantiam, sine auxilio gratiae, quoties occurrit tentatio gravis ; hac non occurrente, observari quidem possunt sine gratia quoad substantiam, non tamen salutariter. — Prae-

cepta positiva non obligant pro semper, inde non debet semper parata esse gratia : cum autem actu urgent, modo talia sunt ut necessaria non sit gratia ad hoc ut observentur quoad substantiam, modo observatio est impossibilis sine gratia, cum scil. occurrit tentatio gravis, aut superanda est difficultas quae aequivalet tentationi gravi, aut cum praecipitur actus supernaturalis.

Porro inquiritur utrum justis conferatur a Deo gratia vere sufficiens quoties urget actu praeceptum sub gravi obligans quod sine gratia adimpleri nequit.

258. — SENTENTIAE. Ia est Lutheri et Calvini (1). Horum judicio concupiscentia corrumpit et intrinsecus faedat omnia omnino opera etiam justorum, impossibilis enim est observatio mandati de Dei dilectione super omnia et de debellanda concupiscentia, neque possibilis fit per gratiam, quae proinde in hunc finem non datur. Alii dicuntur justi, alii injusti quia aliis non imputantur sua peccata ob fidem fiducialem, aliis contra imputantur.

IIa est Jansenii qui contendit « nihil esse in s. Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse praecepta quaedam, quae hominibus non tantum infidelibus, excaecatis, obduratis, sed fidelibus quoque et justis, volentibus, conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia : deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia » (2). — Cum haec autem doctrina, prout ad justos spectat, damnata fuerat ab Innoc. Xa° 1653 (Denz. n. 966), discipuli Jansenii confessi sunt justis non deese gratiam ad observanda Dei praecepta requisitam; verum justorum nomine intelligendos esse contendebant vel solos praedestinatos vel illos tantum qui actu tentationes superant et Dei mandata observant, ceteris, quos improprie justos esse dicebant, deesse gratiam relative sufficientem, non concessa nisi gratia absolute sufficienti.

IIIa est Catholicorum asserentium gratiam saltem remote sufficientem justis dari quoties actu urget Dei praeceptum sub gravi obligans quod sine gratia Dei servari nequit. — Quae sententia est fide certa ex Arausicano, Tridentino et ex damnata prima ex quinque propositionibus Jansenii (Denz. n. 966).

Ad quam sententiam perspicuitatis gratia observanda veniunt tria : a) Ut praeceptum actu urgeat, debet homo advertere se hic et nunc obligari ad illud servandum ; si autem id fugit ipsum, nullo peccato formali faedatur ob violationem : quare non contenditur in hujusmodi

(1) Calv. *Inst.* l. II, c. xvii. — (2) Jansenius, *De gr. Chr.* l. III, c. iii.

adjunctis fide certum esse dari gratiam sive ad obligationem advertendam sive ad praeceptum servandum. — b) Si tentatio est adeo vehemens ut mens turbetur, tunc violatio praecepti non est formale peccatum, quare iterum de fide non est conferri gratiam. — c) De fide non est semper conferri gratiam proxime sufficientem ; saepissime enim non est nisi remote sufficiens, excitans v. g. ad orandum, ita ut ob merita orationis salutaris vel avertatur tentatio, vel fortius conferatur auxilium gratiae.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS. XL[a]. — Gratia saltem remote sufficiens non deest justis quoties urget praeceptum quod sine ea observari nequit.

259. — Prob. I[m] Arg. Ex Conciliis et Romanis Pontificibus.

1. Milevitanum II, can, 3 : « Placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per J. C. D. N., ad solam remissionem peccatorum valere quae jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema sit. » (Denz. n. 67). — Arausianum II, can. 25 : « Secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. » (Denz. n. 169). Manifestum est secundum mentem horum canonum justis conferri Dei adjutorium, auxilium, cooperationem, ad vitanda omnia peccata lethalia, ad observanda omnia praecepta quae sine gratia servari nequeunt.

2. Tridentinum, a) sess. VI, can. 18 : « Si quis dixerit Dei praecepta homini, etiam justificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, A. S. » — b) Ib. cap. xi : « Nemo temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti (audeat) : Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est et onus leve : qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt ; qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus, quod utique cum divino auxilio praestare possunt... Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. » — c) Ib. c. xiii : « In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent ; Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet. » Iterum manifestum

est secundum mentem Tridentini omnes justificatos posse observare omnia Dei praecepta, quia Deus petentes gratiam adjuvat ut possint, nec deserit eos nisi prius deseratur.

3. Pius V et Gregorius XIII damnarunt hanc Baii propositionem 54^{m} : « Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum sit Pelagii. » (Denz, n. 934). — Unde sic : Juxta Augustinum Deus homini nihil impossibile praecipit ; ergo a fortiori imposibilia non praecipit justo. Atqui hoc falsificatur, nisi praesto sit gratia. Ergo.

4. Innocentius X et Alexander VI primam Jansenii propositionem : « Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant », proscripserunt ut temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnandam et haereticam. Denz. n. 966. Ergo nullum praeceptum homini justo est impossibile, nec deest gratia qua omnia praecepta fiant possibilia. Ergo fide certa est veritas thesi enuntiata.

Dices 1° adversus argumentum ex Tridentino : Tridentinum damnat Lutherum et Calvinum asserentes mandata Dei esse justo impossibilia, quia concupiscentia inquinat omnia hominum, etiam justorum, opera. Ergo perperam ex Tridentino colligitur semper praesto esse justo gratiam ut observare valeat Dei mandata.

Resp. Tridentinum damnat quidem hunc errorem explicite canone 25°, verum ab eo praescindit in locis supra allatis, damnatque omnes ex qualibet causa asserentes mandata esse impossibilia servatu etiam justo. Ceterum ex praesentia gratiae, roganti concessae, petitur ratio ob quam observatio est possibilis.

Dices 2° : Trid. s. VI, c. XI, non loquitur de gratia actuali, sed de habituali, qua Deus non spoliat justos, nisi illi eam prius deseruerint. Ergo immerito innititur quis his verbis ad probandum Deum concedere gratias actuales justo.

Resp. a) Tridentinum loqui de gratia actuali liquet ex capite XIII : « Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. — b) Si verba Tridentini de gratia habituali agerent, insulse loqueretur Synodus quasi diceret : « tamdiu non morieris, quamdiu vixeris. »

II^{m} Arg. Ex Script. I Cor. X, 12, 13 : « Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana ; fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis susti-

nere. » — Petitur de *subjecto* et de *objecto* tentationum de quibus Paulus hic loquitur.

Subjectum tentationis, de qua Paulus, non sunt soli praedestinati, licet verba citata de iis solis intelligantur ab Augustino passim, ab Hormisda P., Leone M., Gregorio M., aliisque ab Estio in Comment. citatis, sed omnes justi, immo omnes vel multi fideles peccatores. — *Objectum* tentationis sunt, non modo persecutiones externae, sed et difficultates internae ad peccatum allicientes, a Dei famulatu avertentes.

Utrumque colligitur simul 1° ex *Tridentino* quod sess. XXIV, can. 9 ad omnes clericos majores et regulares illud testimonium spectare affirmat, quoties ipsos urget servandae castitatis praeceptum et gravis eos sollicitat carnis tentatio ; ait enim : « Cum Deus id (donum castitatis) recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari. » Porro certum est non omnes regulares et clericos majores esse praedestinatos. — 2° Ex *Patribus*. Sic Paulum interpretantur : a) Cyprianus qui referens verba Pauli « faciet cum tentatione evadendi facultatem, » prosequitur dicens : « permittit Deus tantum unumquemque tentari quantum potest sustinere » (1). b) Ipse s. Augustinus dictum Apostoli universaliter de omnibus justis intelligit, dum non solos praedestinatos, sed omnes alloquens dicit : « Humilis esto Deo, ut non permittat te tentari supra id quod potes, » (2) ; et alibi verba Pauli ad omnes fideles applicat, dum per ea omnes excitat ad sperandum auxilium divinum in tentationibus (3).

Agi de *omnibus justis* speciatim colligitur tum ex eo quod tota epistola ad omnes Corinthios dirigitur, quodque natura rei in hoc loco commoratae nullatenus indicat ista verba ad solos praedestinatos inter Corinthios dirigi ; tum quia Apostolus in hoc loco hortatur Corinthios ut spem reponant in Deo, et motivum dicit esse quia Deus non patietur eos tentari supra vires : sed si id non affirmatur de plerisque ad quos Paulus scribit, nullum est consolationis et spei fundamentum, siquidem nullus certe novit se esse de numero praedestinatorum.

---

(1) Cypr. l. III *Testim.* c. xci. — (2) Aug. *De catech. rudibus.* c. xxv.

(3) Aug. « Audi Apostolum : « Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari supra quam potestis ferre : » Ecce introitus tuus custoditur : quando non sinit Deus tibi accidere tentationem, quam non potes ferre, introitum tuum custodit : Videte, si custodit et exitum. Sed « faciet, inquit, cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. » Numquid possumus nos, Fratres, interpretari aliter, quam ipsa verba Apostoli docuerunt ? Custodite ergo vos, sed non a vobis, quia Dominus tegumentum, qui custodit, qui non dormitat nec dormit. » *Enarrat. in Ps.* cxx, n. 14.

Agi de *tentatione* etiam interna suadetur scopo et contextu. Paulus enim absterret Corinthios a peccato commemoratione ingratorum Judaeorum frequenter ob varia peccata a Deo punitorum.

Unde sic arguitur : Juxta Apostolum justi non tentantur supra vires. Atqui supra vires tentarentur, si, urgente praecepto quod sine gratia non valerent adimplere, vel premente tentatione quae non valeret superari sine gratia, iis non conferretur gratiae auxilium saltem remote sufficiens. Ergo.

III^m Arg. Deus diligit juxtos quatenus sunt justi. Ergo eos non deserit cum supra vires tentantur. — *Prob. ant.* Prov. VIII, 17 : « Ego diligentes me diligo » ; ib. X 16 : « Benedictio Domini super caput justi » ; Joh. XIV, 21 : « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo » ; Matth. XII, 50 : « Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater et soror et mater est » ; Rom. V, 8-10 : « Commendat autem caritatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus,... Christus pro nobis mortuus est : multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus : multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. »

IV^m Arg. Deus, quantum est ex se, dat omnibus justis vitam aeternam. Ergo eis non denegat gratiam suam, cum haec eis est necessaria. — *Prob. ant.* a) Christus apud Joh. VI, 52 et 55 promittit vitam aeternam omnibus participantibus Eucharistiam quae postulat statum gratiae ; b) Tit. III, 4 sq. « Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.... ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae. »

V^m Arg. Ex Patribus. 1. Patres non raro asserunt Deum non praecipere impossibilia, proindeque justis non deesse vires requisitas ad adimplendam Dei legem. Sic Clemens Alexandrinus (1), Origenes (2), Hilarius (3), Basilius (4), Hieronymus (5). Sed Patres perspicue testantur gratiam requiri ad diu servandam legem divinam et ad superandas tentationes graves. Ergo censent saltem justis conferri gratiam quoties sine ea observari nequit lex Dei.

2. Saepe asserunt mandata etiam difficilia posse observari per auxilium Dei, quod non denegatur ubi necessarium est. Ergo eorum mente

(1) L. IV *Strom.* c. VIII. — (2) *Hom.* IX *in Josue.* — (3) *In Ps.* CXVIII, 96. — (4) In *regulis brev.* resp. CLXXVI ; et in *hom.* « Attende tibi ipsi. » — (5) *In cap.* V *Matth.*

justi non deseruntur a Deo. — *Prob. ant.* Sic loquuntur: a) Chrysostomus ([1]); — b) Augustinus qui asserit Deum non deserere justificatum, nisi ipse prius ab eo deseratur ([2]); Deum imposibilia non praecipere, sed admonere ut faciamus quod possumus et petamus quod non possumus ([3]); specialem curam haberi de justo, auxilio ei collato ad permanendum in justitia ([4]); — c) Leo M. ([5]); — d) Bernardus asserens Spiritum adjuvare filios in omni colluctatione ([6]).

VI^m Arg. *Ratione theologica.* 1. Justi speciali dilectione a Deo amantur. Atqui verus non est hic Dei amor, nisi eis conferatur gratia ad servandam legem necessaria ; amare enim est velle et procurare bonum ; sed quomodo Deus dici potest speciali modo procurare bonum justi, si denegat gratiam necessariam ad vitandum peccatum in quo reponitur summum malum ? — 2. Justi per gratiam sanctificantem acceperunt a Deo jus ad haereditatem caelestem ; sed cui datur istud jus, illi non denegatur medium necessarium ut perveniatur ad haereditatem. Atqui denegaretur medium, si non conferretur gratia necessaria ad servandam Dei legem. Ergo.

([1]) Chrys. « Possibile enim est Dei jussa perficere, si modo velimus omnem naturae trepidationem alacriter virtute superare ; nihilque impossibile est eorum quae a Christo hominibus imperantur. Si enim, quantum est in nobis velimus virium exprimere, maximum etiam nobis Deus adjungit auxilium, atque ita, etsi omnia in nos adversa concurrant, tuti tamen in medio periculorum, intactique servabimur. » *Hom* VI *de laudibus s. Pauli.*

« Non licet dicere: non possum ; id esset accusare opificem. Nam si nos fecit imbecilles et jubeat, ipsius est accusatio. Quomodo ergo, inquis, multi non possunt ? quia nolunt. Quomodo ergo multi nolunt ? prae desidia ; nam si velint, poterunt omnino. Habemus quippe cooperatorem et adjutorem Deum : tantum velimus, tantum opere accedamus ad rem ipsam. » *Hom.* XVI *in Hebr* n. 4.

([2]) Aug. « Deus, cum per mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, spiritualiter sanat aegrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam justitiamque, perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. » *De nat. et gr.* c. II.

([3]) L. *de nat. et gr.* c. XLIII et LXIX ; *tract.* LIII *in Joh.*

([4]) Sic hominem justificatum alloquitur : « Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiae : curam tui non habebit qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos ? te jam justum ex fide viventem, negliget, deseret, dimittet ? Immo vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat et noxia resecat. Dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto. Ille protegit, qui te fecit... Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse. » *Enarr. in Ps.* XXXIX, n. 37.

([5]) Leo M. « Gratiae Dei se obedientia humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest esse bona, deficiat. At, si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad jubentem recurrat, qui ideo dat praeceptum, ut excitet desiderium et praestet auxilium, dicente Propheta (Ps LIV) : « Jacta in Deum cogitatum suum, et ipse te enutriet. » *Serm.* V *de quadrag.* c. I.

([6]) Bern. « Spiritus tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. Siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem.... Ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram. » *Serm* III *in die Pentec.*

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

260. — **Obj.** 1°. Ex Joh. VI, 44 : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum ». Unde sic : Justus non semper trahitur a Patre : cum enim peccat, certo non habet gratiam efficacem seu non trahitur. Sed qui non trahitur a Patre, non potest observare mandata divina. Etenim non potest venire ad Filium ; sed venire ad Filium perinde est atque observare Dei mandata. Ergo.

Resp. Tractio significat quidem gratiam divinam sine qua nullus actus salutaris effici potest ; verum non coarctatur ad gratiam efficacem, sed ad sufficientem extenditur ; per eam enim dat Deus potestatem expeditam veniendi ad Filium et salutariter operandi, per eam invitat, hortatur, allicit adeoque trahit. — Quare *Dist. maj.* Justus non semper trahitur, ubi necesse est, gratia *sufficienti*, *Neg.;* gratia *efficaci*, seu gratia cui consensum tribuit, *Conc.* — *Cdt. min.*

Obj. 2° Profecto justus erat Petrus, tunc cum fuit tentatus ut Christum negaret : ipsi enim Christus haud secus ac ceteris dixit : « et vos mundi estis... manete in me et ego in vobis : » (Joh. XV, 3). Atqui ei defuit gratia ad vincendam tentationem. Ergo justus non semper hac instruitur. — *Prob min.* Patres disertis verbis affirmant Petrum non potuisse resistere tentationi, cujus rei causam assignant quia gratia eum deseruerat. Sic loquuntur : a) Hilarius affirmans « Petrum non potuisse vitare culpam » (1) ; b) Chrysostomus (2) ; c) Augustinus (3) ; d) Origenes asserens Petrum fuisse abundantius derelictum (4). — Praeterea videtur Christus id insinuasse, dicens Petro : « Non potes me sequi modo » (Joh. XIII, 36). Ergo recte Arnoldus hanc propositionem defendit : « Scriptura et Patres nobis in b. Petro exhibent hominem justum, cui gratia, sine qua nihil possumus, defuit in ea occasione, in qua dici non potest eum non peccasse. »

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Petro tentato defuit gratia *remote sufficiens*, *Neg.;* gratia *efficax*, seu gratia sufficiens reddita est pure sufficiens quia Petrus ei consentire noluit ; immo defuit gratia *proxime sufficiens*, quia Petrus gratiae remote sufficienti non consensit, *Conc.* Christus

(1) *In Matth.* c. XXXII, n. 4. — (2) CHRYSOST. « Petrus, etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio, stare non potuit. » *Hom.* XXXIII *in Matth.* — « Negatio Petri non tam erat socordiae et negligentiae, quam ex eo quod Deus eum deseruerat. » *Hom.* XXXI, n. 3, *in ep. ad Hebr.*

(3) AUGUST. « Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum ?... Ideo b. Petrum Dominus paululum subdeseruit, ut in illo totum humanum genus possit agnoscere nihil se sine gratia Dei valere. » *Serm.* CXXIV *de temp.* n. 1.

(4) ORIG. *Tract.* XXXV *in Matth.*

monuit Petrum ut oraret et vigilaret et sic tentationem superaret; externae huic admonitioni sane conjunctum fuit auxilium internum. Si Petrus praecepto Christi gessisset morem, abundantius auxilium ei fuisset a Deo collatum cujus ope tentationem debellare potuisset.

Neque aliud significant Patres nisi quod Petrus sic fuerit affectus ut noluerit fidelis esse Christo : sic Hilarius l. c. (1); vel quia ob neglectam orationem vel ob arrogantiam non meruit auxilium Dei proxime sufficiens : sic Chrysostomus (2). — Ad Augustinum quod attinet, verba citata petuntur ex sermone qui a criticis abjudicatur s. Doctori. Contra in libro *de unitate ecclesiae* (c. II) aperte agnoscit Augustinus Petro non defuisse ante lapsum gratiam sufficientem ad impetranda uberiora auxilia (3). — Demum frustra provocant adversarii ad verba Christi, siquidem Christus solum innuit Petrum non posse cum Christo mori, quia post Christi ascensionem visibile Ecclesiae caput fieri debuit.

Obj. 3°. S. Augustinus docet justis saepe deesse gratiam requisitam ad mandata Dei observanda. Sic speciatim in libro *de dono perseverantiae* veluti veram agnoscit sententiam monachorum Adrumetinorum dicentium : « Si qui obeditis, si praedestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis » (c. XXII). — Confirmatur quia s. Doctor fatetur in libro *de natura et gratia* necessitatem peccandi enasci ex naturae corruptione : « Quod autem ex vitiis naturae, non ex conditione naturae sit quaedam peccandi necessitas, audiat homo. » (c. LXVI).

Resp. S. Augustinus asserit non omnibus dari gratiam justificantem in baptismo, neque semper justis dari gratiam efficacem aut proxime sufficientem ; sed nullatenus denegat justis dari gratiam remote sufficientem, nempe gratiam orationis qua uberiora auxilia impetrare valeant. — Quomodo ipse Augustinus correxerit propositionem quam monachi Adrumetini ei attribuebunt, dictum est supra p. 477.

---

(1) HIL. « Amarissime flevit, recolens trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare. »

(2) CHRYS. *Hom. in Matth.* « Totum sibi attribuebat, dicens : « Etsi omnes scandalizati fuerint, ego numquam scandalizabor, » cum dicere debuisset : patrocinio tuo juvabis etc. » — *Hom. in Hebr.* « Erudiens ut humanam sciret mensuram, et non repugnaret iis, quae dicebantur a magistro, neque magis quam alii altum saperet, etc. »

(3) AUG. « Quis dubitaverit, quod Judas Christum, si voluisset, non utique tradidisset, et Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset ? nam dum se perculsum sensit, deponere potuit mentis tumorem, et Deo cum propheta dicere : « Adjutor meus esto, ne derelinquas me. » *De unit. Eccl.* IX.

ARTICULUS II.

De gratia peccatoribus collata.

§ 1. De gratia peccatoribus communibus collata.

261. — Distinguuntur peccatores obstinati, de quibus postea agetur, et peccatores communes ; hi intelliguntur fideles privati quidem gratia sanctificante ob peccatum actuale, verum qui non penitus Dei timorem abjecerunt.

Circa illos duplex agitatur quaestio : a) an Deus iis concedat gratias sufficientes quibus a peccato resipiscere, paenitentiam agere, ad Deum converti et justificari possint ; b) an iis concedantur gratiae requisitae ad observandam Dei legem. — De posteriori quaestione quaedam dicentur in scholion.

Ad primam quaestionem, communis theologorum sententia est peccatoribus communibus concedi a Deo gratias sufficientes ad paenitendum et ad se cum Deo reconciliandos ; attamen has gratias non concedi singulis quasi momentis, sed pro loco et tempore, uti aiunt, seu identidem, ubi adsunt adjuncta opportuniora loci et temporis. Quae sententia non modo est de fide divina, sed adhuc videtur *de fide definita*.

THESIS XLI[a]. — Peccatoribus communibus concedit Deus saepe gratias sufficientes quibus a peccatis resipiscere, paenitentiam agere et Deo reconciliari possint.

262. — **Prob. I[m] Arg.** Petitur ex V. L. 1. Peccator potest se convertere ad Deum paenitentia salutari, siquidem Deus non raro in V. L. hortatur peccatores ut se convertant, eosque de conversione denegata increpat. Atqui impossibilis est paenitentia salutaris, nisi Deus peccatoribus pro tempore et loco concedat gratias ad paenitentiam excitantes. Ergo. — 2. Praeterea Scriptura vetus saepe extollit Dei misericordiam in hoc consistentem quod Deus est paratus ad veniam tribuendam peccatoribus et tribuendum jus ad regnum caelorum. Atqui haec misericordia supponit Deum pro tempore et loco non denegare peccatoribus gratiam qua valeant salutariter paenitere. Ergo.

Probatur utraque major : a) Ezech. XVIII, 23 : « Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat. » Ib. XXXIII, 11 : « Vivo ego, dicit Dominus Deus ; nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Converti-

mini, convertimini a viis vestris pessimis ; et quare moriemini domus Israel? » — b) Is. I, 16 ; LV, 7. — c) Os. XIV, 2 sq. d) Joel. VI, 12 sq. e) Jerem. XXXV, 15 : « Convertimini unusquisque a via sua pessima, et bona facite studia vestra. » f) Sap. XI, 24 : « Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter paenitentiam », id est, ultionem differs, ut resipiscendi tempus peccatoribus relinquas. Ib. XI, 25 : « Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti. » Ib. XI, 27 : « Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas. » Ib. XII, 1 : « O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus ! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis et, de quibus peccant, admones et alloqueris, ut, relicta malitia, credant in te, Domine. » Porro his verbis manifestum fit Deum peccatores non deserere, sed eis auxilia dare ut a malitia sua recedere et ad Deum converti possint.

II^m Arg. Ex N. L. 1. Christus ait apud Luc. V, 31 : « Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Non veni vocare justos, sed peccatores ad paenitentiam. » His verbis Christus perspicue significat se venisse ut peccatores ad paenitentiam vocaret. Atqui Christus non modo externe vocat, sed adhuc interne, siquidem vocatio mere externa salutarem effectum producere nequit. Ergo Deus pro tempore et loco infundit gratias peccatoribus ut ad meliorem frugem se recipiant. — 2. Christus ap. Lucam, XV, 4 sq. se comparat bono pastori, qui, si perdiderit unam ex ovibus, vadit ad illam quae perierat, donec inveniat eam. Atqui hac parobola iterum ostendit Christus peccatores non destitui gratia requisita ad paenitendum salutariter. — 3. Apud Matthaeum XI, 28 exclamat benignus Salvator : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » Porro nequit peccator converti, neque ad Christum venire, nisi trahatur Dei gratia. Atqui Christus ad se vocat quoslibet miseriis et peccatis oneratos. Ergo peccatores, praesertim qui non sunt obdurati, non penitus destituuntur auxilio gratiae. — 4. Non aliter loquuntur Apostoli : a) Petrus : « Patienter agit (Dominus) propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad paenitentiam reverti » (I Ep. III, 9). — b) Paulus : « An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis ? ignoras quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit ? secundum autem duritiam tuam, et impaenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei » (Rom. II, 4. sq.). Deus non modo differt poenas ob suam longanimitatem, sed adhuc ad paenitentiam adducit, adeoque gratias infundit.

III^m Arg. Ex Patribus. Patres alloquentes fideles, inter quos multi dabantur peccatores, misericordiam Dei extollunt, asseruntque gratias internas et externas ipsis a Deo praeparari et conferri; eos hortantur ad conversionem. Ergo censent pro tempore et loco non denegari gratias peccatoribus. Sic loquuntur inter alios bene multos: a) Cyprianus ([1]), b) Basilius ([2]), c) Ambrosius ([3]), d) Hilarius ([4]), e) Chrysostomus ([5]), f) Augustinus ([6]), g) Prosper ([7]), h) auctor libri de vocatione gentium ([8]).

([1]) Cypr. « Non qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere caelesti mensura ulla vel modus est. Profluens largiter Spiritus nullis finibus premitur... manat jugiter, exuberat affluenter: nostrum tantum sitiat pectus et pateat, quantum illuc fidei capacis afferimus tantum gratiae inundantis haurimus. » *Ep.* 1.

([2]) Bas. « Nunc, cum servus sis, non hominum, sed peccati, Redemptor te ad libertatem vocat, ut a servitute libereris, ... et tu dicis, nondum adesse tempus dona divina acceptandi. O infelicia obstacula!... Si multa sunt peccata tua, ob multitudinem animo non concidas; « nam ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia », dummodo gratiam acceptare velis. Multum debenti multum remittitur, ut ardentius diligat... Ubi voluntas consentit, nullum adest impedimentum... Qui te vocat, amicus est hominum, cujus gratia copiose redundat. Esto consentiens, et impedimenta evanescent... Daemon nobis consulit, ut peccatum hodie committamus, justitiam vero in crastinum differamus; Deus autem, ut impia ipsius concilia destruat, dicit: « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. » *Exhort. ad Bapt.* — Exponens illud: « Diligit misericordiam et judicium, » ait: « Deus ante judicium diligit, et post misericordiam procedit ad judicium... Judex vult tui misereri teque miserationum suarum participem reddere. » *Hom. in Ps.* xxii, v. 5.

([3]) Ambr. « Deus otiosum provocat et dormientem excitat. Qui enim venit et januam pulsat, semper vult intrare... Illud verum lumen omnibus lucet,... et si possit intrare, non vult tamen importunus irruere, non vult invitos cogere. » *In Ps.* cxviii, *serm.* xii, n. 13.

([4]) Hil. « Stat ad ostium Verbum Dei et pulsat ostium animae nostrae... vult ergo semper introire... Ipse quidem, ut illuminet, promptus est, sed lumen sibi domus ipsa, obseratis aditibus, excludit. » *In Ps* cxviii, litt xii, n. 5.

([5]) Chrys. Ad Theodorum lapsum cum dixisset homines hinc inde feminarum in lupanar deductarum misereri, easque a foeda ignominia liberare, ita prosequitur: « Quod si tanta est apud homines misericordia... quanto major apud Deum erit erga animas, quae per tyrannidem diaboli a prisca illa nobilitate in praesentis vitae lupanar deductae sunt?... Et si Deus (Hierosolymam) saepe conspurcatam libidine, a paenitentia non exclusit, multo magis animam tuam amplexabitur, quae nunc primum lapsa est. Nemo enim, nemo corporeae amator formae, quantumlibet insanus, tanta amicae suae ardet concupiscentia, quanto studio Deus animarum nostrarum appetit salutem, quod tum ex iis quae quotidie accidunt, tum ex divinarum scripturarum dictis videre licet. » *Exhort. I*, n. 13.

([6]) Aug. « Misericors Dominus vocat undique ad paenitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis. « Longanimis et multae misericordiae. » Sed observa, ne longitudine misericordiae Dei male utendo tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die irae » *Enarr. in Ps.* cii, n. 16. — « Cum ubique sit praesens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentes adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. » *De nat. et gr.* c. lxvii, n. 81. M. XLIV, 288.

([7]) Prosper: « Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. » *Resp. XV ad object. Vincent.* M. LI, 185.

([8]) « Credimus, nullis hominibus opem gratiae in totum fuisse subtractam. » *De voc.*

IV^m Arg. Ex CONCILIIS. 1. Concilium Coloniense I, a° 1536, ita loquitur: « Quamquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem, attamen nemo hic excusationem praetexat quod non trahatur: quod ille semper stet ante ostium pulsans, nimirum per internum et externum verbum commonens, ut convertamur a via nostra pessima » (1). — 2. Tridentinum contra Lutherum et Calvinum, qui negabant posse quemlibet paenitentiam agere, scribit: « Qui accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo, per paenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. » Itaque peccatores omnes recipiunt gratias quibus salutariter accedant ad paenitentiae sacramentum.

V^m Arg. RATIONE THEOLOGICA. Ad conversionem peccatorum ordinantur a Deo a) praedicatio verbi Dei, secundum Is. LVII, 1: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. » b) Correctio fraterna, dicente Christo: « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe cum inter te et ipsum solum » (Matth. XVIII, 15). c) Sacramentum paenitentiae. — Atqui Dei praedicatio et correctio fraterna nequeunt progignere salutares effectus, nisi Deus internam peccatoribus gratiam infundat; sacramentum paenitentiae justificationem non confert, nisi beneficio gratiae internae peccator varias dispositiones supernaturales in corde produxerit. Ergo.

263. — Scholion. Quaeritur utrum peccatoribus concedatur a Deo gratia remote sufficiens, quoties urget praeceptum quod sine auxilio gratiae adimpleri nequit? — Alii negant, asserentes saepe denegari omnem gratiam in poenam peccatorum. Consequenter hi tenent ad rationem peccati formalis sufficere potentiam physicam illud vitandi, siquidem cum ea libertas manet integra. — Alii contra affirmant numquam denegari auxilium remote sufficiens; concedunt tamen pauciora et infirmiora solere concedi auxilia peccatoribus quam justis. Sententiam suam his argumentis, fulciunt:

A. Ex SCRIPT. 1. In Gen. IV, 5, 6, 7, ad Cain invidia tabescentem Deus ait: « Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. » Ex his verbis Augustinus et auctor libri de vocatione gentium

gent. l. I, c. XXI. — « Quae beneficia, licet obduratis nihil remedii attulerint, probant aversionem illorum non divinae fuisse constitutionis, sed propriae fuisse voluntatis. » Ib. l. II, c. XXVIII.

(1) P. VII, c. XXXII.

concludunt Cain concupiscentiam domare et legem divinam observare potuisse, adeoque gratiae auxilio non caruisse. — Hoc assertum extendunt ad omnes peccatores communes ([1]).

2. Deut. XXX, 11 sq. Deus populo israelitico, cui profecto peccatores haud defuerunt, dicit : « Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est » etc.; his itaque verbis satis ostendit Deus non solum justis, sed et peccatoribus non deesse gratiam, qua praecepta divina adimplere possint. Ex his verbis concludit Tertullianus peccatores habere gratiam qua obsequia debita Deo praestare possunt ([2]).

3. Dicunt etiam quoad peccatores vera esse debere tum Christi verba quibus affirmat : « Jugum meum suave est et onus meum leve, » tum Johannis effatum : « Mandata ejus gravia non sunt ». Jamvero nec suave reddi potest peccatoribus Christi jugum, nec onus mandatorum ejus leve, nisi per gratiam qua praeveniuntur et adjuvantur, atque per orationem qua uberiora auxilia obtinere possint.

B. Ex Patribus. Patres non raro affirmant omnibus concedi gratias requisitas ad servandam Dei legem ; atqui generali locutione profecto includunt peccatores, quibus continetur maxima pars eorum quos alloquuntur. Non raro etiam affirmant omnes posse servare legem Dei; sed ex altera parte tenent legem diu servari non posse sine gratia. Ergo censent nemini deesse gratiam.

Ita inter alios loquuntur a) Innocentius I ([3]), b) Augustinus ([4]), c) Leo M. ([5]), d) Concilium Valentinum III, a° 855 ([6]), e) Concilium Senonense, a° 1528 ([7]), f) denique Tridentinum ([8]).

([1]) Aug. *Ad Simplicianum*, l. I, q. II. — Auctor l. *de vocat. gent.* l. II, c. v.

([2]) Tertull. « Non poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate : nec rursus comminatio mortis transgressioni describeretur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic et in posteris legibus Creatoris invenias, proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem : sed nec alias totum ordinem disciplinae per praecepta dispositum a vocante Deo et minante et exhortante, nisi et ad obsequium et ad contemptum libero et voluntario homine. » *Cont. Marc.* l. II, c. v.

([3]) Inn. I. « Quotidiana (Deus) praestat illi (homini) remedia, quibus, nisi freti confisique nitamur, nequaquam humanos vincere poterimus errores. » *In ep. ad Conc. Carthag.*

([4]) Aug. « Neminem peccare in eo, quod nullo modo caveri potest; peccatur autem ; caveri igitur potest, sed opitulante illo, qui non potest falli. » *De gr. et nat.* c. LXVII.

([5]) Leo M. « Juste instat praecepto qui praecurrit auxilio. » *Sermo* XVI *de pass. Dom.* c. VI.

([6]) Conc. Valent. Dicit « malos non ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt. »

([7]) Conc. Senon. « Neque tamen tanta gratiae necessitas libero praejudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem praetereat, in quo Deus non est ad ostium et pulsat. » P. XIII in *decretis fidei*, c. XV.

([8]) Trid. « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » Sess. VI, c. XI.

Dices : Ideo defenditur peccatoribus gratiam sufficientem adesse quoties urget praeceptum, quia alioquin praecepta forent impossibilia, nec ad culpam imputari posset illorum transgressio. Atqui contrarium docet s. Augustinus. Etenim ejus judicio : a) ut mandata alicui possibilia dicantur, satis est quod ea sint in se possibilia et quod gratiam, qua mediante illa valeat observare, recipere possit, quamvis in praesenti statu illam non habeat ; b) docet nonnulla esse mala, quae caveri non possunt et tamen vera sunt mala.

Resp. a) S. Augustinus perspicue docet Deum impossibilia non jubere, sed jubendo admonere et facere quod possis et petere quod non possis. — b) S. Doctor negat quidem omnibus semper gratiam *efficacem* vel *proxime sufficientem* ad observanda divina praecepta concedi ; sed propugnat omnibus semper praesto esse gratiam saltem *remote sufficientem* seu gratiam *orationis* qua gratiam proxime sufficientem aut efficacem impetrare valeant ; propugnat etiam transgressionem mandatorum recte imputari hominibus qui orationem neglexerint.

264. — **Obj.** Non pauci Patres aperte negant gratiam omnibus dari. Ergo censent plurimos peccatores ea prorsus privari. Sic nominatim a) Augustinus ([1]), b) s. Prosper ([2]), c) Praesules Africani in Sardinia exules, qui in epistola Synod. aiunt : « de gratia non digne sentire, quisquis eam putat omnibus hominibus dari. »

Resp. a) Patres impugnabant errores semipelagianorum, qui contendebant Deum non exspectare nisi naturales conatus voluntatis ad gratiam conferendam. Asserunt itaque contra semipelagianos non conferri omnibus aequaliter gratiam propter initium fidei, quod ex solis naturae viribus concipiatur ; minime autem negant gratiam sufficientem a Deo dari omnibus gratuito. b) Praeterea non raro Patres nomine gratiae omnibus datae intelligunt justificationem baptismo collatam. Ita s. Augustinus saepius dicit, « naturam esse communem, non autem gratiam, » nomine autem gratiae intelligit justificationem aut baptismum ; de proxime enim baptizandis ait « quod accessuri sunt ad gratiam » ([3]) et alibi ait : « Praedicare gratiam idem est quod fidem annuntiare » ([4]). c) Denique Patres non raro per

([1]) Aug. « Scimus gratiam non omnibus hominibus dari. Scimus eis quibus datur, misericordia Dei gratuita dari. Scimus eis, quibus non datur, justo judicio Dei non dari. » *Ep.* ccxvii (al. cvii) *ad Vitalem*, c. v.

([2]) Prosper : « Dic unde probes, quod gratia Christi nullum omnino hominem, de cunctis qui generantur, praetereat, cui non regnum vitamque beatam impertiri velit. » *Carmen de ingratis*.

([3]) Aug. *Confess.* l. VIII, c. ii. — ([4]) Id. *De pecc. mer. et remiss.* c. xxii.

gratiam, quae non est communis, intelligunt gratiam quae praescita est efficax. Sic nominatim Augustinus in multis locis, potissimum in libro *de correptione et gratia*.

§ 2. De gratia peccatoribus obstinatis collata.

265. — Obstinatio in malo est firmitas in peccando, impotentia ad cooperandum gratiae. — Duplex est : a) Imperfecta, qua homo nonnisi aegre cooperatur gratiae ; b) perfecta, qua homo nullo modo potest cooperari gratiae. Ex dicendis elucescet non dari obstinationem perfectam in hac vita.

Obstinatio comprehendit excaecationem et obdurationem : a) Excaecatio dicit : α) ex parte Dei, subtractionem vel immunitionem divinae illustrationis, β) ex parte hominis, positivam perversionem judicii. — b) Obduratio seu induratio dicit : α) ex parte Dei, subtractionem vel imminutionem inspirationis [1] ; β) ex parte hominis, firmam adhaesionem voluntatis ad aliquod malum propter speciem boni. — Peccatores obstinatos describit Bernardus : « Quid ergo cor durum ? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur : ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicium saevum, inverecunnum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens » [2].

266. — **Quaestio** igitur est, utrum Deus peccatoribus excaecatis et induratis omnem prorsus deneget gratiam, ita ut numquam eos excitet ad surgendum e misero suo statu et ad seriam paenitentiam agendam ; an interdum saltem levis quaedam caelestis aura ipsis interdum aspiret, subluceat veri notitia et amor recti arrideat.

Sententiae duae doctores divisos habent :

Negant peccatoribus obstinatis dari, secundum legem communem seu ordinarium providentiam, gratias remote sufficientes ad paenitendum, non modo Jansenistae, sed et Thomistae nonnulli, inter quos Bañez et Gonet, praeterea Catharinus, Greg. Ariminensis et Cajeta-

---

(1) Aug. « Sic enim excaecat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando. Quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. » *Tract.* LIII in Joh. n. 6.

(2) Bern. *De consid.* l. I, c. II, n. 3.

nus [1]. Porro dupliciter intelligi potest Deum denegare obstinatis gratiam ad paenitendum : a) ex parte peccatorum, quatenus certa peccata dicerentur irremissibilia, vel daretur certa multitudo peccatorum, ultra quam non concederetur venia et quae proinde puniretur privatione omnis gratiae ; b) ex parte personarum, quatenus Deus certas personas privatione gratiae puniret. — Addendum est non negari a patronis istius sententiae Deum hinc inde etiam peccatoribus inveteratis gratias efficaces concedere, quibus illico convertuntur et e peccatoribus in sanctos mutantur, quod in Magdalena, in Zachaeo, in Latrone in cruce, in Paulo et in aliis factum fuisse constat.

Concedunt doctores communiter, secundum ordinariam divinae providentiae oeconomiam, non denegari pro tempore et loco peccatoribus obstinatis gratias remote sufficientes quibus excitentur ad paenitendum et se cum Deo reconciliandos. — Attamen contendunt Deum, de lege ordinaria, iis subtrahere multa auxilia quae non modo justis sed adhuc peccatoribus communibus conceduntur, nec tantum gratias efficaces et proxime sufficientes, sed etiam gratias externas, puta exteriorem custodiam per quam occasiones peccandi tolluntur et ea comprimuntur quae ad peccatum provocant. Concedunt etiam peccatores obstinatos saepe per longum tempus carere gratia etiam remote sufficienti. At contendunt Deum in hoc ordine providentiae nullum peccatorem ita deserere, ut in certis adjunctis temporis et loci eos non identidem excitet ad paenitentiam. — Haec sententia est saltem theologice certa.

THESIS XLII^a. — Licet Deus peccatoribus obstinatis multas deneget gratias justis et peccatoribus communibus concedi solitas ; attamen eis pro tempore et loco confert gratias sufficientes, saltem remote, ad agendam paenitentiam.

267. — PRIMA PARS. MULTAE SUBTRAHUNTUR GRATIAE PECCATORIBUS OBSTINATIS.

Prob. I^m Arg. EX SCRIPT. V. L. I. Deus dicitur excaecare et indurare peccatores pertinaciter ipsum audire nolentes. In Ex. IX, 12 legitur Deus indurasse cor Pharaonis ; apud Isaiam VI, 10, quem citat Joh. XII, 39 legitur : « Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et

[1] CAJET. In *octavo jentaculo*.

corde suo intelligat et convertatur et sanem eum. » Atqui aliter Deus non indurat nec excaecat, nisi subtrahendo gratias suas. — *Prob. min.* tum quia secus dicendus esset Deus excaecare et indurare impertiendo malitiam, quod sanctitati ejus repugnat ; tum auctoritate Augustini aientis : « Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam » (1).

2. Apud Jerem. LI, 9, Deus ita loquitur : « Curavimus Babylonem et non est sanata ; derelinquamus eam ». Haec verba interpretatur s. Hieronymus de subtractione gratiarum divinarum ; Deus imitatur medicum, qui, videns inutilitatem remediorum adhibitorum, aegroto nulla alia medicamenta ministrat.

II^m Arg. Ex Script. N. L. Paulus ad Rom. I, 24 de illis qui « cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt », dicit : « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam etc. ». Eorum sc. contemptu provocatus, tradidit illos desideriis cordis, passus est eos ruere in flagitia, non impellens certe aut ducens, inquit s. Augustinus, sed auxilia non largiens ipsosque sibi relinquens (2), seu, ut loquitur Theodoretus (in h. l.), more nautae, navim in mediis fluctibus relinquentis, necessario pondere destitutam quo in aestu regatur.

III^m Arg. Ex Patribus. 1. Juxta Augustinum Deus punit superbos et praevaricatores legis deserendo corda ; excaecat autem non malitiam impertiendo sed misericordiam denegando. Sic passim (3).

Observa. Perperam ex his testimoniis Augustini colligeret quis peccatores obstinatos totaliter deseri a Deo, nec jam pro tempore et loco recipere gratias sufficientes. Non loquitur enim nisi de obduratione et excaecatione imperfecta, quae non tantum potest per gratiam tolli sed et actu tollitur, nisi homo gratiam pro tempore et loco collatam respuat, uti ex 2^a parte elucescet.

---

(1) Aug. *Quaest. in Ex.* l. II, q. XXIII, c. CXCIV, n. 14. — (2) Id. *Cont. Jul.* l. V, c. III.

(3) *Id.* « Caecitas cordis, quam solum removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et causa peccati, cum mali aliquid caeci cordis errore committitur. » *Cont. Julian.* l. V, c. III, n. 8. — « Ecce (Deus) deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam. » *Enarr. in Ps.* CXLVII, n. 26. — « Nec cogitat, praevaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis; qua desertus utique fit caecus, et plus necesse est ut offendat et cadendo vexetur vexatusque non surgat ; » et paucis interpositis, pergit : « Utique ista obscuratio vindicta et poena jam fuit, et tamen per hanc poenam, id est, per cordis caecitatem, quae fit deserente luce sapientiae, in plura et gravia peccata collapsi sunt. » *De nat. et gr.* c. XXII. M. XLIV, 258. — « Cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis ita eos excaecari meruisse, qua tamen excaecatione non potuerunt credere. » L. XVII *quaest. in Matth.* q. XIV, n. 3.

2. Deum corda obdurare in poenam flagitiorum, deserendo seu subtrahendo gratias, asserunt a) s. Prosper (1), b) Gregorius M. (2), c) s. Thomas (3).

268. — SECUNDA PARS. Peccatoribus obstinatis pro tempore et loco quaedam tribuuntur gratiae.

Prob. Im Arg. Ex Script. Impossibile est ut quis agat paenitentiam et deponat duritiem cordis, nisi stipetur auxilio gratiae. Atqui, juxta Scripturam, pro tempore et loco possibile est omnibus, etiam peccatoribus induratis et excaecatis, agere paenitentiam et deponere duritiam cordis. Ergo pro tempore et loco non denegantur peccatoribus obstinatis gratiae, saltem remote sufficientes, quibus agant paenitentiam et ad justitiam perveniant. — *Prob. min.* Possibile est homini id ad quod Deus hominem hortatur instanter, id de quo recusato Deus hominem corripit : secus enim vana est hortatio injustaque correptio. Atqui Deus instanter hortatur peccatores omnes, etiam obstinatos, ut paenitentiam agant, eos de paenitentia recusata objurgat et corripit. Ergo.

Prob. 1a pars min. a) Ezechiel, postquam enumeravit gravissima peccata, addit : « Si autem impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur » (XVIII, 21). Id. XXXIII, 11 : « Vivo ego, dicit Dominus Deus ; nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini.... a viis vestris pessimis et quare moriemini domus Israel ? » b) Is. LXV, 2 : « Expandi manus meas tota die ad populum incredulum qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus, qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper. » — c) II Pet. III, 9 : « Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad paenitentiam reverti. » — d) Rom II. 4 : « An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit ? »

---

(1) Prosper. « Cum aliquos a Deo aut traditos desideriis suis aut obduratos legimus aut relictos ; magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur ; quia talia eorum crimina praecesserunt, ut ipsi sibi poena fieri debuerint quae eis etiam supplicium verteret in reatum. Atque ita nec de judicio Dei querimur, quo deserit meritos deseri, et misericordiae ejus gratias agimus, qua liberat non meritos liberari. » *Resp. ad Capit. Gall.* c. XI. M. LI, 167.

(2) Greg. M. « Omnipotens Deus humanum cor destruit, cum relinquit ; aedificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Unde plerumque fit, ut cum audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius a praedicatore moneatur. » L. XI *Mor.* n. 12. — (3) Ia, IIae, q. LXXIX, a. 3 ; *C. G.* l. III, c. CLXII.

Prob. 2ª pars min. a) Act. VII, 51 : « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis ». — b) Prov. I, 20 sq. « Sapientia foris praedicat... Convertimini ad correptionem meam... vocavi et renuistis... Despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis. »

IIm Arg. Ex Patribus. 1. Patres saepe misericordiam Dei extollentes non modo numquam ei limites assignant, uti ex thesi praecedenti perspicuum est, verum saepe etiam ita eam perpetuam esse praedicant et extendi ad omnes omnino peccatores, ut manifeste asserere velint eam pro termino habere peccatores utut obstinatos. Ita a) Chrysostomus (1), b) s. Paulinus (2), c) s. Ambrosius (3), d) s. Prosper (4), e) auctor libri *de voc. gent.* (5), f) Gregorius M. (6).

2. Interdum Patres misericordiam Dei extendunt diserte ad obstinatos peccatores et contemptores misericordiae. Sic Gregorius M. (7).

3. Ex Augustino : a) Distinguit duplicem caecitatem mentis. Altera est perfecta ; qui ei obnoxius est, penitus extra Deum est et secluditur ab interiori Dei luce ; haec obtinet in tenebris exterioribus, nemo vero dum in hac terra versatur, ea plectitur. Altera est imperfecta et reservatur peccatoribus obstinatis hujus mundi (8). Atqui his verbis signi-

(1) Chrys. In illa verba « quoniam in saeculum misericordia ejus, » ita loquitur : « Quid est *in saeculum ?* Non aliquando quidem beneficis afficit, aliquando vero recedit : neque modo miseretur, modo desinit, quod evenit in hominibus... At Deus non est hujusmodi, sed perpetuo miseretur, nec unquam cessat beneficio homines afficere. » *In Ps.* cxxxv, n. 1.

(2) S. Paulinus : « O Pater, o hominum rerumque aeterne Creator ! quot gradibus parcit pietas tua ? Quis pater umquam sustinet erranti toties ignoscere nato ? (peccator) redeat, quandoque libebit, in promptu venia est : sanctum patet ecce lavacrum, quod renovet vitam veteresque obliteret actus, quodque novos homines faciat. Quid quaerimus ultra ? Et tamen ulterior venia est : violaverit ullus hoc quoque polluto prolapsus corpore donum, quamquam jam nimius longe processerit error, desinat et redeat : cum se damnaverit ipse, absolvi meruit, si paenitet, irrita culpa est. *Carm.* v *de J. B.* versus finem.

(3) Ambr. « Plena est terra misericordia Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum, super omnes sol oriri jubetur (scil. sol gratiae). » *Serm.* viii *in Ps.* cxviii.

(4) Prosper : « Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat ». *Resp.* xv *ad obj. Vincent.*

(5) Auctor l. *de voc. gent.* « Credimus nullis hominibus opem gratiae in totum fuisse subtractam. » L. I, c. xxi. — « Quae beneficia, licet obduratis nihil remedii attulerint, probant aversionem illorum non divinae fuisse constitutionis, sed propriae fuisse voluntatis. » L. II, c. xxviii.

(6) Greg. M. « Quisquis delinquit et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in aequitate tolerat, ut ab iniquitate compescat » *Mor.* l. XVII, c. iv.

(7) Id. « Pensate, fratres charissimi, quia conclusit Dei pietas duritiam nostram. Non est jam quid homo excusationis inveniat. Deus despicitur et exspectat ; contemni se videt et revocat ; injuriam de contemptu suo suscipit, et tamen quandoque revertentibus etiam praemia promittit. » *Hom* xiii *in Ev.*

(8) Aug. « Observa ne longitudine misericordiae Dei male utendo, tu tibi thesaurizes iram de caelo. Ea est caecitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur : sed nondum penitus, cum in hac vita est. Sunt enim tenebrae exteriores, quae magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit ». *Enarr. in Ps.* cxxxv, n. 1.

ficatur non denegari pro tempore et loco gratiam, saltem remote sufficientem, peccatoribus obstinatis. Ergo. — b) Non raro affirmat Deum deserere, obdurare, excaecare superbum et contemptorem legis ; verum ea addere solet quibus significet non omnem gratiam denegari ; sed interdum eam gratiam conferri qua peccator excaecationem et obdurationem excuteret, si vellet ([1]).

III^m Arg. RATIONE THEOLOGICA. 1. Quamdiu vivit homo, est viator et ejus finis semper est aeterna salus et Dei gloria formalis. Atqui haec conditio exigit ut pro tempore et loco non denegentur peccatori obstinato gratiae saltem remote sufficientes ad paenitentiam agendam. Ergo. — *Prob. min.* De ratione viatoris est, ut possit progredi et pervenire ad terminum viae. Atqui hoc est impossibile, nisi pro tempore et loco dentur gratiae. Ergo. — 2. Desperatio est semper summa iniquitas ; spes salutis contra est materia perpetua praecepti. Atqui hoc infert peccatori obstinato pro tempore et loco concedi gratias. Si enim datur status peccatoris in quo denegatur auxilium sine quo imposibilis est adeptio salutis, haec merito desperatur. — 3. « Receptum est in Ecclesia, ait Perrone, ut quoties casus contingit, ut aliquis ex hujusmodi perditis hominibus et effusis in omne vitium, immo et in incredulitatem graviter decumbat, toties accurrant ejus ministri, ut eum hortentur ad resipiscentiam salutarem ac fideles pro eo preces ad Deum fundant. Ergo pro certo habet Ecclesia, neminem, quamdiu in vivis est, omni prorsus gratia destitui ; alioquin ridicula et absurda esset ejusmodi sollicitudo » ([2]).

269. — Scholion. Quaeres an peccatores obstinati obtineant gratias remote sufficientes ad vitanda peccata seu praecepta divina observanda ; quaeres etiam an transgressiones praeceptorum ipsis sint imputandae, si deest auxilium requisitum ad peccatum vitandum ?

Resp. Enata est inter catholicos theologos triplex sententia :

1. Nonnulli theologi voluerunt peccatores excaecatos et obduratos a culpa excusari, dum praecepta divina transgrediuntur, ad quae obser-

---

([1]) AUG. L. V *cont. Julian.* c. III expresse dicit caecitatem cordis solum removere illuminatorem Deum. — *Enarr. in Ps.* CXLVII, n. 27 de desertione a Deo loquens ait: « Quis seipsum liberabit, si ille deseruerit ? et quis liberat ? Gratia Dei per J. C. D. N. » Gratiam erga obstinatos laudans, subdit: etsi « congelaverint et crystallum facti fuerint, non erunt duri misericordiae Dei : emittet verbum suum et tabefaciet ea etc. » In libro *de nat. et gr.* c. XXII, n. 25 loquens de superbis ait: « Deserti luce justitiae, et per hoc contenebrati, quid pariant aliud, quam haec omnia quae commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicta obaudiant: « Surge, qui dormis etc. »

([2]) PERRONE, *De gratia*, p. I, c. V, prop. III, n. 409.

vanda gratia vere sufficienti privati sunt : « Si peccatores consummatae malitiae, cum blasphemant et flagitiis se immergunt, non habent conscientiae stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus theologis propugno, eos his actionibus non peccare. » — Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700 hanc sententiam damnavit.

2. Alii, inter quos non pauci Thomistae et Augustiniani, contendunt reipsa peccare obduratos et peccata merito ipsis imputari, etiamsi gratia privarentur in poenam praecedentium peccatorum : rationem afferunt a) quia ipsorum culpa est, quod priventur gratia sibi necessaria, ideo impotentia eorum est consequens et voluntaria, non vero antecedens ([1]). — b) Libere peccant et possunt non peccare per simplicem actus suspensionem seu non positionem. — c) Possunt naturae viribus vitare singula peccata lethalia, licet non possint vitare omnia ([2]). Itaque asserunt hi auctores ad peccatum formale necessariam non esse libertatem contrarietatis qua sc. voluntas simul expedita sit ad actum bonum, sed sufficere libertatem contradictionis, qua potest homo agere vel non agere.

3. Alii denique, praesertim Molinistae, argumentis innixi quae supra de peccatoribus communibus sunt allata, affirmant Deum peccatoribus etiam excaecatis et obduratis gratias sufficientes concedere, quibus peccata vitare et praecepta divina observare possint; non contendunt, has gratias infundi singulis ferme momentis, sed pro loco et tempore, cum nempe peccatoribus obstinatis est necessaria, adeoque quoties urget praeceptum sub gravi obligans vel gravis tentatio. Admittunt tamen plerumque non conferri nisi gratiam remote sufficientem, qua excitati per orationem uberiora auxilia impetrare possint. E quibus concludunt, si gratiae restiterint, praeceptorum transgressiones ipsis merito imputari.

Satisfit difficultatibus.

270. — EX SCRIPTURIS movent adversarii difficultates ex peccatis irremissibilibus petitas. Cum objectio fuse discutiatur in tract. de paenitentia ubi probatur nullum esse peccatum quod per sacramentum paenitentiae deleri nequeat, paucis rem expedire licebit.

Obj. 1°. Ex Matth. XII, 31, 32. (Cfr. Marc. III, 28 ; Luc. XII, 10). « Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus,

([1]) S. Th. *C. G.* l. III, c. CLX. — ([2]) Id. *De ver.* q. XXIV, a. 12.

spiritus autem blasphemiae non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo neque in futuro. « Unde sic : Deus non dat gratiam ad paenitendum de peccato quod ipse statuit esse irremissible. Atqui duplex est peccatum irremissibile : spiritus blasphemiae, peccatum in Spiritum Sanctum. Ergo non datur gratia ad paenitendum de hoc peccato.

Resp. Quaerendum est a) quid sit illud peccatum; b) quonam sensu dicatur irremissibile ?

A. Quodnam sit id peccatum ? Dantur tres sententiae :

1ª est Augustini aientis agi de impaenitentia finali. Oritur ex contemptu gratiae vel ex desperatione veniae (1). Ita etiam sentit Fulgentius (2).

2ª est Scoti (3) et Magistri (4), aientium agi de peccato ex certa malitia, quod habetur cum peccatum fit quia est peccatum. Dicitur peccatum contra Spiritum Sanctum quia specialiter adversatur bonitati Dei quae appropriatur Spiritui Sancti. Sic etiam peccatum ex infirmitate dicitur contra Patrem et peccatum ex ignorantia contra Filium, quia potentia appropriatur Patri et scientia Filio.

3ª est Athanasii (5), Hieronymi (6), Hilarii (7), Ambrosii (8), Chrysostomi (9). Aiunt agi de blasphemia in divinitatem Christi uti per miracula se prodentem. Committitur tum ab eis qui, velut Judaei, miracula Christi attribuunt daemoni ; tum ab iis qui daemoni attribuunt opera divina et supernaturalia a Spiritu Sancto (appropriative) facta ad convertendos peccatores vel ad confirmandam fidem.

B. Quomodo dicatur irremissibile ? — Si peccatum contra Spiritum Sanctum sumitur pro impaenitentia finali, nullam patitur difficultatem, siquidem plectitur poenis aeternis. — Si sumitur secundo aut tertio sensu, dicitur irremissibile non physice sed moraliter, non absolute sed comparative ad blasphemiam in Filium, h. e. facultas obtinendi remissionem ligatur tot difficultatibus, ut vix umquam contingat illud remitti ; ratio petitur quia hoc peccato foedatus ob pessimas dispositiones vix ac ne vix quidem consentit gratiis remote sufficientibus ad paenitentiam agendam. — Irremissibilitatem non esse nisi moralem ostenditur :

---

(1) Aug. *Serm.* lxxi, c. 14, 15, 21. M. XXXVIII, 445 sq. *Contra Crescon.* iv, 10; *ep.* 185, n. 49 : *Exp. inch. Rom.* n. 23, *Enchir.* c. lxxxiii. M. XLIII, 554; XXXIII, 814; XXXV, 2015; XL, 272. — (2) Fulgent. *De fide*, n. 38, 39. M. LX, 690. — (3) In 2 d 43, q. 1. — (4) *Sent.* 2 l, d. 43. — (5) *Ep.* iv *ad Serap.* n. 12. M. P. G. XXVI, 653. — (6) *Ep.* xlii. M. XXII, 477; *in Matth.* xii, 32. M. XXVI, 81. — (7) *In Matth.* xii. M. IX, 989. — (8) *In Luc.* n. 12. M. XV, 1729. — (9) *Hom.* xli *in Matth.* n. 3. M. LVII, 449.

1. *Negative:* Nulla enim datur ratio asserendi impotentiam absolutam. In Scripturis enim saepe dicitur simpliciter fieri non posse id quod tantum solet non fieri aut moraliter fieri non potest; aut absolute affirmatur id quod comparative tantum est verum. Sic Matth. IX, 13: « Misericordiam volo et non sacrificium »; ib. X, 20: « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis »; Joh. VII, 16: « Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me »; I Cor. XV, 10: « Gratia ejus in me vacua non fuit.... abundantius laboravi, non ego autem... sed gratia Dei mecum. »

2. *Positive.* a) *Auctoritate.* Illud peccatum remitti asserunt: α) Chrysostomus l. c.: « Et hoc peccatum paenitentibus remissum est. Multi enim eorum qui talia dixerunt, postea crediderunt, omniaque illis remissa sunt ». β) Augustinus: « Etsi quisquam ita sit contrarius veritati, ut Deo loquenti in Filio reluctetur, remittetur ei, cum paenitendo conversus fuerit ad benignitatem. Qui vero huic dono exstiterit inimicus, ut non illud per paenitentiam petat, sed id ei per impaenitentiam contradicat, fit irremissibile » ([1]). — b) *Ratione.* Motivum impotentiae moralis petitur ex eo quod tale peccatum ex natura sua inducit impaenitentiam finalem: praecludit enim aditum fidei, quae est radix conversionis, orationis, etc.

Inde respondetur: a) *Trans. maj. Dist. min.* Datur peccatum irremissibile sc. impaenitentia finalis, *Conc.;* aliud peccatum, *Neg.* aut *Subd.* uti modo. — b) *Dist. maj.* Non datur gratia ad id quod Deus statuit irremissibile esse *hypothetice,* sc. si nulla paenitentia peragatur, *Neg.;* ad id quod est irremissibile *absolute,* et proinde de quo peccato nulla fiet paenitentia salutaris, *Subd.* ad id quod foret *physice* irremissibile, *Conc.;* ad id quod *moraliter* est irremissibile, quia moraliter impotens est peccator agendi paenitentiam consentiendo gratiae, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 2°. Ex Hebr. VI, 4-6: « Impossibile est eos qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, renovari ad paenitentiam, » Ergo.

Resp. In c. V indicaverat Paulus excellentiam sacerdotii Christi per typum Melchisedech; deinde dicit se non curare eos qui imbecilles facti postulant cibos minus solidos; rationem, ob quam eos non curet, exprimit verbis e quibus eruitur objectio:

« *Eos qui semel sunt illuminati* τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας » exponunt de baptismo: Chrys., Theodoret., Damasc., Athanas., Ambros., Aug.,

[1] Aug. *Serm.* LXXI, l. c.

s. Thom., Cajet., Estius, Suar., Beza, Grotius, Zeger, Bengel, etc. — Agi de illustratione evangelica innuunt parallela Eph. I, 18; II Cor. IV, 4; I Pet. II, 9; Hebr. X, 26. — « *Et prolapsi sunt* παραπεσόντας *renovari,* ἀνακαινίζειν (restaurare: ponitur forma activa) *ad paenitentiam* εἰς μετάνοιαν. » — Patres multi et theologi moderni non adeo pauci per paenitentiam intelligunt baptismum, cujus iteratio excluditur. Sic Chrys., Theodoret., Damasc., Ambros., Aug., Thom. (1), Cajet., Estius, Suar. (2). — Hier. (3), Hugo Vict., Lyran., a Lapide, Vasq., Turini, Justiniani favent interpretationi contrariae, eamque contextus exigere videtur.

Itaque sequens videtur esse horum verborum sensus : « Altius ascendere debetis in studio doctrinae christianae, auxiliante divina gratia; nam si quis, hoc studio neglecto, in apostasiam decideret, impossibile est nobis (sive Paulo, sive cuivis ex christianis, quos v. 3 numero plurali *faciemus* designavit), illum ad meliorem frugem reducere, per iteratam praedicationem doctrinae elementaris. Etenim illam doctrinam optime novit esse veram, immo particeps factus est Spiritus Sancti; alia igitur re indiget, quae est praecise doctrina magis evoluta. Ope hujus doctrinae lectores munientur ipsi contra apostasiam, et alios qui nutant in fide, vel qui etiam ad judaismum deflexerunt, poterunt confirmare et reducere. Audit Paulus praesertim doctrinam mox exponendam de sacerdotio Christi, quae Hebraeos docet omnia, quae in splendido Judaeorum cultu eos maxime alliciebant, eminentiori gradu in Christianismo reperiri; quae veritas tum lectoribus tum etiam lapsis, quos alloquentur, summopere utilis erit » (4).

Quare *Dist. ant.* Impossibile est *Deo,* quia nempe decretum tulisset de nulla conferenda gratia apostatis, *Neg.;* impossibile est *Apostolo* nova adhibere medie ad eos convertendos, *Conc.*

Obj. 3°. Ex Hebr. X, 26: « Voluntarie peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia ». — Unde sic : Deus non confert gratiam ei qui jam non participat fructum sacrificii missae. Atqui sunt qui excluduntur ab hac participatione.

Resp. Apostolus deterret Hebraeos ne se exponant periculo apostasiae quia salutem, quantum in ipsis est, desperatam facerent. Desperatam vero facerent repudiando Christum, qui est unica hostia. Falso

(1) In Hebr. VI, lect I; III, LXXXIV, 10, 1m. — (2) *De paen.* d. VIII, s. I. — (3) *Cont. Jovin.* II, 3. M. XXIII, 286. — (4) R. P. CAR. HUYGHE, S. J. *Commentarius in epistolam ad Hebraeos,* p. 132 sq.

asseritur iis solis dari gratiam pro quibus sacrificium missae offertur. Quare *negatur major*.

Obj. 4°. Ex I Joh. v, 15 : « Et scimus quia audit nos quidquid petierimus ; scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. *Est peccatum ad mortem :* non pro illo dico ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est: et est peccatum (in Vulgata excedit particula *non*, quam habet textus graecus) ad mortem. » — Unde sic : Deus non dat gratiam ei pro quo vetat orari. Atqui vetat ne oretur pro certo peccatore. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Si Deus absolute vetat ne *ullus* homo oret, *Conc.;* si tantum vetat ne *quilibet* oret, *Subd.* si tantum vetat ne oretur cum certitudine obtinendi petitum, *Neg.;* secus, *Transm.* — *Cdt. min.* —

Peccatum de quo agitur est infidelitas. Etenim a) non est quodlibet peccatum grave, quaecumque sit ejus species; sed est species determinata. Illud enim peccatum opponitur alii quod etiam est mortale, de quo ob petitiones danda sit venia ei qui hoc peccato foedatur. b) Illud peccatum non occurrit nisi inter Christianos seu fratres. c) Tale est ut ejus discrimen a peccato non ad mortem exterius appareat : « Si quis scit fratrem etc. » d) Mors, quam inducit peccatum, non est mors corporis, uti volunt Aug., Greg. M., Hier., Cassianus, qui per peccatum intelligebant impaenitentiam finalem; sed est mors animae. Mors enim opponitur vitae; jamvero ex usu Johannis vita est vita spiritualis quae habetur per notitiam et fidem Christi (Cfr. I Ep. v, 1, 13; Evang. III, 36; v, 24; VIII, 24; XI, 25, 26; XVII, 3).

Juxta leges ordinariae Providentiae, qui infidelitatis est reus, se ponit extra viam salutis, inspirationesque gratiae rejicit; quare irritae sunt preces pro eo fusae, cum gratias ob preces fidelium sibi collatas reddat pure sufficientes. Porro Paulus in praecedentibus commendaverat fiduciam inter orandum; a certitudine impetrandi petita eximit conversionem positive infidelis; quare non praecipit ut quivis christianus cum solita fiducia pro eo oret.

271. — EX PATRIBUS. Obj. 5°. Non pauci Patres, quorum testimonia in tractatu de paenitentia exponuntur, tenent remissionem peccatorum jam non concedi a Deo post certam peccatorum multitudinem aut certa peccata admissa. Ergo tenent iis peccatoribus non concedi gratias quibus excitentur ad agendam paenitentiam.

Resp. Ex modo quo Patres loquuntur de blasphemia contra Spiritum

Sanctum concludit Morinus [1] eos existimasse paenitentiam esse impossibilem vel inutilem illi qui fidem abnegavit et religionem christianam sciens volensque persequitur. Verum videntur testimonia aut omnia aut pleraque pati aliam interpretationem. — Vel enim Patres tantum affirmant id quod dicit Matthaeus, haberi peccatum irremissibile, nec quaerunt utrum absolute sit tale an comparative et moraliter, sed potius inquirunt quodnam sit illud peccatum. – Vel propugnant impossibilitatem moralem remissionis, docentes scil. raro et difficile in iis, qui fidem abnegarunt vel religionem christianam sunt persecuti, adesse dispositiones requisitas ut absolvantur ab Ecclesia, seu perraro eos consentire gratiis ad paenitentiam agendam excitantibus. — Vel propugnant irremissibilitatem absolutam, sed in sensu composito cum impaenitentia finali. — Vel denique polemice concedebant aut transmittebant unam speciem peccati irremissibilis, contra eos qui plures species enumerabant et ex his textibus Scripturae argumenta sumebant.

Obj. 6°. Apud Patres non raro occurrunt hujusmodi locutiones: Cum completa est mensura certa peccatorum, Deus jam ultra non miseretur, nec dat veniam, sed contra aufert omnem gratiam, excaecat, deserit. Ergo.

Resp. Conceditur veras esse has formulas eo sensu quod post certa commissa peccata Deus peccatorem plectit morte seu eripit e statu viae, et quod in via subtrahit gratias frequentiores, uberiores, proxime sufficientes atque ita inducit obdurationem imperfectam. At negatur eas esse veras et occurrere apud Patres eo sensu quod Deus negaret semper gratias remote sufficientes peccatori in statu viae conversanti.

Obj. 7°. In sexcentis locis asserit Augustinus peccatores obstinatos esse caecos et amisisse possibilitatem videndi; eos ita esse a Deo desertos, ut nihil boni agere valeant et nullum lumen veritatis accipiant. Ergo tenet iis nullam concedi gratiam.

Resp. 1. Peccatores obstinati sunt caeci et amiserunt possibilitatem videndi eo sensu quod non vident quamdiu sunt excaecati, sine gratia non habent potentiam videndi aut aperiendi oculos, nulla gratia confert potentiam proximam videndi, nonnisi raro datur gratia conferens potentiam remotam, gratiis collatiis uti nolunt ad videndum et proinde renuunt videre. At non sunt caeci nec amiserunt possibilitatem videndi, si hoc modo loquendi indicatur ne remotam quidem potentiam videndi

---

(1) Morinus: *De admin. Sacr. Paenit.* l. IX, c. xxviii.

eis pro tempore et loco conferri gratia divina, quamdiu in hoc statu viae versantur.

2. Ut verum admittitur, effatum « obstinatos ita deseri a Deo ut nihil boni agere valeant, » eo sensu quod ob perversitatem renuunt aliquid boni peragere et nonnisi difficillime aliquid boni peragere valent, quia nempe non conceduntur gratiae proxime sufficientes et quia ob malas dispositiones difficile consentire valent gratiis remote sufficientibus. Rejicitur ut falsum, si eo sensu usurpatur, quasi nulla gratia remote sufficiens obstinatis praestaretur.

272. — RATIONE. Obj. 8°. Si obdurati acciperent gratias sufficientes ad salutem, nullum daretur discrimen inter ipsos et peccatores reliquos. Atqui id admitti nequit. Ergo.

Resp. *Neg. maj.* Inter obstinatos peccatores et communes remanet magnum discrimen. Communibus enim peccatoribus uberiores et frequentiores gratiae conceduntur a Deo et eisdem gratiis facilius dant consensum. Obstinatis pauciores dantur gratiae et difficilius eis consentiunt; quo magis enim passionibus indulgent et peccata peccatis addunt, eo minus ad inspirationes attendunt et eo pertinacius gratiis resistunt. Inde obstinatorum conversio fit difficilis valde.

Obj. 9°. Doctrina, quae obduratis quovis vitae tempore gratias sufficientes promittit, perniciosa est, eosque ad peccata sua temere continuanda impellit, cum etiam in fine vitae pessime actae gratiam conversionis sperare possint.

Resp. a) *Retorq. arg.* Opposita doctrina, quae omnem spem adimit conversionis, viam facilem aperit ad quaevis scelera. — b) *Negatur.* Qui doctrina catholica abutuntur quo liberius peccent, certiorem sibi parant perniciem ; quo enim major praecedit abusus gratiarum et quo plura gravioraque fiunt peccata, eo pauciores minoresque solent concedi gratiae, eoque majores evadunt obduratio et excaecatio.

Obj. 10°. Peccatores obdurati adverterent gratiam in cordibus ipsorum excitatam, siquidem reponitur in sanctis cogitationibus et motionibus. Atqui nullatenus eam advertunt. Cernuntur contra ruere in gravissima peccata, quin ullo conscientiae remorsu aut ulla bona cogitatione retardentur.

Resp. 1. Peccatores obstinati advertere possunt motus gratiae cordibus eorum divinitus immissos. Immo dantur varia indicia motionis gratiae : Alii remorsu conscientiae agitantur, alii irrequieti sunt, alii inter delicias experiuntur fastidium, alii stimulos virtutis sentiunt. — 2. Ex eo quod multi peccatores numquam emendentur, sed contra in

graviora ruant, non sequitur gratias proxime aut saltem remote sufficientes numquam eis dari; sed signum est quod ipsi has gratias indurato corde rejiciunt. — 3. Praeterea notandum est gratiam saepe occulto et ineffabili modo operari, ita ut etiam justi de ipsius motibus sibi haud satis conscii sint, quod multo magis de peccatoribus, mente continuo dissipatis, dicendum erit.

ARTICULUS III.

De gratia infidelibus collata.

Duae quaestiones agitandae veniunt: a) An gratia concedatur infidelibus? b) Quaenam sit natura istius gratiae?

§ 1. De exsistentia gratiae infidelibus collatae.

273. — **Notiones.** 1. Infidelis est talis negative aut positive: a) *Negative* infidelis ille dicitur cui numquam praedicatum fuit Evangelium. b) *Positive* infidelis ille est qui Evangelii praedicationem audire recusavit vel auditum contempsit.

2. Distinguitur gratia proxime sufficiens ad fidem et gratia remote sufficiens. Verum non omnes idem sentiunt de duplici hac gratia: a) Secundum sententiam, cui in sequentibus adhaerebimus, gratia remote sufficiens est *pure medicinalis facilitans observationem praeceptorum difficiliorum legis divinae.* — Gratia proxime sufficiens est *entitative supernaturalis et excitativa fidei divinae;* dividitur in *internam* quae continetur illustratione et inspiratione caelitus immissis, et *in externam* quae continetur praedicatione Evangelii. — Prior vocatur remote sufficiens ad fidem, quia, si ipsi consentitur, procuratur a Deo gratia externa proxime sufficiens et infunditur gratia interna. — b) Alii distinguunt gratiam *externam* proxime sufficientem et remote sufficientem ad fidem: α) gratia *proxime sufficiens* continetur praedicatione Evangelii aut vestigiis revelationis; β) gratia *remote sufficiens* continetur testificatione creaturarum. Ut infidelis, tum positive tum negative, actum fidei salutaris eliciat, praeter gratiam externam, exigitur gratia interna illustrationis et inspirationis. Inde gratia proxime sufficiens adaequate inspecta comprehendit gratiam istam internam et *praedicationem evangelii aut vestigia revelationis;* remote sufficiens, eamdem gratiam internam et testificationem creaturarum.

274. — **Quaestio.** Inquiritur utrum Deus omnibus infidelibus tribuat *gratias internas sufficientes ad fidem amplectendam*, deinde ad ipsam justificationem et salutem consequendam.

Negat Jansenius [1] dari gratias sufficientes non modo negative infidelibus, sed etiam positive.

Definitum est ex dammata ab Alexandro VIII propositione 5ª Arnaldi (Denz. n. 1162) et ex damnatis a Clemente XI propositionibus 26ª, 27ª et 29ª Quesnellii (Denz. n. 1241) *aliquibus* infidelibus dari gratias internas sufficientes ad amplectendam fidem et salutem consequendam. — Insuper *omnibus infidelibus positivis* tribui gratias internas sufficientes admittunt omnes theologi, quia omnibus iis concessa cum sit gratia externa proxime sufficiens, profecto non recusavit Deus gratiam internam. — De infidelibus *negativis* dantur duae sententiae : Nonnulli theologi negant omnibus dari gratias sufficientes ; plerique affirmant. Hi contendunt negative infideles non perpetuo carere gratia interna remote sufficienti ad fidem amplectendam et salutem consequendam, sed eam dari pro tempore et loco, ita ut carentia beatitudinis in infideles sit refundenda et ut voluntas Dei salvifica etiam ad eos extendatur. Haec sententia videtur esse *theologice certa*.

THESIS XLIIIª. Infidelibus non modo positivis, sed et negativis, pro tempore et loco concedit Deus gratias saltem remote sufficientes ad fidem amplectendam et justificationem salutemque consequendas.

Observa. Si agitur de positive infidelibus, nulla est difficultas ; cum enim supponantur audiisse praedicationem Evangelli, Deus potest immittere pro tempore et loco gratias entitative supernaturales quibus excitentur ad fidem habendam in revelata. Quare probatur Deum iis non denegare omnem gratiam iisdem argumentis quae in thesi praecedenti allata sunt circa peccatores obstinatos ; praeterea probatur argumentis quae afferentur circa infideles negativos, qui peculiariter attenduntur in hac thesi ob specialem difficultatem.

275. — Probatio Iª. Ratione theologica. Deus vult voluntate conditionata quidem, at seria et actuosa, ut omnes homines salvi fiant. Atqui talis voluntas exigit ut negative infidelibus, quibus continetur notabilis pars generis humani, concedantur a Deo pro loco et tempore gratiae saltem remote sufficientes ad fidem amplectendam et justificationem salutemque consequendas. Ergo. — *Prob. min.* Ut Deus dici valeat serio et actuose velle salutem negative infidelium, exigitur ut in infidelium potestate constituta sint media ad salutem necessaria, adeo ut jactura salutis repetenda sit ex mala ipsorum voluntate renuente uti

[1] Jansenius : *De gr. Chr.* l. III, c. xi.

hisce mediis ; proinde exigitur ut Deus tribuat ea media quae in naturali potestate eorum non sunt posita et a solo Deo tribui possunt. Ulterius vel haec media conceduntur absolute vel hypothetice, prouti eorum collatio dicitur annecti aut non annecti adimpletioni conditionis. — Porro ut negative infideles salvi fiant, exigitur tum ut justificentur adeoque se disponant justificationi actibus supernaturalibus, tum peculiariter ut habeant fidem salutarem a qua incipit series actuum ad justificationem positive disponentium ; jamvero nec justificatio nec fides salutaris ponitur in naturali eorum potestate : exigitur enim tum gratia interna supernaturalis tum notitia revelationis divinae. Itaque exigitur ut Deus velit ipsis concedere haec media requisita. Cum innumeri infideles moriantur sine notitia revelationis, adeoque sine ullo umquam recepto auxilio entitative supernaturali excitante ad fidem et a fortiori excitante ad dispositiones propinquiores ad justificationem, dicendum est Deum non velle absolute iis concedere haec media necessaria, proindeque iis denegasse gratias proxime sufficientes. Quare restat ut Deus vi voluntatis salvificae velit eadem media concedere hypothetice. Porro cum assecutio debeat poni in manu ipsius infidelis, quod ostenditur in tractatu *de Deo uno*, conditio, cui annectitur horum mediorum concessio, non valet esse alia praeter observationem legis naturalis. Verum si Deus non confert negative infidelibus auxilia specialia beneficio quorum observatio legis Dei fiat moraliter possibilis, ejus voluntas salvifica, prouti extenditur ad illos, non erit seria neque actuosa, siquidem salus et fides annecterentur adimpletioni conditionis quae iis est moraliter impossibilis. Dicendum itaque est Deum vi voluntatis salvificae concedere negative infidelibus auxilia specialia observationem legis facilitantia. Jamvero iisdem auxiliis continetur gratia remote sufficiens ad fidem amplectendam et justificationem salutemque consequendas. Ergo.

276. — Probatio IIª. Ex Scriptura. Argumentum sumi potest ex iis locis quibus Deus omnes peccatores vocat ad paenitentiam, omnes homines ad salutem, aut quibus Christus asseritur sanguinem fudisse pro omnibus hominibus. — Speciatim arguitur ex Joh. I, 9 : « Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » — In Ps. XVIII, 5, 7 legitur : « In omnem terram exivit sonus eorum... nec est qui se abscondat a calore ejus, » quae verba a psalte regio quidem dicuntur de operibus mirabilibus creationis, verum a Paulo (Rom. X, 18) applicantur praedicationi Evangelii.

1. Ex Joh. I, 9 sic arguitur : Dicendum est gratiam saltem remote

sufficientem tribui omnibus infidelibus, si omnes homines dicuntur illuminari interne et supernaturaliter. Atqui a Johanne omnes homines dicuntur illuminari interne et supernaturaliter. Id enim constat tum interpretatione Patrum, nominatim sancti Chrysostomi, uti sequentibus constabit, tum contextu : Agi de illuminationi *supernaturali,* constat quia agitur de Verbo uti est Redemptor adeoque causa meritoria et institutor charismatum supernaturalium. — Agi de illuminatione *interna*, constat tum quia sensu obvio apud Johannem fit sermo de operatione immediata Verbi, tum quia illuminatio externa non transiit ad omnes homines, tum quia Verbum agit in intellectu eodem modo atque in voluntate ; jamvero agit immediate in voluntate secundum Joh. xv. Ergo homines omnes, adeoque et negative infideles, quibus continetur major pars generis humani, recipiunt gratiam sufficientem illustrationis.

2. Arguitur ex Ps. XVIII, 5 et 7 collato cum Rom. x, 18 : Ad tot homines extenditur fides, de qua Apostolus, ad quot extenditur naturalis cognitio Dei, de qua Psaltes. Atqui naturalis cognitio Dei se extendit ad omnes homines, quatenus omnes possunt, si volunt, devenire ad Dei notitiam. Ergo fides extenditur ad omnes homines. Atqui hoc verificatur quidem si Deus negative infidelibus concedit gratias remote sufficientes ; nullatenus vero verificatur si denegantur eaedem gratiae, ut in argumento rationis theologicae ostensum est. Ergo.

277. — **Probatio III^a. Ex Traditione. I^m Arg.** Ex decretis Ecclesiae : 1. Propositio 5^a Arnaldi, inter 31 in globo ab Alexandro VIII damnatas, sic sonat : « Pagani, judaei, haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum : adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente » (Denz. n. 1162). Licet non definiatur nisi contradictoria, vi cujus *aliqui* pagani etc. accipiunt influxum a Christo Jesu, attamen ad mentem damnantis videtur esse influxum gratiae ad omnes paganos extendi. — 2. Arguitur ex propositionibus 26, 27, 29, inter 101 prop. Quesnellii in globo a Clemente XI damnatas (Denz. n. 1241 seq.). Sic sonat 26^a : « Nullae dantur gratiae, nisi per fidem » ; 27^a : « Fides est prima gratia et fons omnium aliarum » ; 29^a : « Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia ».

II^m. Arg. Ex Patribus. 1. Patres asserunt a) omnes gentes vocari ad fidem et ad salutem ; b) pro omnibus effusum esse sanguinem J. C. ; c) omnibus dari gratias. Atqui haec falsificantur, nisi infidelibus, quibus continetur maxima hominum pars, ministrentur a Deo gratiae remote

saltem sufficientes ad fidem, justitiam et salutem, uti supra ostensum est. Ergo. — Sic loquuntur Clemens Romanus (1) ; Irenaeus (2) ; Clemens Alexandrinus (3) ; Origenes qui multis argumentis et similitudinibus probat voluntatem salvificam Dei esse universalem et solvit argumenta contraria ; Ambrosius (4); Chrysostomus (5); Augustinus (6).

2. Patres, explicite de infidelibus negativis loquendo, asserunt eos ad fidem et ad salutem vocari a Deo, penes ipsos esse fidem, inexcusabiles esse quod jacturam salutis sint passi. Sic Chrysostomus (7) ; Augustinus (8) ; Paulus Orosius, qui fuit s. Augustini discipulus et

(1) Clem. Rom. « Sanguis J. C. pro nostris peccatis, et propter nostram salutem effusus, paenitentiae gratiam toti humano generi obtulit. » *Ep.* I *ad. Cor.* n. 7.

(2) Iren. « Vis a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper, et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus ; posuit autem in homine potestatem electionis ; abjicientes igitur bonum et quasi respuentes, merito omnes in justum judicium incident Dei. » L. IV *adv. haer.* c. lxxi.

(3) Clem. Alex. « Audite, qui estis longe, audite, qui prope ! Nullis celatum est verbum, lux est communis, omnibus illucescit hominibus, etc. »

(4) Ambrosius explicans illud : « Misericordia Domini plena est terra, » ita disserit : « Super omnes sol oriri jubetur. Et hic quidem sol super omnes oritur. Mysticus autem sol ille justitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est et omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat ; ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit ; sed quod solis est, praerogativam suam servat ; quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit. » *Serm.* viii *in Ps.* cxviii, n. 57.

(5) Chrysost. « Deus secundum praescientiam suam, licet sciat qui justi futuri sunt et qui injusti, tamen omnes vocat ad fidem, dans eis gratiam credendi in Christum quod est talentum, bonis quidem ad salutem, malis ad praejudicium, ut inexcusabiles fiant. » *Hom.* liii *in Matth.* c. xxv.

(6) Aug. « Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. » Ergo quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult. Venit Salvator ad mundum ; quare salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum. ? Salvari non vis ab ipso ? ex te judicaberis ». *Tract.* xii *in Joh.* n. 12. — « Non est qui se abscondat a calore ejus. » Cum autem Verbum caro factum est et habitavit in nobis mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis ; et ipsam enim penetravit verbi calor ». *Enarr. in Ps.* xviii, n. 7.

(7) Chrys. « Si (Christus) illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent ? Neque enim omnes Christum agnoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem ? Illuminat profecto, quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios oculos dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffusa est : non Judaeum, non Graecum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem effugit aut dedignatur ; omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Qui vero nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis caecitatem imputent oportet. » *Hom.* viii al. vii *in Joh.* n. 1.

(8) Aug. « Vult Deus omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum Evangelium non credunt : nec ideo tamen eam vincent ; verum se ipsos fraudant magno et summo bono, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in bonis misericordiam contempserunt. » *De spir. et litt.* c. xxxiii. M. XLIV, 238.

amicus (1) ; s. Prosper (2) ; Auctor l. *de Voc. Gent.* (3). Haud aliter etiam loquitur s. Thomas (4).

Rationes theologicae in superioribus sunt traditae. Et re quidem vera omnibus hominibus una est natura, unusque finis ultimus, scil. glorificare Deum supernaturali cognitione, laude et amore in hac vita, et per ea se disponere ad salutem supernaturalem quae reponitur in visione intuitiva Dei et amore ad eam consequente ; porro ad hoc opus est ut cuique paratae sint gratiae sufficientes.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

278. — A. Contra argumentum ex voluntate Dei salvifica.

Obj. 1° Voluntas Dei salvifica non exigit ut negative infidelibus dentur gratiae. Etenim 1° voluntas Dei salvifica, quae non est nisi conditionata, non exigit collationem gratiarum negative infidelibus, si sic exprimitur quantum attinet ad fidem : Deus vult ut infideles perveniant ad fidem sub ea conditione quod a praeconibus Evangelii iis nuntietur revelatio, nulla gratia eis antea data. Atqui sic exprimi potest. Ergo. — *Prob. min.* Ubi agitur de parvulis, voluntas Dei salvifica sic concipitur : Deus vult ut parvuli salvi fiant, dummodo in lucem edantur et parentes curent eis conferri baptismum. Ergo a pari voluntas salvifica uti se extendit ad adultos potest concipi praefato modo. — 2. Eadem Dei voluntas sic exprimi potest : Deus subministrat cogni-

(1) OROSIUS : Ita Pelagium affatur : « Mea semper haec est fidelis et indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem dona largitur, verum etiam universis in hoc modo gentibus propter longanimem sui aeternamque clementiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Caelestio..., in solo naturali bono, et in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam ; sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, et cunctis et singulis ministrare. » — Deinde, non paucis interjectis, sic concludit : « Ex quo evidentissime declaratum est, nemini hominum deesse adjutorium Dei, praesertim cum et seductor instet, et insit infirmitas. » In *Apologetico pro libertate arbitrii.*

(2) PROSPER : « Omnium ergo hominum cura est Deo, et nemo est quem non aut evangelica praedicatio aut legis testificatio, ipsa etiam natura conveniat : sed infidelitatem hominum ipsis adscribamus hominibus. » *Resp.* VII. *ad Capit Gallorum.* M. LI, 164.

(3) AUCTOR l. *de voc. gent.* « Opitulatio (divina) per innumeros modos sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur ; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae ; quod autem a multis suscipitur, et gratiae est divinae et voluntatis humanae » (l. II, c. XXVI). « Universitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper et consulit semper, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari » (c. XXIX). — « Elaboratum est, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro saeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse providentia quidem pari, et bonitate generali, sed multimodo opere diversaque mensura, quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est (ut Apostolus ait) Salvator omnium hominum, maxime fidelium » (c. XXXI).

(4) S. TH. *C. G.* l. III, c. LVII ; in 1. d. 40, q. IV, a. 2.

tionem revelationis et gratiam internam, dummodo infideles prius per vires naturae observent legem naturalem, et sic se disponant negative. Ergo iterum salvatur voluntas Dei salvifica, citra ullas gratias eisdem ante fidem datas.

Resp. Ad 1m obj. 1. *De conditione cujus adimpletioni alligatur salus adulti.* Non salvaretur voluntas Dei salvifica respectu infidelium negativorum, qualis revelatione innotescit, si assereretur Deum esse paratum ad dandas eis gratias fidei, sub ea conditione quod missionarii Evangelium iis praedicarent, citra ullas antea datas gratias. — Ratio est quia cuique adulto non denegatur salus nisi ob demerita *propria*, non vero ob demerita aut negligentiam aliorum, proinde quod cuique adulto dari debent media saltem remote sufficientia ad salutem sibi comparandam.

2. *De conditione cujus adimpletioni alligatur justificatio parvulorum.* Deus non vult salutem parvulorum nisi sub conditione tum quod eorum parentes, vel majores, vel alii homines, per preces suas aut vitam honestam, mereantur ut hi infantuli non moriantur ante egressum ex utero materno ; tum quod parentes, aut alii, curent baptismum iis administrari. Quamobrem denegatur salus parvulis sine baptismo morientibus ob demerita vel negligentiam aliorum.

3. *Ratio discriminis conditionum quibus alligatur salus adulti et parvuli.* Dispar est conditio naturalis parvulorum et adultorum. Adultus naturaliter postulat ut salus non denegetur nisi ob demerita sua ; parvuli, cum circa fere omnia pendeant ab aliis, permittunt ut etiam circa salutem ab iis pendeant. — Notare expedit pro adultis non dari medium locum inter regnum caelorum et gehennam ; contra parvulos exclusos a regno caelorum fieri participes beatitudinis naturalis.

Ad 2m obj. Nec salvaretur voluntas Dei salvifica respectu adultorum, si assereretur Deum iis procurare cognitionem revelationis et gratiam excitativam fidei, sub ea conditione quod infideles prius servaverint legem naturalem per solas vires naturae, et sic se disposuerint negative ad gratiam. — Ratio est quod gratia sic annecteretur conditioni cujus adimpletio est moraliter impossibilis naturae humanae, proindeque quod talis voluntas salvifica desineret esse seria et vera.

279. — Directe contra thesim **Obj.** 2°. A. Ratione. Infideles negativi ignorant revelationem. Atqui Deus non dat gratiis iis quibus nota non est revelatio. Ergo. — *Prob. min.* Secus daretur gratia ante eam gratiam quae excitat ad fidem. Atqui gratia excitativa fidei est prima gratia. Ergo. — *Prob. min.* Juxta Tridentinum, sess VI, c. viii, fides est

initium et radix justificationis. Atqui hoc falsificaretur eo quod darentur a Deo gratiae ante eam quae excitat ad fidem. Ergo.

Resp. Alii sic solvunt difficultatem : *Conc. maj.* et *Dist. min.* syllogismi principalis : Deus non dat gratiam *elevantem* seu *supernaturalem* quoad substantiam iis quibus nota non est revelatio, *Conc.* ; non dat gratiam pure *medicinalem*, *Neg.* Ad probationem respondetur eodem modo distinguendo minorem. Haec solutio praeplacet. — Alii sic respondent : *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist. maj.* Daretur gratia ante eam gratiam quae excitat *ad fidem latam*, *Neg.* ; ante gratiam quae excitat *ad fidem strictam*, *Conc.* — Ad prob. minoris *Dist. maj.* Fides lata aut stricta est radix justificationis, *Conc.* ; semper sola fides stricta, *Neg.* — Alii sic : *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist. maj.* Daretur gratia ante eam quae excitat ad fidem *inchoatam* et *imperfectam, Neg.* ; ante eam gratiam quae excitat ad fidem *perfectam, Conc.* — *Cdt. min.* — Ad probationem respondetur eodem modo.

Primam responsionem praeferendam esse constabit ex modo dicendis :

Primus actus salutaris (h. e. positive disponens ad justitiam) est fides, adeoque fides est radix justificationis ; quare prima gratia supernaturalis datur ad fidem. Hoc non impedit quin ante fidem dentur gratiae pure medicinales, quarum ope infideles observent legem naturalem et se disponant negative ad receptionem gratiae excitantis ad fidem, removendo ea quae obstant ne Deus adducat cognitionem revelationis et tribuat gratiam internam entitative supernaturalem.

Obj. 3° Eo quod gratiae remote sufficientes ad salutem darentur infidelibus negativis sequeretur a) opere naturaliter honesto homines disponi ad fidem : gratia enim praecedens fidem non erit supernaturalis ; proinde b) fidem non amplius esse gratuitam, sed esse praemium meritorum naturalium ; et c) gratiam non esse amplius gratiam, sed bonum omnibus commune. Atqui his continentur totidem errores Pelagianorum et Semipelagianorum. Ergo.

Resp. *Dist. 1ª et 2ª part. maj.* Consequens erit opera naturalia facta cum auxilio gratiae medicinalis disponere *positive* ad fidem, ac proinde fidem non esse gratuitam, *Neg.* ; disponere *negative,* ita ut fides maneat gratuita, *Conc.* — *Dist. 3ª pars :* Consequitur gratiam *entitative supernaturalem,* beneficio cujus elicitur fides formalis, esse omnibus communem, *Neg.* ; sequetur gratiam *medicinalem* omnibus a Deo offerri, *Conc.*

Obj. 4°. Eo quod infidelibus darentur gratiae sufficientes ad fidem, sequeretur ignorantiam mysteriorum qua detinentur esse culpabilem. Atqui non est culpabilis : Etenim damnata est ista propositio, 68ª inter

69 Baii : « Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est. » — *Prob. maj.* Illud est culpabile, quod est peccatum materiale et voluntarium in sua causa ; atqui ignorantia illorum mysteriorum fidei est mala et, posito Deum dare infidelibus gratias facilitantes observationem legis naturalis, esset voluntaria in causa, nempe in transgressione voluntaria legis naturalis, ex qua sequitur ; ergo est culpabilis.

Resp. *Neg. maj.* Ad. probationem respondetur concedendo majorem et negando minorem. Ratio negandi est quia, ut aliquid voluntarium sit in causa, non sufficit ut effectus ex causa necessario profluat, sed adhuc exigitur ut saltem in confuso praescitus fuerit esse ex causa secuturus. Jamvero infideles negativi ne suspicantur quidem mysteria, adeoque praescire nequeunt ignorantiam esse secuturam ex violatione legis divinae. Quamobrem, dum legem naturalem transgrediuntur, mysteriorum ignorantiam nullatenus volunt.

280. — **Obj. 5°.** B. Ex Scriptura et Patribus. Juxta Act. xiv, 15 « Deus in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. » Atqui hoc est falsum, ubi dicitur negative infidelibus datas esse gratias. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Deus dimisit gentes absolute loquendo, *Neg.* ; relative loquendo, *Conc.* Scriptura et Patres dicunt gentes fuisse derelictas a Deo sine gratia, eo sensu quod lex mosaica iis non fuit imposita, quod caruerunt gratiis abundantibus christianorum, quod caruerunt de facto gratia fidei etc. ; non vero eo sensu quod caruerunt omni auxilio per cujus bonum usum potuissent pervenire ad fidem (1).

Obj. 6°. S. Augustinus aperte negat gratiam infidelibus dari : « Gratia per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides » (2). « Gratia Dei christianis est propria, non christianis gentilibusque communis » (3). « Illis non est ortus Christus, quibus non est agnitus Christus. Sol ille justitiae sine nube, sine nocte ; ipse non oritur impiis, non oritur infidelibus » (4).

---

(1) « Sed ne in praeteritis quidem saeculis haec eadem gratia, quae post D. N. J. C. resurrectionem ubique diffusa est, defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet electum omnesque alias nationes suas vias ingredi, hoc est secundum propriam permissae sint vivere voluntatem ; non ita se tamen aeterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se, atque metuendum nullis significationibus admoneret... Qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, sed numquam sunt manifestis occultisque beneficiis abdicati. » *De vocat. gent.* l. II, c. iv.

(2) Aug. *De lib. arb.* c. xiii. — (3) Id. *Op. imperf.* n. 83. — (4) Id. *Serm.* ccxcii.

Resp. S. Augustinus non loquitur de gratia medicinali, sed de gratia sanctificante et de gratia spei, caritatis et paenitentiae, quae praerequirit fidem. Interdum etiam negat gratiam efficacem et proxime sufficientem infidelibus negativis concedi, sed vult gratias remote sufficientes eis conferri, ut ex ejus testimoniis supra citatis patet.

Obj. 7°. Concilium Tridentinum in sess. VI, c. III, inquit : « Verum etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis communicatur ». Atqui, si gratiae sufficientes omnibus infidelibus dantur, dicendum est meritum passionis Christi omnibus communicari. Ergo infidelibus non dantur gratiae sufficientes.

Resp. Concilium Tridentinum nomine beneficii mortis Christi intelligit justificationem, ut constat ex toto ille capite, ita ut sensus citati textus sit : Quamvis Christus, pro omnibus moriendo, sufficientia auxilia omnibus meruerit, non omnes tamen in hac vita recipiunt gratiam justificationis ejus, sed ii tantum, quibus meritum passionis ejus perfecte communicatur per susceptionem sacramenti, vel per fidem, spem et caritatem.

Obj. 8°. Judaeis data non est gratia sufficiens ad legem mosaicam observandam. Ergo a fortiori infidelibus data non est gratia sufficiens ad legem naturalem observandam. Ergo ([1]).

Resp. *Neg. ant.* Judaeis concessas fuisse gratias sufficientes ad legem observandam, abunde liquet ex testimoniis V. T. quae adducta fuerunt. — Pelagiani eumdem errorem Augustino attribuerunt. Respondet s. Doctor : « Ex his etiam illa, quae nobis objiciunt, refelluntur. Quis enim catholicus dicat, quod nos *dicere jactant,* Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in V. T. non fuisse » ([2]). « Lex data est (Israel) ut medicus, id est, gratia adjuvans » ([3]). Alibi de Judaeis scribit : « Gratiam refellebant et in Christum propterea non credebant » ([4]).

Observa. S. Augustinus, ubi asserit legem veterem cum gratia conjunctam non fuisse, id eo sensu dicit quod Judaei gratias supernaturales per fidem in Messiam acceperunt, non autem per legem exteriorem. Ubi legem novam legi veteri opponit et legem gratiae appellat, ideo non negat gratias concessas fuisse etiam in veteri legi ; sed legem novam appellat legem gratiae, tum quia suavior est, tum quia lex nova per se et ratione sui dat gratiam, nempe per sua sacra-

(1) Cf. Jansenius, *De gr. Salvat.* l. III, c. v sq. — (2) Aug. l. III *ad Bonif.* c. iv. — (3) Id. *Serm.* xiii *de verbis Apostoli*, c. ii. — (4) Id. *De gr. et lib. art.* c. xii, n. 24. M. XLIV, 895.

menta, tum quia in lege nova uberiores et potentiores gratiae conferuntur, propter merita Christi. Ubi asserit Judaeis, qui legem divinam temere transgressi sunt, gratiam defuisse, id intelligit de gratia proxima et completa implendi legem, non vero de gratia remote sufficiente.

§ 2. De natura gratiae negative infideli collatae.

281. — Quaestio enascitur ex eo quod collatio gratiarum negative infidelibus concilianda est cum Concilio Tridentino asserente fidem esse initium, fundamentum et radicem omnis justificationis (sess. VI, c. VIII). Ex hoc enim consequens videtur primam gratiam a Deo collatam excitare hominem ad eliciendum actum fidei: si enim prima gratia excitaret ad alios actus, et si per consensum salutarem huic gratiae mereretur homo ulteriores gratias quibus ad fidem, deinde ad justificationem perveniret, initium et radix justificationis jam non foret fides, processus justificationis non proprie a fide sumeret exordium, sed staret in his actibus salutaribus ante fidem elicitis. — Jamvero impossibile videtur Deum ad fidem excitare omnes negative infideles ; non valet enim excitare ad fidem nisi eos ad quos pervenit notitia revelationis ; jamvero haec secundum legem ordinariam non innotescit nisi per praedicationem, aiente Apostolo : « Quomodo credent ei quem non audierunt ? Quomodo autem audient sine praedicante ? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur ? » — Ut solvatur difficultas, variae sententiae fuerunt propositae, inter quas hae tres sunt principales.

Prima, quam proposuit Ripalda, qui tamen eam pro vera non habet, et cui pauci catholici olim adhaeserunt, distinguit inter *fidem strictam*, quam ut ceteri auctores definit adhaesionem mentis ob auctoritatem Dei revelantis seu externam locutionem, et *fidem late dictam*, quam dicit esse cognitionem subjective supernaturalem de Deo aut re honesta ob internam locutionem, cum voto fidei stricte sumptae. Locutione interna intelligitur non quidem revelatio interna, sed illustratio mentis et inspiratio voluntatis quae determinant adhaesionem mentis Deo aut cuilibet rei honestae. Quare fides lata sic procedit : Determinatur rebus naturaliter notis cogitatio de Deo aut de re alia honesta ; haec cogitatio efficienter procedit a facultate et a gratia ; voluntas consentit et elicitur actus salutaris ; paratus est homo ad observandam totam Dei legem, adeoque ad credendum, ubi revelatio innotuerit. — Porro asserunt nonnulli catholici ad justificationem non requiri fidem strictam, sed ad ejus initium sufficere fidem latam. — Quo fundamento supposito, asserunt primas gratias, negative infidelibus concessas, esse

entitative supernaturales et excitare ad eliciendam fidem latam ; per consensus salutares mereri gratias entitative supernaturales ad observandam legem Dei, Deumque super omnia amandum ; ob consensum salutarem hisce motionibus gratiae infundi justificationem. — Ista sententia rejecta est in tractatu de fide, ubi probatum est ad justificationem exigi fidem strictam. Cf. n. 236 sq.

282. — **Secunda** sententia asserit ubique terrarum remansisse vestigia nonnulla revelationis primitivae, sufficientia ad hoc ut quivis negative infidelis possit ob auctoritatem Dei revelantis credere explicite Deum esse et eum esse remuneratorem et credere implicite quaelibet revelata, explicite assentiendo motivo formali fidei. Primae gratiae, negative infidelibus concessae, sunt entative supernaturales et excitant ad hanc fidem, quae vocatur imperfecta et inchoata ; ob consensum salutarem conferuntur aliae gratiae ad observandam legem Dei, Deumque amandum ; ob novos actus salutares infunditur gratia sanctificans.

Crisis. Ista sententia, quatenus extenditur ad omnes gentes infideles, rejicienda videtur ob duo : a) Falsum apparet multis apud omnes gentes reperiri vestigia revelationis. Ubi adsunt, solent tot fabellis esse involuta, ut jam non videantur apta ad hoc ut sint materia actus fidei. b) Actus fidei est prudens et certus supra omnia, uti ostenditur in tractatu de fide ; jamvero, uti ibidem ostenditur, ut intellectus prudenter adhaereat propositioni cum tali fixitate, saltem oportet ut factum revelationis sit moraliter certum ; ut autem tale sit, moraliter debet esse certum aliquem virum exstitisse qui dixerit se revelationem accepisse a Deo, hunc virum confirmasse veritatem dictorum miraculis quorum proinde moraliter certa sit veritas historica, philosophica, relativa. Jamvero ex vestigiis revelationis ubique sparsis non videtur erui posse moralis certitudo eorum omnium. Ergo impossibile videtur ut haec revelata sint materia actus fidei divinae.

283. — **Tertia** sententia, quae est Suarezii, Lugonis, et attribuitur Molinae, sequentia involvit : Primae gratiae, negative infideli collatae, non sunt entitative supernaturales, neque excitativae fidei, sed pure medicinales, scil. entitative naturales et facilitantes observationem legis ; harum ope si observatur lex Dei, ulteriores conceduntur gratiae internae ad fidem strictam. — Quae sententia sic evolvitur. Ex mandato Patris, Christus, ab initio Incarnationis, obtulit omnia sua merita pro salute omnium, ut nempe omnibus praestarentur media sufficientia salutis seu gratiae supernaturales quibus homines valerent se disponere ad justitiam et mereri regnum caelorum. Pater acceptando promisit se

omnibus esse daturum hujusmodi auxilia. Verum ista lex de distributione auxiliorum entitative supernaturalium, non fuit absoluta, sed conditionata. Vult enim Deus ut negative infidelis praecepta faciliora legis adimpleat per vires naturae ; ad servanda difficiliora ei subministrat gratiam pure medicinalem, seu supernaturalem quoad modum, praesertim hanc gratiam infundit si negative infidelis prius faciliora praecepta servaverit per vires naturae. Si cum auxilio istius gratiae servaverit legem divinam, et sic, vitato peccato, se negative disposuerit, Deus ulterius, ob merita Christi, et vi pacti cum Christo initi, ei infundit gratiam supernaturalem excitativam fidei strictae. Curabit igitur Deus ut notitia revelationis perveniat ad infidelem, qui cum auxilio gratiae medicinalis legem divinam servavit, adhibito etiam, ubi opus fuerit, medio extraordinario. — Inde observatio legis naturalis cum auxilio gratiae habet quidem rationem dispositionis negativae et conditionis sine qua non, nullam vero rationem dispositionis positivae ad gratiam supernaturalem fidei, nec rationem impetrationis aut meriti. Sola enim ratio, qua movetur Deus, petitur ex meritis sanguinis Christi et ex pacto cum Christo inito ; verum per observationem legis removetur id quo impediebatur Deus ne moveretur meritis Christi. — Quare effatum « facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam » sic explicatur : Observanti faciliora praecepta legis viribus naturae Deus non denegat gratiam medicinalem seu remote sufficientem ad fidem ; observanti cum his gratiis praecepta difficiliora et sic removenti prohibens, Deus ob merita Christi non denegat gratiam supernaturalem seu proxime sufficientem ad fidem.

Veritas istius sententiae per modum corollarii fluit ex quatuor veritatibus, sc. ex voluntate salvifica universali, ex necessitate fidei strictae ad salutem, ex impotentia morali observandi praecepta ardua legis divinae sine auxilio medicinali, demum ex ignorantia mysteriorum fidei qua detinentur infideles ob defectum praedicationis Evangelii. Ex his videlicet sic arguitur : Deus confert omnibus infidelibus gratias sufficientes ad salutem, adeoque ad fidem strictam quae adultis est necessaria necessitate medii. Atqui plerisque non confert gratiam proxime sufficientem ad fidem, siquidem haec gratia praesupponit notitiam et propositionem revelationis, interius illustrat mentem et movet voluntatem ut revelationi propositae detur assensus. Ergo manet ut Deus negative infidelibus conferat gratias remote sufficientes, juvantes nempe ad observationem legis, qua servata, concedetur gratia proxime sufficiens. Sed ista gratia non est elevans, seu super-

naturalis, siquidem alias infidelis per eam disponeretur ad fidem, eam mereretur proindeque processus justificationis non sumeret initium a fide. Ergo remanet ut gratia remote sufficiens sit pure medicinalis.

Adversus sententiam praejactam moventur in genere omnes difficultates supra propositae adversus dispositiones negativas ad gratiam ; in specie proponuntur difficultates sequentes :

284 — **Obj. 1°.** *Limitatur Dei bonitas.* In hac sententia collatio gratiae fidei subordinatur actibus difficilibus, nempe observationi praeceptorum difficiliorum, quales vix fiunt a fidelibus licet adjutis gratia supernaturali. Atqui sic nimis extenuatur bonitas Dei et voluntas salvifica. Ergo.

Resp. In omni sententia agnoscendum est inaequalem esse Dei bonitatem erga infideles et erga fideles. Major fuisset Dei bonitas, si ubique Evangelium praedicatum esset ; fatemur majorem etiam futuram fuisse bonitatem Dei, si perdurasset ubique revelatio Protoparentibus facta, saltem si ubique vestigia revelationis primaevae permansissent sufficientia ad actum fidei ; verum hoc videtur deesse ; inde videtur minor esse manifestatio Dei bonitatis ; attamen nullatenus exstinguitur. — Sententiae praejactae adhaesimus, quia non vldetur alia esse ratio conciliandi dogmata voluntatis Dei salvificae, distributionis gratiarum infidelibus et necessitatis fidei strictae a qua incipit processus justificationis, cum defectu notitiae revelationis apud infideles.

Obj. 2°. *Contradicitur Arausicano :* Arausicanum damnat tres propositiones quae simpliciter verae sunt in hac sententia : a) Per invocationem humanam potest conferri gratia (can. 3). b) Deus exspectat voluntatem humanam (can. 4). c) Per naturae vigorem potest aliquid fieri salutare (can. 7).

Resp. 1. Semipelagiani affirmabant initium fidei, constans variis actibus inter quos dabatur fides proprie dicta, fieri solis naturae viribus et per illud impetrari, immo mereri gratiam supernaturalem, neque conferri gratias primas nisi secundum merita naturalia. Illa doctrina comprehendebat varias propositiones quarum singulae per 24 canones Arausicanos damnantur eo sensu quo a Semipelagianis affirmabantur. Contra heic affirmamus infideles indigere auxilio Dei speciali ad se disponendum negative ad fidem ; deinde eos non valere se disponere positive ad fidem neque posse eam mereri. — 2. Ostensum fuit hominem posse se disponere negative ad gratiam ; inde secundum quid, seu adjecta explicatione, affirmari possunt praefatae propositiones. Profecto idem affirmandum est de negative infidelibus, sc. eos per actionem

naturalem se negative posse disponere ad gratiam medicinalem, et per actus ex hac gratia elicitos, ad gratiam fidei.

Obj. 3°. Gratis affirmatur gratiam fidei non concedi, nisi prius observetur lex divina cum auxilio gratiae medicinalis. Nulla est ratio ex natura rei, neque ex revelatione. — *Non ex natura rei.* Deus enim deberet multo libentius conferre fidem post observationem legis sine auxilio gratiae medicinalis. Sive enim observetur cum hac gratia sive absque ea, est entitative naturalis ; sed observatio legis sine gratiae auxilio est difficilior, inde exigit majorem generositatem hominis. Ergo observationi legis sine gratia medicinali annecti deberet fides potius quam observationi ex viribus gratiae. — *Non ex revelatione.* Ratio enim ex hoc peteretur quia edocet nullum actum conducere ad salutem, nisi fiat ex speciali Dei auxilio ; sed ex iisdem locutionibus eruitur actum salutarem esse entitative supernaturalem. Ergo.

Resp. Ad 1m. *Negatur suppositum*, nempe observationem praeceptorum difficiliorum esse moraliter possibilem sine gratia medicinali. Profecto si esset possibilis, et fieret ab infideli, Deus ei concederet fidem ob dispositiones negativas ; sed quia est moraliter impossibilis atque tamen prius est observanda lex quam concedatur fides, et quia Deus vult omnes ad fidem pervenire, ideo conceduntur auxilia pure medicinalia observationem legis facilitantia.

Ad 2m. Ex revelatione petitur ratio, quia singula modo enuntiata continentur in ea, et quia saepe affirmat infideles non carere omni gratia.

Obj. 4°. Patres asserunt : a) Judaeos et gentiles fuisse a Deo vocatos : sic Augustinus (1) ; b) calorem Verbi omnem hominem penetrare : sic idem Augustinus (2) ; c) Deum quotidie non in sola Ecclesia, sed universis gentibus ministrare auxilia specialia : sic Paulus Orosius (3) ; d) gentes relative quidem dici rejectas, si nempe comparantur cum Judaeis et christianis ; absolute autem loquendo numquam fuisse abdicatas a manifestis et occultis beneficiis Dei. — Unde sic : Juxta Patres unicum discrimen inter gratiam infidelibus collatam et gratiam fidelium, reponitur in eo quod gratia infidelium fuit minus abundans et inefficax; numquam repetitur a natura gratiae. Ergo gratia est ejusdem naturae.

Resp. Nil obstat quin Patres dicantur nonnisi generice considerasse gratiam infidelium et gratiam fidelium, uti nempe utraque est donum indebitum, ob merita Christi collatum. — Nil etiam obstat quin gratia

(1) Aug. *De praed. SS.* c. xvi. — (2) Id. *In Ps.* xviii. — (3) Orosius : *De lib. arb. cont. Pelag.*

infidelium dicatur affirmari minor, non modo quantitate, sed etiam qualitate seu inferior specie.

Obj. 5°. Deus dat auxilium infidelibus ut ejus ope ponantur actus ad finem supernaturalem conducentes. Atqui non decet ut hujusmodi auxilium sit entitative naturale. Ergo. — *Prob. min.* Non decet ut sapiens provisor, actione speciali media conferens, illa conferat media quae sunt improportionata fini. Atqui talia sunt auxilia entitative naturalia. Ergo.

Resp. Deus tribuit proxime gratiam medicinalem, quia secus nequit observari lex naturalis; si moraliter necessaria non esset gratia, exspectaret donec dispositio negativa adesset sine auxilio gratiae medicinalis, tunc daret primam gratiam entitative supernaturalem excitativam fidei. Inde *Dist. maj.* Deus dat infidelibus auxilium cujus ope ponantur actus conducentes ad finem supernaturalem per modum dispositionis negativae, quia hi actus sine speciali Dei auxilio poni moraliter nequeunt, *Conc.;* ut ponantur actus ad finem supernaturalem conducentes per modum dispositionis positivae, *Neg. Cdt. min.* — Ad prob. *Dist. maj.* Non decet ut a sapiente provisore conferatur medium *proprie dictum* quod non habeat proportionem cum fine, *Conc.;* non decet ut conferatur medium *improprie* dictum quod non habeat proportionem cum fine, *Neg. Cdt. min.* — Dispositio negativa et id quo procuratur, non sunt medium proprie dictum ad fidem et justitiam, siquidem omnis proportio cum fine deest. Sunt tamen medium improprie dictum, siquidem removent id quod prohibet elargitionem gratiae.

SECUNDA PARS.

DE GRATIA SANCTIFICANTE.

Quaestiones de gratia sanctificante agitandae in tribus capitibus distribuentur.

CAPUT I^{um} aget de exsistentia et de natura gratiae sanctificantis.

CAPUT II^{um} de causis ad eam disponentibus.

CAPUT III^{um} de proprietatibus quibus ornatur.

CAPUT I.

De exsistentia et de natura justificationis.

Tria inquiruntur : a) utrum per gratiam sanctificantem peccata deleantur et anima intrinsecus renovetur ; b) utrum id contingat per infusionem doni creati, an per gratiam increatam ; c) quinam sint effectus formales gratiae sanctificantis ; d) utrum gratia sanctificans realiter an ratione dumtaxat distinguatur ab habitu caritatis.

ARTICULUS I.

In justificatione delentur peccata et renovatur interior homo.

§ 1. Status quaestionis.

285. — Notiones. Peccator ille dicitur qui inhoneste seu prave egit peccando actualiter et dispositus manet ad iterum peccandum, aut saltem peccatum non retractavit ; justus contra ille est qui honeste et recte agit et habitualiter dispositus est ad recte agendum.

1. *Justitia*, seu *justificatio* in facto esse, dicit rectitudinem in operibus et in dispositionibus habitualibus ; est itaque status hominis se habentis eo modo qui decet naturam rationalem et lege divina praescribitur. — Complectitur a) perfectam *voluntatis rectitudinem* qua nempe haec firmiter et constanter in Deum tendit et ei adhaeret. Ista rectitudo excludit peccatum tum actuale tum habituale, et includit dispositionem ad honeste operandum. — Complectitur b) *amorem* istius rectitudinis

et quietem in ipsa. — Demum continet c) dignitatem ad aeternam *beatitudinem*. — Patet rectitudinem etiam constare duabus partibus, quarum prior vocatur justitia *actualis* et transiens, posterior vero justitia *habitualis* et permanens.

2. Justitia est *naturalis* aut *supernatnralis*. — a) Justitia *naturalis* est rectitudo in operibus naturalibus et naturalibus dispositionibus, exclusis auxilio gratiae actualis opera elevantis et dono habituali supernaturali elevante dispositiones. — Si homo non elevatus fuisset ad visionem intuitivam Dei, sed ad solam beatitudinem naturalem fuisset ordinatus, et ad eam se disponeret actu honesto sine gratia elicito, insigniretur justitia naturali. — b) Justitia *supernaturalis* est rectitudo per opera supernaturalia seu supernaturales dispositiones. Ea insignitur natura quae ad finem supernaturalem sublimata est, ad eam se disponit cum auxilio gratiae elevantis et instruitur donis quibus permanenter est Deo grata et accepta. — Ex disputandis patebit ista dona consistere in gratia inhaerente animae per modum habitus et in virtutibus gratiae annexis. — Justitia supernaturalis etiam vocatur *sanctitas*.

3. *Justificatio* in fieri est productio justitiae. Si agitur de justificatione supernaturali, potest inspici justitia actualis et habitualis. De productione actus supernaturalis jam fuit dictum. — Justitia habitualis supernaturalis a solo Deo active producitur. — Produci autem potest per simplicem generationem et per motum. Priori modo producitur si subjectum, in quo recipitur, ea simpliciter carebat seu erat negative indignum (non justum). Posteriori modo producitur si subjectum, in quo recipitur, positive est indignum, propter peccatum ; quare productioni justitiae superadditur remissio peccati.

Proponitur quaestio : Deus elevavit in Adamo hominem ad statum supernaturalem ; verum Adamus per praevaricationem suam amisit sibi et toti posteritati statum justitiae originalis : quare nascitur homo infectus reatu peccati propie dicti. — Ut status justitiae, per culpam originalem amissus, restitueretur homini, Verbum humanitatem assumpsit et sacramenta instituit ; restituitur primo justitia per baptismum ; cum justificatio baptismo acquisita peccatis personalibus iterum amittitur, restaurari potest per sacramentum paenitentiae. — Porro cum infunditur justitia, remittuntur peccata quoad reatum culpae et reatum poenae aeternae ; praeterea inducitur status quo homo est gratus Deo et instructus jure ad regnum caelorum ; haec enim duo sunt de intrinseca ratione justificationis.

Quaeritur in quonam consistat remissio reatus peccati, adeoque

inquiritur in quonam reponantur macula inducta peccato actuali et iste status justitiae quo homo fit acceptus Deo.

286. — **Sententiae.** Ia est Protestantium. a) Tenent peccata remitti eo sensu quod teguntur, seu non imputantur iis qui ob fidem suam sunt justi et filii Dei; non vero eo sensu quod delerentur. b) Tenent etiam statum justitiae consistere non quidem in intrinseca mutatione seu renovatione seu regeneratione animae per infusionem habitus sanctificantis, sed in imputatione justitiae extrinsecae Christi ob quam scilicet homo a Deo habetur ut justus.

Praefata sententia paucis explicatur : Homo per peccatum originale est intrinsecus et substantialiter vitiatus, factus est peccatum, ita quidem ut omnis actio ab eo procedens, sive involuntaria sive deliberata, sit intrinsecus mala et ut physice impotens sit resistendi illecebris concupiscentiae ([1]). — Cum homo sit substantialiter malus, impossibile est ut intrinsecus fiat justus, nisi anima substantialiter corrumpatur. Cum vero non fiat haec substantialis corruptio, inde homo non fit intrinsecus justus. — Verum proxime propter actum fidei, de quo postea dicetur, elicitum beneficio gratiae necessitantis, remote ob merita et ob justitiam Christi, peccata antea commissa aut postea committenda jam non imputantur in peccatum, sed teguntur, manente interim eo quod per peccatum actuale inductum fuerat animae, et fidelis inter filios Dei annumeratur. — Idem exprimitur dicendo sanctitate et justitia formali Christi, ab homine per fidem apprehensis, cooperiri peccata, et iram Dei damnationemque averti.

Hanc doctrinam proponunt Lutherus et Calvinus ([2]). — Damnata est a Concilio Tridentino in sessione VIa, c. VII.

([1]) LUTHERUS : « Lutum illud, ex quo vasculum hoc fingi coepit, damnabile est.... Foetus in utero, antequam nascimur et homines esse incipimus, peccatum est. » *In Ps.* L. — Alibi : Ob peccatum originale « in locum imaginis divinae amissae successerit intima, profundissima (instar cujusdam abyssi), inscrutabilis et ineffabilis corruptio totius naturae et omnium virium. » *Solid. Declar.* I, § 10.

([2]) LUTH. « Justificare vero hoc loco (Rom. VIII, 1) forensi consuetudine significat reum absolvere et pronuntiare justum, sed propter alienam justitiam, videlicet Christi, quae aliena justitia communicatur nobis per fidem. » *Apol. Conf. Aug.* c. III, a. 6, n. 181. — Alibi : « Vocabulum justitiae in hoc negotio significat justum pronuntiare, a peccatis et aeternis peccatorum suppliciis absolvere propter justitiam Christi, quae a Deo fidei imputatur. » *Form. Concord.* P. II, c. III, n. 17. — Ibidem n. 22 : « Quando autem docemus, quod per operationem Spiritus Sancti regeneremur et justificemur, non ita accipiendum est, quod justificatis et renatis nulla prorsus injustitia substantiae ipsorum et conversationi adhaereat : sed quod Christus perfectissima obedientia sua omnia ipsorum peccata tegat, quae quidem in ipsa natura (in hac vita) adhuc infixa haerent. Nihilominus tamen per fidem, propter obedientiam Christi, boni et justi pronuntiantur et reputantur, etiamsi ratione corruptae naturae suae sint maneantque peccatores, dum mortale hoc corpus circumferunt ».

Observa. Novatores distinguunt justificationem et sanctificationem per bona opera. Justificationem, quam contingere dicunt per fidem et reponunt in mera non imputatione peccatorum et imputatione justitiae Christi, dicunt esse necessariam ad salutem aeternam. — Ad sanctificationem vero per opera quod attinet, negant dari opera realiter bona adeoque veram sanctificationem; contendunt enim opera specietenus bona intrinsecus foedari per concupiscentiam, adeoque iis non respondere nisi apparentem sanctificationem. Ita plerique.

IIª sententia est Catholicorum. Eorum sententia his continetur: a) In justificatione peccatoris peccata ita remittuntur ut penitus deleantur; ita delentur ut eorum turpitudo jam non supersit et ut homo a reatu peccati non modo reputetur immunis sed reapse in se talis sit. Porro hujus asserti sensus profecto non est per justificationem fieri ut actus antea positus non exsistat (dici potest hos actus tegi, non imputari), sed deleri ex anima peccatum habituale, seu maculam ex peccato actuali inductam. b) Gratia Spiritus Sancti in homine intrinsecus recipitur et inhabitat; seu confertur ei donum quo intrinsecus renovatur. — Ex disputandis postea constabit illud donum esse creatum, animae physice inhaerens ad modum habitus, homini conferens consortium divinae naturae, filiationem adoptivam, amicitiam et sanctitatem. Ex iisdem constabit justificationem in fieri convenienter definiri divinam actionem qua Deus homini peccata remittit, eumque interius renovat et regenerat, infusaque gratia sanctificante, filium Dei adoptivum et regni caelestis haeredem constituit.

De fide definita est peccata deleri per baptismum, ex Tridentino sessione V, can. 5; *fidei proximum* est peccata post baptismum commissa deleri sacramento paenitentiae rite suscepto, ex Trid. sess. VI, cap. XIV et can. 30. — Praeterea *de fide definita* est ex Trid. sess. VI, c. VII et can. 11, in justificatione conferri donum intrinsecus inhaerens animae, adeoque hominem non justificari imputata justitia Christi.

§ 2. In justificatione vere delentur peccata.

THESIS XLIVª. — In justificatione vere delentur peccata.

Sensus. Reatus culpae et peccatum habituale vere tolluntur et delentur ex anima, quoties homo Dei operatione transfertur a statu peccati

Calv. « Ita nos justificationem simpliciter interpretamur acceptationem, qua nos Deus in gratiam receptos pro justis habet: eamque in peccatorum remissione ac justitiae Christi imputatione positam esse dicimus. » L. III *Inst.* c. XI, n. 2.

ad statum gratiae, a statu mortis ad statum vitae, a statu injustitiae ad statum justitiae, a statu inimicitae cum Deo ad statum amicitiae.

287. — I^a probatio. Ex Scripturis. I^m Arg. Illud vere deletur et non tantum tegitur, quod in Scripturis affirmatur esse ablatum et deletum, et, quo ablato, anima dicitur lota et mundata, his terminis propter multitudinem suam sensu obvio usurpatis. Atqui in Scripturis peccatum dicitur deleri et auferri ; anima dicitur lavari et mundari, ablato peccato ; hi autem termini usurpantur sensu obvio. Et re quidem vera, quemadmodum observat Bellarminus ([1]), Scriptura « utitur omni genere vocabulorum quae excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ut si quis de industria quaerat vocabula, quibus perspicue declaret peccatum aliquod tolli et aboleri, non possit aliquod reperire, quod ipsa divina Scriptura antea non occupaverit. » Ergo.

Ad maj. Quoties externa lotione mundantur sordes corporis, profecto non inhaerent jam corpori hae sordes, sed corpus est mundum, purum. Ergo a pari quando maculae animae, scilicet peccata, interna lotione abluuntur in justificatione, haec peccata jam amplius non manent in anima, neque anima dici potest adhuc inquinata, sed est pura.

Prob. min. 1. *Peccata delentur :* a) Ps. L, 11 : « Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele. » b) Is. XLIII, 25 : « Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. » c) Is. XLIV, 22 : « Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. » d) Act. III, 12 : « Convertimini ut deleantur peccata vestra. » — Peccata *auferuntur* : a) Ps. CII, 12 : « Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. » b) I Paralip. XXI, 8 : « Dixit David ad Deum : Peccavi nimis, ut hoc facerem ; obsecro, aufer iniquitatem servi tui. » c) II Reg. XII, 13, propheta Nathan nuntians Davidi peccata esse remissa ait : « Dominus transtulit peccatum tuum. » d) Mich. VII, 18 sq. « Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hereditatis tuae ?... Revertetur et miserebitur nostri : deponet iniquitates nostras et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. » e) Ioh. I, 29 : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi ».

Insuper peccata dicuntur exhauriri a Paulo ad Hebr. IX, 28 : « Christus semel est oblatus ad multorum exhaurienda peccata. »

2. *Anima dicitur lavari et mundari :* A. In. V. T. : a) Ps L, 8 : « Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor. » b) Is. I,

([1]) BELLARM. *De justif.* l. II, c. VII.

16 sq. « Lavamini, mundi estote ; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse.... si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra ut vermiculus, velut lana alba erunt. » c) Ierem. XXXVIII, 8 : « Et emundabo illos ab omni iniquitate sua in qua peccaverunt mihi. » d) Ezech. XXXVI, 25 : « Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. » — B. In N. L. a) Paulus I Cor. VI, 11 scribit : « Haec quidem fuistis, sed abluti estis. » Ad Ephes. V, 26 asserit Christum passum esse ut « Ecclesiam sanctificaret, mundans lavacro aquae.... ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. » b) In I Joh. 1, 7 legitur : « Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato. » In Apocal. 1, 5, de Jesu Christo dicitur : « Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. »

II^m Arg. Homo, cum justificatur, dicitur a vinculis eximi, e carcere liberari, esse liber a damnatione. Atqui hoc est falsum, nisi deleantur peccata. Corpus enim non liberatur a vinculis, si ea retinet et circumfert. A pari anima non est exempta a vinculis spiritualibus, si haec vincula tantummodo teguntur.

Ad maj. Paulus ad Rom. VI, 22, scribit : « Nunc vero liberati (estis) a peccato, servi autem facti Dei. » Ad Coloss, 1, 13 : « Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae. » Ad Rom. VIII, 1 : « Nihil ergo damnationis est in iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. »

288. — II^a probatio. Ex Traditione. I^m Arg. Ex Conc. Trid. a) In sess. V, can. 5. de P. O. per baptismum remisso dicit : « Si quis per Jesu Christi D. N. gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, A. S. » b) In sess. VI^a, de justificatione per sacramentum paenitentiae, haec habet capite XIV : « Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo, per paenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. » Ergo qualis est justificatio per baptismum, talis est per paenitentiam. Atqui in baptismo delentur peccata. Ergo. — Confirmatur canone 30 : « Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori paenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae, vel in hoc seculo, vel in futuro in Purgatorio... A. S. »

IIm Arg. Ex Patribus. 1. Illud vere deletur quod omnibus modis dicitur exui, abstergi, abjici, excludi, tolli, penitus separari ab homine. Atqui Patres saepe dicunt peccata per baptismum aut paenitentiam exui etc. Ergo.

Justinus Martyr : « Cum in stupris, ac omni prorsus sordida actione versaremur, per gratiam, a nostro Jesu secundum voluntatem Patris concessam, sordida omnia, quibus induti eramus, mala exuimus » (1).

Clemens Alex. loquens de baptismo ait : « Hoc lavacro peccata absterguntur » (2).

Origenes dicit : « Graviora peccata nonnisi per paenitentiam plenissimae satisfactionis ex se abjicere valet » (3).

Hilarius : « Cum innovamur baptismi lavacro per verbi virtutem, ab originis nostrae peccatis atque auctoribus separantur et veterem cum peccatis atque infidelitate sua hominem exuentes et per Spiritum anima et corpore innovati, necesse est, ut ingeniti et vetusti operis consuetudinem oderimus » (4).

Ambrosius : « Bonus spiritus, qui bonos de pessimis facit, peccatum abolet, malum delet, crimen excludit, bonum munus infundit » (5). « Quod ait (Mich. vii, 18) : « Auferens peccata », ad remissionem pertinet, quia penitus ea tollit ita ut non sint, quorum memor non erit » (6).

Greg. Naz. primi sacramenti nomina recensens, ait : « Dicitur baptismus quia peccatum in aqua sepelitur...; lavacrum, quia abluit » (7). — « Sic te compara, ut lavacrum non modo corpus, sed imaginem quoque abluat, non modo peccata eluat, sed mores etiam emendet ; non modo pristinas vitae sordes, verum fontem quoque ipsum expurget... Porro non fucanda est purgatio sed imprimenda ; tibique hoc agendum ut plene, ac perfecte splendescas, non ut leviter atque in superficiem illinaris ; ut gratia non peccata tantum obducat, sed ab iis omnino te vindicet. « Beati, quorum remissae iniquitates » ; hoc plenae et cumulatae purgationis est » (8).

Greg. Nyss. « Sancta mysteria (baptismi et confirmationis) hominem purgant, neque solum peccatum, quod difficulter eluitur, tum ab anima, tum a corpore abstergunt, sed et pristinam pulchritudinem, quam optimus artifex in nobis effinxerat, reducunt » (9).

Cyr. Hier. « Baptismus captivis est pretium, remissio peccatorum,

(1) *Dial. c. Tryph.* — (2) *Strom.* l. II. — (3) *Hom.* xii *in Levit.* — (4) *Comment. in Matth.* c. x, n. 24. — (5) *De Sp. S.* l. I, n. 71. — (6) *Ep* lxx, n. 23. — (7) *Or.* xl, n. 4. — (8) Ib. n. 32. — (9) *Or. in bapt. Chr.*

animae regeneratio, luminosum indumentum, signaculum sanctum indissolubile, vehiculum ad caelum, paradisi deliciae, adoptionis donum » (1).

CHRYSOSTOMUS : « Corporis lepram purgare, immo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum Judaeorum sacerdotibus licebat... his vero (nostris) non corporis lepram, sed animae sordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est » (2). Compunctio cordis, sicut ignis, omne animae vitium perurit et adimit et quantacunque in ea repererit mala, abstergit universa et penitus delet » (3). Exponens cap. XIX Act. v. 6 inquit : « Hinc ostenditur magnum dogma, quod qui baptizantur perfecte a peccatis purgentur. Nisi enim purgarentur, Spiritum non acciperent, non statim charismatibus dignarentur » (4).

AUGUSTINUS : « Dicimus baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum et auferre crimina, non radere » (5). « Quemadmodum in illo (Christo) vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio » (6).

CYRILLUS ALEX. « Sicut ad argentea vasa accedens ignis sordes illis insitas abstergit, eodem sane modo etiam divini Spiritus vis tamquam ignis, qui in nostras immittitur animas, mente scilicet et divino modo nos ob omni macula liberat et urget quodammodo naturam in omne nobis contrarium opus » (7).

GREG. M. « Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori ; quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit : « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus ». Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is, qui lotus est, mundus est totus ? totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit » (8).

THEODORETUS dicit : « Deum ita peccata remittere ut ea obliteret, nullumque appareat eorumdem vestigium » (9).

III^m Arg. Juxta Patres anima per baptismum aut paenitentiam lavatur, mundatur, fit splendens. Sic non pauci ex modo citatis. Atqui iterum hae locutiones indicant peccata vere deleri in justificatione.

(1) *Procatech.* n. 16 — (2) *De sacerdotio*, l. III, n. 6. — (3) *De compunct. cordis*, l. II. — (4) *Hom.* XL *in Act.* n. 2. — (5) *Ad Bonif.* l. I, c. XIII. — (6) *Enchir.* c. LII. — (7) *Cont. Julian.* l. VII. — (8) L. IX, *ep.* XXXIX. — (9) *In Ps.* III.

289. — **III^a probatio. Ex ratione theologica.** 1. Quo modo homines constituti sunt peccatores per peccatum Adae, eo modo constituuntur justi per merita Christi. Atqui, fatentibus adversariis, homines constituti sunt intrinsece peccatores per lapsum primi parentis. Ergo per merita Christi, adhibitis mediis quae a Christo sunt instituta, intrinsecus justificantur adeoque mundantur a peccatis. — Patet major ex Paulo ad Rom. v, 12 : « Non sicut delictum, ita et donum : si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit ». Ibid. v, 19 : « Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi ».

2. Deus, qui scrutatur renes et corda, qui res secundum veritatem judicat, certos homines reputat et declarat esse justos. Atqui tales non sunt, nisi peccata vere deleantur. Ergo.

3. Deo nihil est tectum; omnia enim nuda et aperta sunt. Ergo, si peccata remanent, impossibile est ut tegantur coram Deo.

Confirmatur *consensu Graecorum schismaticorum.* Examinarunt Graeci doctrinam Protestantium eamque damnarunt. Etenim a) a° 1672 in Synodo Constantinopolitana de justificatione agentes, canone 5° haec pronuntiant : « Dicimus O. P. in S. Lavacro penitus deleri. » b) In Synodo Hierosolymitana canone 16° aiunt : « Omne peccatum ante baptismum aut exsistens aut commissum deletur, nec dicere licet illud manere, at non imputari. »

Satisfit difficultatibus.

290. — **Obj.** 1° Scripturae dicunt peccata in justificatione ita tantum remitti ut tegantur et ad poenam non imputentur. a) Ps. xxxi, 1 : « Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum ». Apostolus non modo ad Rom. iv, 7 sq. citata verba refert, sed praeterea in II Cor. v, 19 explicat quo modo Deus peccata dimittat : « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum ».

Resp. 1. Scriptura modo dicit peccata tegi et non imputari, modo ea deleri ac penitus exstingui, adeo ut anima prorsus munda fiat. Si Novatores contendunt ad litteram esse intelligenda priora loca, quo jure id negabunt de locis posterioribus ? Si dicunt posteriora explicanda ad normam priorum, quare non potius priora ad normam posteriorum ?

2. Utraque series expressionum veritatem, eamque diversam, significant. Prioribus enim significatur peccata *actualia* quae commissa

fuerunt, et manent commissa, jam non imputari in poenam, eaque tegi, seu Deum ad ea jam non respicere, ita ut homo censeatur ea non commisisse; posterioribus vero exprimitur *maculam* peccatis actualibus causatam et impressam in anima penitus deleri, adeo ut anima fiat munda. Quare *Dist. ant.* Scriptura dicit peccata *habitualia* seu maculam animae impressam tegi tantum, *Neg.;* peccata *actualia* tegi et jam non imputari, *Transm.*

3. Verba Psalmistae a multis patribus intelliguntur de omnimoda exstinctione: Sic Justinus Martyr (1) et Augustinus (2). Ita etiam intelliguntur a protestante G. Rosenmüller (3). — Verba Psalmistae, uti a Paulo citantur, admittunt eamdem interpretationem. Paulus enim ea adducit ut justificatio appareat esse gratuita; gratuita autem prorsus est si verbis psalmi XXXI asseritur peccata penitus exstingui. Falsum autem est id quod adversarii asseverant, Paulum nempe ad psalmum XXXI provocare ad ostendendum remissionem peccatorum reponi in non imputatione eorum ad poenam. — Sensus verborum Pauli in II Cor. V, 19 juxta s. Chrysostomum aliosque Patres graecos et interpretem Syrum hic est: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, gratis remittens et condonans delicta ipsorum per merita Christi, seu intuitu ejus passionis. Nec alia est expositio Patrum latinorum (4). — Itaque *Dist. ant.* Peccata teguntur h. e. *exstinguuntur*, *Conc.;* remanent, licet abscondantur, *Neg.*

Obj. 2°. Juxta Scripturam justi numquam sunt immunes a peccatis; itaque restat ut peccata tantum tegantur, numquam deleta: a) Isaias dicit: « Facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatae omnes justitiae nostrae » (LXIV, 6). — b) Job dicebat: « Vere scio.... quod non justificetur homo compositus » (IX, 2). « Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, et stellae non sunt mundae in conspectu ejus » (XXV, 4). — c) David ait: « Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens » (Ps. CXLII, 2), et « Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit »

(1) JUST. MART. *Dial. C. Tryph.* n. III.

(2) AUG. « Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata »: non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt... nec sic intelligatis, quod dixit: « cooperta sunt », quasi ibi sint et vivant ». *Enarr. in Ps.* XXXI. *Serm.* II, n. 9.

(3) ROSENMÜLLER: « Felices eos, inquit David, quorum scelera condonata, quorum peccata delcta sunt, proprie tecta, id est, omnino remissa et oblivioni tradita. » *In Rom.* IV, 7

(4) Cfr. BELLARM. *De justif.* l. II, c. IX.

(Ps. CXXIX, 3). — d) In I Joh. I, 8 legitur : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est. » — e) Christus omnes orare jubet : « Dimitte nobis debita nostra ». Ergo omnes homines peccatis sunt onusti.

Resp. 1. *Ad Isaiam* : a) In Scriptura nomine *omnium* saepe non intelligitur universalitas, ne moralis quidem, sed tantum major pars. Sic in Ps. XIII, 3, legitur : « Omnes declinaverunt..... non est qui faciat bonum, non est usque ad unum » ; attamen tempore Davidis vivebant Nathan, Gad, aliique justi. Sic etiam apud Danielem, III, 7 dicitur : « Omnes populi, tribus et linguae adoraverunt statuam auream » ; attamen inventi sunt Babylone, qui statuam adorare renuerint. — Pariter citatus locus Isaiae intelligi potest non quod cuncta Judaeorum opera forent contaminata et criminosa, sed quod multorum, quamvis viderentur honesta, quamplurimis noxarum maculis aspergebantur. — b) Alii censent ab Isaia praedici post promulgationem Evangelii purificationes legales, quas Paulus justificationes appellat, esse abrogandas, ideoque Judaeos legis mosaicae observatores habendos esse pro reis et contaminatis. Hanc interpretationem confirmat Cornelius a Lapide versione arabica, comment. S. Hieronymi (1). — c) Alii censent his verbis significari legem veterem nihil ad perfectum adduxisse, et populum hujus temporis justificationes legis corrupisse multis peccatis.

2. *Ad Job :* a) In cap. I. laudatur Job quod rectus sit et timens Deum ; declaratur servus Dei eique acceptus. Itaque in eodem libro non asseritur exsistere non posse homines rectos, justos, Deoque acceptos. — b) Confitetur Job justitiam humanam cum divina comparari non posse ; hominum puritatem, quantacumque sit, si comparetur cum sanctitate Dei, quasi immunditiam reputari : « Numquid homo, ait idem Job, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir » (IV, 17).

3. *Ad David :* Ex verbis ejus tantum erui potest peccatis venialibus foedari omnes, etiam justos, nisi exornentur speciali privilegio. — Confirmatur a) auctoritate Augustini qui, postquam dixisset Sanctos non ita sanari in hac vita, ut ab omnibus vitiis et peccatis immunes sint, ita subdit : « Ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens » (2). Confirmatur b) quia psalmista insinuat non deesse homines a lethalibus immunes : « Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini »

(1) Cf. CORN. A LAP. in h. l. — (2) AUG. *De pecc. mer et remiss.* l. II, c. XIX. M. XLIV, 170.

(Ps. CXVIII, 1) ; de se ipso dicit : « Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam » (Ps. XVII).

4. *Ad Johannem.* Verba citata de peccatis venialibus sunt intelligenda.

Obj. 3°. In Scriptura verbum *justificare* accipitur eodem sensu atque in judicio forensi. Atqui in judicio forensi sumitur pro eodem ac *justum censere* aut *pronuntiare* ; nullatenus significatur delictum tolli, hominem ex reo reapse fieri justum, vel interius renovari. Ergo. — Constat major quia justificatio describitur terminis a justificatione forensi depromptis. Sic occurrunt haec verba de opere justificationis : Judicium (Ps. CXLV, 7), judices (Joh. V, 27), tribunal (Rom. XIV, 10), accusatus (Rom. III, 19), accusator (Joh. V, 45), testes (Rom. II, 15), acta processus (Col. II, 14), advocatus (I Joh. II, 1), sententia (Ps. XXXII, 1), exsecutio (Luc. XVI, 22).

Resp. a) Solent in Scripturis verba significare ea quae excellentiora sunt mere humanis. Ratio est quia supernaturalia sub figura sensibilium rerum proponenda sunt ut a vulgo intelligi queant. Sic aeterna beatitudo sub symbolis domus, civitatis, convivii exhibetur ; inepte tamen affirmaretur eam in alio non proprie consistere. Ex eo igitur quod justificatio depingitur symbolis petitis ex iis quae in judiciis humanis fieri solent, concludi nequaquam potest Deum non *justificare* peccatores nisi exterius, uti in judicio forensi contingit justificatio. b) Re quidem vera similitudinem inter justificationem foro civili inductam et justificationem peccatoris a Deo, hanc similitudinem, inquam, non esse perfectam, dupliciter constat : α) *penes effectum :* etenim justificationem peccatoris non esse tantum externam declarationem justitiae, perspicue significatur aliis locis Scripturae, ubi nempe dicitur peccata deleri a Deo, hominem fieri et esse mundum ; β) *penes subjecta :* Deus enim non justificat nisi reos, eosque a statu injustitiae verae ad statum justitiae transfert ; contra judices civiles aut poenam eis, qui reapse probantur esse rei, irrogant, aut declarant innocentes seu justificant eos qui traducebantur tamquam rei, revera tamen probati fuere esse innocentes ; quare per se nullum reum justificant, sed tantum per accidens ex errore aut malitia judicum fit ut innocens declaretur is qui revera reus est. — Ratio cur auctores profani non tribuant justificationi alium sensum praeter justificationem declaratoriam sive forensem, ratio, inquam, est, quia inter homines non datur alia justificatio. Exinde concludi nequit justificationem divinam non esse profundiorem nec attingere animam in ordine ad eam mundandam. Ista enim operatio divina optime vocatur justificatio, tum quia, praeter elementa propria

sibi, continet essentiam justificationis forensis, tum quia non datur alius terminus, ex rebus sensibilibus petitus, qui magis sit aptus ad actionem divinam sub oculis ponendam. — Quare *Dist. maj.* In Scriptura justificatio sumitur eodem sensu atque in judicio forensi, *ita ut nihil superaddat, Neg.;* ita ut justificatio divina, de qua in Scripturis, involvat omne id quod in judicio forensi invenitur, *Conc.*

§ 3. In justificatione intrinsecus renovatur homo.

291. — In sequenti thesi contendemus homini infundi gratiam justitiae adeoque eum intrinsecus renovari, quoties ex injusto et inimico Dei fit justus et amicus Dei, proindeque falsam esse sententiam asserentium eatenus hominem fieri justum, quatenus ei imputatur justitia Dei aut Christi. Porro usurpatur vox *gratia* generice pro dono supernaturali homini intrinseco. Quaenam sit species illius doni seu gratiae justificationis perpendetur articulo sequenti.

Si quaeritur utrum beneficio unius ejusdemque doni Dei remittantur peccata et renovetur intrinsecus homo, respondetur alios doctores aliter solvere quaestionem pro diversis eorum sententiis de natura peccati habitualis et ratione formali gratiae justificantis. Qui essentiam peccati habitualis in praesenti oeconomia divinae providentiae sitam esse dicunt in privatione gratiae sanctificantis quae per modum habitus intrinsecus inhaeret animae, hi negant profecto realem distinctionem remissionis peccatorum et renovationis hominis. Huic sententiae adhaeremus ; attamen ab ea in sequentibus praescindimus et non defendimus adversus novatores nisi id in quo conveniunt omnes catholici.

THESIS XLV^a^. — In justificatione infunditur intrinsecus gratia Spiritus Sancti qua homo interior renovatur.

292. — **I^a^ probatio. Ex Scripturis. I^m^ Arg.** Ille intrinsecus renovatur per infusionem gratiae Spiritus Sancti qui asseritur in Scripturis creari in Christo, renasci, regenerari, renovari Spiritu, convificari, transferri de morte ad vitam, jam ambulare in novitate vitae, vivere spiritu, constitui justus per gratiam sicut per peccatum Adae constitutus erat peccator, habere Spiritum sibi inhabitantem, esse templum Spiritus Sancti. Atqui variae hae locutiones occurrunt in Scripturis de homine justificato. Ergo.

Prob. min. a) Eph. 1, 4 : « Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. » Ib. 13, 14 : « In quo (Evangelio) et credentes signati estis Spiritu pro-

missionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae. Ib. II, 5 : « Cum essemus mortui peccatis, convificavit nos in Christo. » Ib. IV, 23 : « Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » b) I Cor. VI, 11 : « Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis..., in nomine D. N. J. C. et in Spiritu Dei nostri. » Ib. VI, 19 : « An nescitis quoniam membra vestra templa sunt Spiritus Sancti qui in vobis est. » c) II Cor. I, 22 : « Qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. » d) Gal. IV, 6 : « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem : Abba Pater. » e) I Pet. I, 23 : « Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum. » f) Joh. III, 5 : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ; quod natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est. » g) Ezech. XXXVI, 25 : « Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris... et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri. »

II^m Arg. Ex Rom. V, 5 : « Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » — Unde sic : In justificatione Deus datur, diffunditur, est et manet in nobis. Atqui Deus ibi tantum dicitur esse specialiter, ubi aliquid novi facit ; si autem novi quid facit in justificato, eum renovat. Ergo.

293. — II^a probatio. Ex Traditione. I^m Arg. Ex Trid. a) Sess. VI, c. VII : « Justificatio... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex injusto fit justus et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae. Hujus justificationis causae sunt... efficiens vero misericors Deus qui gratuito abluit et sanctificat... unica formalis causa est justitia Dei ; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit ; qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur in singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. » b) Ib. can. 11 : « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat ; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. »

II^m Arg. Ex Patribus. Ille intrinsecus renovatur gratia Spiritus Sancti, qui ita justificatur ut fiat conformis Verbo, recipiat adoptionem, regeneretur ad imaginem Christi, dignetur charismatibus Spiritus Sancti, induat vestem innocentiae. Atqui haec est manifeste doctrina Patrum. Ergo.

Irenaeus : « Homo inobediens fuit Deo, et projectus de immortalitate ; dehinc misericordiam consecutus est per Filium Dei, eam, quae est per ipsum, percipiens adoptionem » (1). « Ubi autem Spiritus Patris (per participationem, seu communionem adest) ibi (est) homo vivens, caro a Spiritu possessa, oblita quidem sui, qualitatem autem Spiritus assumens, conformis facta Verbo Dei » (2).

Athanasius : « Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis (Jo. viii 36). Secundum eam, quae in ipso est, novitatem et perfectionem, per quam nos, qui credimus, renovamur secundum imitationem et participationem perfectae novitatis Christi » (3).

Chrysostomus : « Quid est justitiae Evangelium ? nimirum quod justos efficit. His enim verbis baptismi desiderium in ipsis (catechumenis) ciet (Ecclesia), dum illud ostendit, Evangelium non tantum peccata remittere, sed justitiam etiam afferre » (4). « Hinc ostenditur magnum dogma, quod, qui baptizantur, perfecte a peccatis purgentur. Nisi enim purgarentur, Spiritum non acciperent, non statim charismatibus dignarentur » (5).

Ambrosius : « Accepisti post haec vestimenta candida, ut sint indicium quod exueris involucrum peccati, induens innocentiae casta velamina » (6).

III^m. Arg. Ex Augustino. Adversus Pelagianos defendit justificationem fieri non per solam remissionem peccatorum, sed per infusionem caritatis Dei ; neque per justitiam qua Deus est justus, sed qua homo fit justus a Deo et quae proinde nobis inhaeret et fit nostra. « Non per solam peccatorum dimissionem ista confertur, nisi auctoribus vobis (Pelagianis). Justificat quippe impium Deus non solum dimittendo quae mala fecit, sed etiam donando caritatem, ut declinet a malo et faciat bonum per Spiritum Sanctum » (7). « Dei gratia per D. N. J. C. justitia Dei dicitur, non qua justus est Dominus, sed qua justificat eos, quos ex impiis justos facit » (8). « Si data est (nobis justitia), non dicitur justitia

(1) *Adv. Haer.* l. III, c. xx, n. 2. — (2) Ib. l. V, c. ix, n. 3. — (3) *De Inc. cont. Apoll.* l. I, n. 21. — (4) *Hom.* ii in II *Cor.* n. 6. — (5) *Hom.* xl *in Act.* n. 2. — (6) *De myst.* c. vii. — (7) *Op. imperf. Cont. Julian.* l. II, n. 165. — (8) *Serm.* cxxxi, n. 9.

nostra, sed Dei, quia sic fit nostra, ut sit nobis ex Deo » (1). In verba Apostoli « Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, » ait : « Hoc est per fidem, qua creditur in Christum. Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus, sic et illa justitia Dei, non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est, sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur » (2).

« Caritas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos ; sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur, et Domini salus qua nos salvos facit, et fides Jesu Christi qua nos fideles facit » (3).

Verbis Augustini rite inspectis, fatetur Calvinus se ab Augustino recedere, quia gratiam ad sanctificationem refert, quia in vitae novitatem per Spiritum regeneramur (4).

294. — III^a probatio. Ex ratione theologica. 1. Homo elevatus est ad finem supernaturalem ; Deus autem causis secundis tribuit dispositiones fini convenientes. Atqui dispositio conveniens fini supernaturali est gratia Spiritus sancti permanenter infusa cordibus. — 2. Peccatum habituale est vere macula animam reddens turpem coram Deo ; illa autem macula in justificatione deletur. Atqui maculam deleri est perinde atque animam aliquatenus renovari intrinsecus. Ergo in justificatione datur aliqua renovatio interioris hominis, quae opponitur maculae peccati. — 3. Hominem non dici justum ob imputatam justitiam Christi adhuc constat ex eo quod secus Christus posset vocari peccator, siquidem ei imputantur peccata hominum.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

295. — Obj. 1°. Ex Ps. XXXI, 1 et Rom. XLVII : Beati dicuntur ii quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Unde sic cum Calvino : Tota justificatio consistit in remissione peccatorum ; si enim haec non est nisi dimidia pars, quomodo beatus vocari potest is cujus peccata sunt remissa.

Similis objectio peti potest ex locis in quibus Christus asseritur profudisse sanguinem pro remissione peccatorum. Sic Christus in ultima coena dicebat : « Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum » (Matth. XXVI, 28). In I Joh. III, 8. legitur : « In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. » In Act. XIII, 38, Apostolus Judaeis dicit : « Per hunc vobis remissio peccatorum

(1) AUG. *De gr. Chr.* d. XIII. — (2) Id. *De sp. et litt.* c. IX, n. 15. — (3) Ib. c. XXXII, n. 56. — (4) *Calv. Inst.* l. III, c. XI, § 15.

annuntiatur et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari. »

Resp. a) Bellarminus ad haec ait : « Ad objectionem Calvini posset objici alia similis quaestio ; sitne plena definitio justificationis, an dimidia illa ejusdem prophetae : « Beatus vir, qui timet Dominum ; » et : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. » Nam si plena sit, ubi est remissio peccatorum ? Si dimidia, quomodo dicuntur beati, qui non sunt nisi media ex parte justificati ? » (1). — b) Manifestum est in diversis his locis non adaequate definiri justificationem, sed unum ex elementis quibus constat. Quae doctrina sit tenenda circa justificationem, dijudicandum non est ex uno tantum loco Scripturae, sed ex complexu locorum. — c) Dici etiam potest his locis implicite definiri totam justificationem ; cum enim peccatum habituale reponatur in privatione gratiae, sic deletio peccati stat in infusione gratiae.

Obj. 2°. Justitia in nobis nulla est formaliter, sed tantum imputative. Patet ex Rom. IV, 3 : « Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam : ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.

Resp. a) Ostendit Apostolus per exemplum Abrahae justificationem non conferri ob opera legis, sed ob fidem. Attamen fides etiam informata caritate non meretur justitiam de condigno, adeoque est entitative improportionata ; inde merito dicitur fidem reputari, h. e. acceptam haberi. Itaque non dicit Paulus justitiam reputari, sed fidem reputari, justitiam vero conferri. — b) Si homo reputatur a Deo justus, ergo talis reapse est : Deus enim non fallitur in suis justitiis.

Obj. 3°. Christus dicitur esse nostra justitia : « Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio » (I Cor. I, 30). Atqui Christus non valet esse aliter justitia nostra, nisi quatenus nobis imputatur ejus justitia. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Christus est nostra justitia intrinseca per modum *causae efficientis* et *meritoriae, Conc. ;* per modum *causae formalis, Neg.* Saepe in Scripturis effectus sumitur pro causa aut vicissim. Sic in psalmo XVII legitur : « Diligam te, Domine, fortitudo mea » ; id est, te, qui fortitudinem mihi tribuisti ; in psalmo XXVI : « Dominus illuminatio mea et salus mea » ; id est, causa illuminationis et salutis ; in psalmo LXX, 5 : « Tu es patientia mea, Domine » ; in Eph. II, 14 : « Ipse est pax nostra ».

Obj. 4°. Ex. II Cor. V, 21 : « Eum qui non noverat peccatum, pro

(1) BELLARM. *De justif.* l. II, c. IX.

nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso ». Unde sic : Justitia Christi non aliter est in nobis, quam peccatum hominis in Christo. Atqui peccatum est in Christo per solam imputationem. Ergo.

Resp. a) Argumentum *nimis probat;* sequeretur enim ex eo Christum posse vocari peccatorem haud secus ac homo vocatur justus. Atqui ista propositio pro scandalosa et impia haberi debet. b) Sensus verborum Pauli est : Christus, qui non fecerat peccatum, factum est hostia peccati nostri, ut nos fiamus justitia quae non est ex nobis, sed ex Deo in nobis producta. Inde sicuti Christus factus est hostia vera, ita nos fimus vere justi ; uti Christus est hostia peccati non sui sed nostri, ita nos fimus justi justitia cujus causa efficiens est Deus. Inde negatur major.

Obj. 5°. Saepe monemur induere justitiam aut sanctitatem : sic Eph. IV, 24 : « Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis » ; Ps. CXXXI, 9 : « Sacerdotes tui induantur justitiam » ; Rom. XIII, 14 : « Induimini D. N. J. C. » ; Gal. III, 27 : « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis » ; Rom. X, 3 : « Ignorantes justitiam Dei, et suam quaerentes statuere, justitiae Dei non sunt subjecti ». — Unde sic : a) Justitia comparatur indumento. Atqui id est extrinsecum homini. — b) Pro eodem sumuntur induere Christum et induere justitiam. Atqui Christus induitur ita ut uniatur justo, non quidem intrinsecus sed extrinsecus.

Resp. Ex natura rei constat Christum non indui proprie sed metaphorice, quatenus fidelis imitatur Christi virtutes et ejus praecepta adimplet, aut ejus justitia induitur. Contra ex natura rei nullatenus constat justitiam non posse indui intrinsecus. Praeterea alia loca exigunt ut justitia dicatur indui intrinsecus. Id enim exigunt expressiones saepe de justificatione hominis usurpatae, quales sunt : regeneratio, creatio, renovatio. — Id etiam colligitur ex locutione : induere hominem novum ; induitur enim novus homo dum vetus homo exuitur, h. e. dum exuitur peccatum ; jamvero, fatentibus adversariis peccatum consistit in macula animam foedante ; induitur itaque novus homo dum deletur macula peccati adeoque intrinsecus mutatur homo.

Itaque ad 1^{m} arg. *Dist. maj.* Justitia comparatur indumento quatenus utrumque ornat hominem, *Conc. ;* quatenus utrumque adhaeret homini eodem modo, *Neg. Cdt. min.* — Ad 2^{m} arg. *Dist. maj.* Pro eodem sumuntur induere Christum metaphorice sumptum et induere justitiam, *Conc. ;* induere Christum sensu proprio acceptum, *Neg.* — *Conc. min.*

ARTICULUS II.

Gratia sanctificans est donum creatum ab anima distinctum.

§ 1. Status quaestionis.

296. — Notiones. 1. Habitus est qualitas de difficili mobilis, quo nempe ens disponitur permanenter bene aut male, in ordine ad se aut in ordine ad operandum. Educitur ex potentia naturae. Haec nempe est capax hujus aut illius modi se habendi stabiliter ; per causam efficientem fit ut reapse hunc aut illum modum stabilem induat. — 2. Habitus est ornativus aut operativus. a) *Ornativus* disponit bene aut male naturam uti est talis aut talis essentia. b) *Operativus* disponit naturam ad certas operationes eliciendas. — 3. Habitus est naturalis aut supernaturalis. a) *Naturalis* non transcendit neque capacitatem naturalem passivam naturae quae eam recipit, neque virtutem activam agentis finiti eum efficientis. b) *Supernaturalis* transcendit utramque capacitatem naturalem, et a solo Deo educitur ex potentia obedientiali passiva subjecti. Inde per habitum supernaturalem ornativum ens creatum perficitur secundum essentiam suam ultra omnem exigentiam ; per operativum fit capax eliciendi actum entitative supernaturalem.

QUAESTIONES. In praejactis ostensum est eum, qui foedatur peccato originali aut actuali, justificari per deletionem peccati et infusionem gratiae Spiritus sancti qua homo intrinsecus renovatur, justificatur, sanctificatur. Haec itaque gratia merito vocatur sanctificans.

Inquiritur 1° utrum gratia sanctificans sit donum increatum, nempe ipse Spiritus sanctus, an donum creatum. — Posito eam esse donum creatum, quaeritur 2° utrum illud donum permanenter animae inhaereat ad modum habitus, an sit transiens. — Posito gratiam sanctificantem esse habitualem, quaeritur 3° utrum iste habitus sit realiter distinctus ab anima.

297. — I^a QUAESTIO. Utrum gratia sit *increata* an *creata ?*

I^a sententia est eorum qui censent justum formaliter justificari per solam gratiam increatam. Huic sententiae adhaeret Andraeas Osiander qui tenet justum fieri formaliter talem justitia qua Deus est justus. Ei etiam adhaerere videtur Petrus Lombardus qui in I l. *Sent.* d. XVII : « Ipse Spiritus sanctus, ait, est amor sive caritas qua nos diligimus Deum et proximum ». Attamen verba Magistri trahuntur in bonum sensum a nonnullis commentatoribus : juxta s. Thomam faciunt hunc

sensum : motus amoris est a Spiritu sancto immediate, non vero mediante habitu (IIa IIae, q. XXIII. a. 2); juxta Ripalda sensus est : amor est formalis participatio Spiritus sancti.

IIa sententia est eorum qui censent justum justificari formaliter *primario gratia increata* seu Spiritu sancto inhabitante, secundario *gratia creata*. Huic sententiae adhaerent Petavius, Lessius in prima editione operis sui *de perfectionibus divinis* (1) et Cornelius a Lapide (2). — Petavius (3) docet Spiritum sanctum esse sigillum quo signatur anima justi, justum esse templum Spiritus sancti qui οὐσιώδη, secundum substantiam, unitur homini, eumque efficit sanctum, personam Spiritus sancti applicari speciali modo mentibus sanctorum Novae Legis, quo nempe modo non applicatur neque peccatoribus neque etiam justis V. L. quibus inhabitat tantum κατ' ἐνέργειαν. Lessius docet justum esse filium Dei adoptivum donatione Spiritus sancti seu per unionem cum Spiritu sancto qui est proprie et vere causa formalis adoptionis in filium Dei ; addit Spiritui sancto semper esse conjunctum donum gratiae habitualis quod se habeat instar dispositionis aut vinculi quo Spiritus sanctus unitur animae (ea ferme ratione qua secundum Suarezium humanitas Christi unitur Verbo beneficio modi unionis). Mentem suam explicans ait Lessius justum adoptatum in Dei filium uniri immediate Spiritui sancto licet per vincula caritatis, haec nempe vincula non esse id quod justum facit filium Dei, sed id quo filius Dei est per Spiritum sanctum ei inhabitantem ; dona creata habere quidem potiores partes respectu similitudinis analogae cum Deo, at Spiritum sanctum inhabitantem habere primarias partes respectu dignitatis et sanctitatis moralis filio Dei adoptivo congruentis, proindeque dignitatem filii Dei magis provenire a Spiritu sancto, quam ex dono creato physice considerato.

IIIa sententia, quae est communis, tenet justum formaliter justificari et esse filium Dei beneficio *doni creati*, h. e. doni prorsus distincti a Spiritu sancto, sive inspiciatur secundum esse personale sive secundum esse absolutum. Non negatur in hac sententia Spiritum sanctum dari in justificatione ; verum asseritur : a) gratiam sanctificantem non unice consistere in hoc dono increato ; b) non primario consistere in eo, seu justum non primo sic denominari ratione Spiritus sancti in eo manentis ; verum eum primo denominari justum ratione doni creati. Porro in sanc-

(1) LESSIUS. *De perfect. div.* Ia edit. — (2) CORN. a LAP. in *comment.* IIae *epist. Pet.* I, 4. — (3) PETAVIUS. *De Trin.* l. VIII, c. IV sq.

tificatione datur Spiritus sanctus tripliciter, α) ut causa efficiens sanctificationis intrinsecus inhaerentis justo ; β) prouti sumitur metonymice pro gratia ab eo infusa in corde justi ; γ) in quantum peculiariter est praesens in justo ratione praefati doni et consequenter ad illud donum, quod nempe fundat relationem amicitiae inter justum et Spiritum sanctum, et proinde vi cujus Spiritus sanctus, manet in justo tamquam in templo suo et apud amicum. — Verum non datur tamquam causa formalis justificationis primario justum denominans ; sed justus sic denominatur ratione gratiae creatae ei infusae per Spiritum sanctum.

Ista sententia a Suarezio censetur esse *de fide*, aut *proxima fidei* ita ut opposita sit *erronea*. Est saltem *theologice certa*.

298. — **IIª QUAESTIO.** Utrum gratia *permanenter et physice* inhaereat animae *per modum habitus*.

Juxta catholicos theologos donum gratiae justificationis semel a Deo infusum, tamdiu remanet in justificato quamdiu non committitur peccatum lethale quo solo amittitur. Id est definitum a Trid. sess. VI, can. 11. — Dividuntur circa quaestionem utrum gratia sanctificans perseveret *physice* per modum habitus, an *moraliter*.

Iª sententia ponit gratiam justificationis *non distingui a gratia actuali*, sed esse ipsam gratiam actualem quatenus jugiter influit in anima eamque quasi fecundam reddit, adeoque gratiam justificantem nonnisi *moraliter* remanere, eo modo quo injuria irrogata moraliter remanet donec condonetur aut pro ea satisfiat, eo etiam modo quo honor alicui exhibitus moraliter remanet.

IIª sententia asserit gratiam justificationis *esse distinctam realiter a gratia actuali*, eam *physice* perseverare et reponi in *habitu* supernaturali. Hunc habitum esse ornativum constat ex effectibus formalibus ; utrum sit mere ornativus, an etiam operativus pendet a solutione quaestionis de distinctione gratiae ab habitu caritatis. — Eum esse entitative supernaturalem ostenditur in tractatu de Deo creante. — Ratione hujus essentiae suae gratia justificationis vocatur gratia *habitualis*.

Ista sententia facta est communis inter theologos. Hi dividuntur circa certitudinem : Distinctionem realem gratiae sanctificantis a gratia actuali *fide certam* esse volunt Bellarminus, Vega, Suarezius, Valentia, Ripalda ; eam sine temeritate negari non posse asserit D. Soto. — Estius (1), Barth. Medina O. P. (2). P. Soto (3) dicunt consulto absti-

(1) Estius. in d. 26, l. II. — (2) Barth. Medina, in Iª IIªᵉ, q. cx, a. 2. — (3) Pet. Soto. *De nat. et gr.* l. II, c. xviii.

nuisse Trid. a verbo *habitus* et *physicae* inhaerentiae, ne opinionibus scholae aliquod praejudicium afferret, et proinde tantum definitum fuisse hominem justificari per justitiam diffusam in cordibus nostris, quae illis inhaereat ([1]).

Observa. Si quaeritur quonam genere causalitatis producatur gratia creata, duplex fit responsio : a) Juxta s. Th. (de Virt. q. 1. a. 10 ad 13[m]), Valent., Suar., Vasq., Coninck, Torres et recentiores thomistas, producitur dependenter a subjecto praesupposito, seu educitur ex potentia animae, non quidem naturali (transcendit enim naturalem capacitatem animae et nulla vi creata fieri potest), sed obedientiali. — Juxta Alens., Bonav., Scot., Gabr., Alliac., Palud., Capreol., Henric., Ferrar., Cajet., Conrad, Ledesma, D. Soto, Vega, Fonseca, gratia creatur, vel potius increatur : cum non sit substantia, non proprie creatur, cum non fiat dependenter ab anima ut causa materiali, non proprie educitur ex ejus potentia, inde fit per genus productionis quae medium locum tenet inter creationem et eductionem.

299. — III[a] QUAESTIO. Utrum gratia habitualis *realiter distinguatur ab anima.*

In hac quaestione peculiaris est sententia nostris diebus excogitata affirmans gratiam habitualem physice permanere ad instar *modi realiter cum anima identificati* et per operationem divinam educti ex potentia obedientiali animae. Iste modus, licet non distinguatur realiter a substantia animae, concipitur tamen quasi distinctus esset. Cum enim, praesente isto modo, homo consors fiat naturae divinae, iste modus censetur conferre animae istud consortium, adeoque distingui ab anima. Quare ratio causae formalis huic modo competit (quod est tenendum ex Tridentino aiente causam formalem justificationis esse gratiam in corde diffusam) ; quod enim censetur distingui ab altero et ei conferre perfectionem novam, censetur illud determinare ad esse tale aut tale, adeoque esse causa formalis.

([1]) Morinus in Commentario historico *De disciplina in administratione sacr. Paenit.* (l. VIII, c. II et sq., praesertim c. VIII) plurimos refert scholasticos, qui affirmant per mille supra centum annos totam habituum infusorum doctrinam in Ecclesia latuisse. Profert praeterea Patres, qui in explicandis sacramentorum effectu, hominis impii justificatione, fidei operumque nostrorum meritis, nulla gratiae habitualis mentione facta, non loquuntur nisi de actuali gratia, et operibus cum hac gratia factis. Asserit demum nondum esse definitum gratiam habitualem esse necessariam ; id confirmat quia sua aetate multi doctores ad praefatos effectus explicandos non provocant ad gratiam habitualem. Ad hoc confirmandum adducit verba Medinae loc. cit.

De hac sententia Morini dicendum est duo videri confundi, scilicet gratiam sanctificantem et habitus virtutum infusos. Multa occurrunt testimonia apud Patres et apud scholasticos de gratia sanctificante ; verum Patres vix loquuntur de habitibus virtutum.

Observa. Jam docuerat Vincentius « non esse de fide justificationem fieri per proprios habitus infusos, realiter distinctos ab anima et potentiis ejus, etiamsi de fide sit fieri per realem, et habitualem ac spiritualem, supernaturalemque animae immutationem in illa manentem, etiam dum ab actibus cessat ; quia posset, inquit, haec immutatio fieri per aliquem modum realiter identificatum animae, aut voluntati, et formaliter ab illa distinctum. Unde plane sentit hunc modum esse possibilem, licet affirmare non audeat justificationem ita nunc fieri » (1).

Sententia communis tuetur *distinctionem realem*, quae explicatur eodem modo quo philosophi explicant distinctionem realem accidentium absolutorum a substantia. Eadem sententia reponit causalitatem formalem gratiae in eo quod haec esse suum intrinsecus communicat animae, ita ut per hanc communicationem ipsa anima perficiatur, et sit consors naturae divinae. — Juxta Suarezium (2) hoc non est proprie et expresse de fide, sed res *certissima* quae sine magno errore in dubium revocari nequit.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XVLIa. — Gratia sanctificans secundum essentiam inspecta est donum creatum, animae inhaerens, physice permanens ad instar habitus, realiter distinctum ab anima ejusque facultatibus.

300. — PRIMA PARS. Gratia sanctificans secundum essentiam inspecta est donum creatum.

Prob. Im Arg. Petitur ex nominibus gratiae. Distinguitur donum a donante, unctio ab ungente, signum a signante, pignus ab oppignorante, semen a seminante, diffusum a diffundente. Atqui gratia sanctificans vocatur donum, signum, pignus, semen, diffusum ; Spiritus sanctus vero est donans, signans, oppignorans, diffundens. Ergo.

Prob. min. 1. Secundum *Tridentinum* in sessione VI, c. vii, causa efficiens justificationis dicitur esse Deus ungens Spiritu sancto ; causa formalis est justitia qua donamur a Deo et renovamur, quam Spiritus sanctus partitur prout vult, est etiam caritas quae per Spiritum sanctum diffunditur et inhaeret cordibus. — Ibid. can. 11 : « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhaereat... A. S. »

(1) Cf. Suarez. *De gratia*, l. VII, c. xv, n. 2. — (2) Ib. n. 8.

2. *Script.* a) Rom. v, 5 : « Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui datus est vobis. b) Eph. i, 14 ; c) II Cor. i, 21 sq. ; d) I Pet. i, 23 : « Renati non ex semine corruptibili sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum ; » e) I Joh. iii, 9 : « Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet ; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. »

3. *Augustinus*, aperte distinguit Spiritum sanctum a caritate ex his characteribus, « Dilectio, inquit, quae ex Deo et Deus est, proprie Spiritus sanctus, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei caritas, per quam nos tota inhabitat Trinitas » (1). — Praeterea mens Augustini constat ex testimoniis ejusdem in thesi praecedenti allatis.

II^m Arg. Ratione. 1. Spiritus sanctus esset causa formalis justificationis vel secundum esse absolutum, commune trino supposito divino, vel secundum esse hypostaticum ipsi proprium. Atqui neutrum dici potest. Ergo.

Prob. min. a) Juxta adversarios justificatio est propria Spiritui sancto, non vero communis Trinitati et duntaxat appropriata Spiritui sancto. Atqui eo quod Spiritus sanctus esset causa formalis sanctificationis per esse suum absolutum, consequeretur sanctificationem esse realiter communem toti Trinitati. Ergo. — b) Eo quod Spiritus sanctus poneretur causa formalis sanctificationis secundum esse hypostaticum, consequeretur ipsum habere naturam nostram ut suam, seu hypostatice uniri naturae creatae. Atqui consequens profecto est falsissimum. — Patet major quia in divinis unica functio ad intra hypostasis est subsistere in substantia, eam habere ut suam per eam cogitare et velle ; ad extra alia functio excogitari nequit nisi sustentare substantiam creatam, eam habere ut suam, per eam operari et pati.

2. Gratia sanctificans est capax incrementi. Ergo gratia non est persona Spiritus sancti, quippe quae est immutabilis, sed eadem gratia est aliquid creati quod per synecdochem vocatur Spiritus sanctus utpote ab eo productum.

301. — SECUNDA PARS. Gratia justificationis est donum permanenter inhaerens animae, idque physice per modum habitus.

Prob. I^m Arg. Scripturae locutiones quibus gratia asseritur esse donum, signum, pignus, semen, caritas diffusa, clare indicant gratiam esse donum permanenter inhaerens animae ; id etiam eruitur ex eo

(1) Aug. *De Trin.* l. XV, c. xviii, n. 32.

quod per gratiam Christus dicitur cum Patre mansionem facere apud justum (Joh. XIV, 23), Spiritus sanctus ei inhabitare (I Cor. III, 16). — Eaedem locutiones, si accipiuntur secundum sensum obvium, indicant eamdem gratiam permanere physice per modum habitus, adeoque eam esse realiter distinctam a gratia actuali et apte vocari gratiam habitualem. Ergo.

II^m Arg. Petitur EX CONSENSU UNANIMI THEOLOGORUM. Istum consensum testantur : a) Bellarm. qui ait « sententia communis theologorum constanter docet habitum aliquem supernaturalem a Deo nobis infundi, quo anima exornetur et perficiatur, atque adeo justa et Deo grata et accepta reddatur » (1) ; b) Ripalda qui ait « Sciendum est sententiam quae talem gratiam (qualitatem physice inhaerentem et permanentem) admittit, semper fuisse in Ecclesia apud theologos constantem » (2) ; c) Suarez qui ait « assertio est communis theologorum et certa » (3).

III^m Arg. EX PATRIBUS. 1. Implicite dicunt Patres gratiam justificationis permanere physice per modum habitus : a) dum gratiam appellant vestimentum innocentiae, imaginem ac similitudinem Verbi (Cf. Th. 44). — b) Dum gratiam vocant Spiritum sanctum qui justis datur, in eo mansionem suam figit. Ex prima parte constat Spiritum sanctum sumi metonymice pro dono creato quod a Spiritu sancto infunditur et fundat relationem specialem inter justum et Deum. Ergo istud donum physice remanet in homine, adeoque distinguitur a gratia actuali.

2. Explicite aut quasi explicite eamdem veritatem expresserunt non pauci Patres : a) Augustinus aperte asserit donum gratiae quo homo justificatur, distinctum esse ab omni gratia actuali, ubi asserit parvulum, cui infunditur, inseri hoc dono corpori Christi, licet nullum actum moralem edere valeat (4). b) Clarissime idem significatur comparationibus a Basilio adhibitis (5). c) S. Cyrillus Alexandrinus jam voce qualitatis usus est, quam postea scholastici ad gratiae sanctifi-

(1) BELLARM. *De gr. et lib. arb.* l. I, c. III. — (2) RIPALDA. *De ente* disp. ult. s. II, n. 22. — (3) SUAREZ. *De gr.* l. VI, c. I, n. 4.

(4) « Nam et Christum imitantur Sancti ad sequendam justitiam... sed praeter hanc imitationem, gratia ejus illuminationem justificationemque nostram operatur, hac enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, qui certe imitari aliquem nondum valent... Ille in quo omnes vivificantur, praeter quod se ad justitiam exemplum imitantibus praebuit, dat etiam sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis. » L. I. de pecc. mer. et remiss. n. 10.

(5) Ait Spiritum S. esse in anima sicut « *τὸ εἶδος ἐν τῇ ὕλῃ..., ἡ δύναμις ἐν τῷ δεκτικῷ, ἡ ἕξις ἐν τῷ κατ' αὐτὴν διακειμένῳ... ὡς ἡ δύναμις τοῦ ὁρᾶν ἐν τῷ ὑγιαίνοντι ὀφθαλμῷ... ὡς ἡ τέχνη ἐν τῷ ἀναλαβόντι αὐτὴν... ἀεὶ μὲν συμπαροῦσα, οὐχὶ δὲ καὶ ἐνεργοῦσα διηνεκῶς.* » *De Sp. S.* n. 61, M. P. G. XXXII, 180.

cantis naturam explicandam adhibuerunt ([1]). — d) S. Ambrosius asserit animam esse pictam per justificationem, quibus verbis clare significatur donum habituale ([2]).

302. — IV^m Arg. Ex Trid. 1. Ex sess. VI, c. VII et can. 11, justificatio non consistit in sola peccatorum remissione, aut imputatione justitiae Christi, aut in favore Dei extrinseco, sed in renovatione interiori, in gratia quae inhaeret animae, in caritate quae diffunditur in cordibus et qua homo vere justus et filius Dei efficitur. Atqui, licet non adhibeatur vox gratiae habitualis, tamen haec verba non verificantur sufficienter, nisi gratia justificationis dicatur esse habitus ab omni gratia actuali distinctus. Ergo.

2. Sacramenta conferunt gratiam omni rite suscipienti ipsa (sess. VII, can. 7) ; in specie baptismus infundit gratiam qua homo fit justus (sess. VI, cap. III). Sed infantuli possunt rite suscipere baptismum. Ergo eis infunditur gratia qua fiant justi ; jamvero ista gratia non est actualis. Ergo est habitualis.

3. Quaenam fuerit mens Tridentini, patet ex Catechismo qui jussu Pii P. V. est editus. Sequentia leguntur in tractatu de Baptismo, n. 50 : « Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, poena anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidem et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit. »

4. Constat etiam mens Tridentini ex his quae referunt Pallavicini ([3]) et Theiner ([4]). a) Cum enim aliquis ex Patribus ad sess. VII, c. VII. aut

---

([1]) Cyr. Alex. « Quomodo divinae naturae secundum dicta sanctorum participes erunt ii, quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus adnumeratur, et non potius ex ipsa nobis divina natura procedit, non ita, ut per ipsam in nos tamquam alienus transeat, sed, ut ita dicam, qualitas veluti quaedam divinitatis in nobis insit, et in sanctis habitet, ac perpetuo maneat ; si mentis suae oculum omni probitate purgantes et virtutem omnium indefesso studio gratiam sibi conservent. » L. IX, *in Joh.*

([2]) Ambr. « Utrum secundum corpus, an secundum animam justificatio tibi conferri videatur, quaeso respondeas. Sed dubitare non potes, cum justitia, unde justificatio derivata est, mentis tuae utique, non corporis sit. Pictus es ergo, o homo (ita enim explicat esse hominem ad imaginem Dei) et pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem, atque pictorem ; noli bonam delere picturam, non fuco, sed virtute fulgentem, non cera expressam, sed gratia. » L. VI. *Exam.* c. VIII.

([3]) Pallav. « Observandum est mentem Concilii fuisse statuere speciatim habitum infusum justitiae, et non generatim meram interiorem justitiam, nihil definiendo eane sit actus an habitus, uti placuit G. Vasquez. Quod exploratum mihi fit, quoniam quibusdam postulantibus ut expressius declararetur fieri justitiam per habitum infusum, delecti Patres ad id responderunt : id satis declarari per vocem *inhaeret*, quae stabilitatem significat et habitibus, non actibus, congruit. » (*Hist. Conc. Trid.* l. VIII. c. XIV, n. 5).

([4]) Theiner. *Acta Trid.* p. 221, 248.

can. 11 petiisset ut expressius declararetur justificationem fieri per habitum infusum, responsum est id satis intelligi ex adhibita voce *inhaerentia* quae proprie convenit quidem habitibus, non vero actibus. b) Notatum est ad verba « gratia seu caritas diffunditur in cordibus, » caritatem enumeratam jam esse inter dispositiones ad justificationem, de quibus in c. VI. deputati responderunt : « Caritas hoc loco (c. VII) pro habitu sumitur. Praeparat autem non habitus, neque actus procedens ab habitu, sed actus aliquis dilectionis justitiae, non quam homo habet sed quam habere cupit. »

V^m Arg. Ex Concilio Viennensi. ([1]) Tempore Concilii conveniebant theologi quod in adultis peccata remittuntur et gratia et virtutes infunduntur in prima justificatione ; controversia erat circa parvulos, utrum virtutes infunderentur. Asserit Clemens V et Viennense probabilius esse in baptismo eodem modo tam parvulis quam adultis infundi una cum gratia virtutes. Atqui gratia parvulis infusa non est actualis. Ergo est habitualis.

VI^m Arg. Ratione theologica. Secundum s. Thomam homo non tantum adjuvatur a Deo per gratiam actualem, sed adhuc per donum habituale supernaturale. Rationem affert quia « non est conveniens quod Deus minus provideat his quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autum naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad hujusmodi motus.... Multo igitur magis illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum aeternum consequendum. Et sic donum gratiae qualitas quaedam est » (I^a II^ae q. CX, art. 2).

303. — TERTIA PARS. Gratia sanctificans est realiter distincta ab anima et ejus potentiis.

Prob. 1^m Arg. Ex Trid. Sess. VI, can. 11 : « Si quis dixerit hominem

([1]) Viennense, exposita doctrina de necessitate baptismi, ita pergit : « Verum quantum ad effectum (baptismi), cum theologi varias opiniones habeant : videlicet dicentibus quibusdam, parvulis culpam remitti, sed gratiam non conferri, aliis contra asserentibus, quod et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes, ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum ; nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo gratiam informantem, et virtutes, tamquam probabiliorem, et dictis Sanctorum et Doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. » Denz. n. 411.

justificari, exclusa gratia et caritate quae in cordibus per Spiritum sanctum diffunditur atque illis inhaeret... A. S. » — Unde sic : Tria distinguuntur : Spiritus diffundens, cor in quo diffunditur, et gratia quae diffunditur. Atqui modus realiter indistinctus ab anima nonnisi violenter vocari potest gratia quae diffunditur. Ergo.

Confirmatur minor ex catechismo Concilii c. de baptismo n. 50. « Est autem gratia, quemadmodum Tridentina synodus omnibus credendum, poena anathematis proposita, decrevit, divina qualitas animae inhaerens. »

II^m Arg. Ex defectu rationis pro sententia opposita. In tantum denegari posset distinctio realis gratiae ab anima et ab ejus potentiis, in quantum, posita reali distinctione, fieret ut ipsa anima non esset sancta vi gratiae, sed opus adhuc esset ut per gratiam efficienter produceretur in anima modus indistinctus ab anima, quo nempe anima fieret formaliter sancta. Atqui falsum omnino est ipsam animam non valere intrinsecus esse sanctam vi gratiae realiter tamen ab anima distinctae. Ergo nulla est ratio denegandi distinctionem realem gratiae ab anima et ejus potentiis. — *Ad maj.* Haec revera est sola ratio allata a recentioribus in dubium revocantibus realem distinctionem gratiae habitualis ab anima ejusque facultatibus. Ipse homo, aiunt, debet esse justus ; quare si gratia est distincta realiter ab homine, exigitur ut haec gratia efficienter producat in homine modum quo hic intrinsecus fiat justus ; jamvero iste modus dicendus est causa formalis justitiae potius quam ipsius causa efficiens ; neque ullatenus exigit produci per qualitatem distinctam, sed a Deo educi potest ex potentia obedientiali animae.

Prob. min. In tantum distinctione reali posita, ipsa anima non esset justa vi gratiae, in quantum gratia et anima manerent in composito distinctae, neque constituerent ens stricte unum quod eatenus est compositum quatenus ex duobus constat et in duo resolvitur quorum unum, homo nempe, perseverat sub alia forma, nempe peccati, et alterum, nempe gratia, corruptione desinit esse. Atqui gratia et anima ita uniuntur ut constituant ens stricte unum, nempe anima sancta constans ex duobus in quae resolvi potest. Ergo.

III^m Arg. Gratia habitualis vocatur signum quo signatur anima, unctio qua ungitur, semen et pignus quod ei datur, vestimentum quo vestitur, imago Verbi qua ornatur. Atqui hi modi loquendi, licet figurati, ostendunt tamen gratiam habitualem esse realiter distinctam ab anima ejusque facultatibus. Uti enim praefatae locutiones ostendunt gratiam realiter distingui a Spiritu sancto uti effectum a causa efficiente,

ita ostendunt eamdem gratiam realiter distingui ab anima ejusque facultatibus uti causam formalem a causa materiali.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

304. — CONTRA I^m PARTEM. Obj. 1°. Quod primo petitur a fidelibus sanctificari volentibus, praeterea primo promittitur a Christo ac confertur ab Ecclesia, in eo essentialiter et primario reponitur gratia sanctificationis. Atqui Spiritus sanctus a) primo petitur a fidelibus sic orantibus : Veni, Sancte Spiritus ; b) primo promittitur a Christo apud Joh. cc. XIV, XV, XVI) ; c) primo confertur ab Ecclesia : sic cum administratur sacramentum Ordinis ait: Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittentur eis, etc. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Gratia justificationis reponitur essentialiter et primario in eo quod *veluti causa formalis* qua justus primo denominatur, a fidelibus petitur, a Christo promittitur et ab Ecclesia confertur, *Conc.;* quod primo petitur, promittitur ac confertur veluti *causa efficiens* praefatae formae et veluti peculiariter praesens in justo consequenter ad donum hac causa productum, quod scil. fundat relationem amicitiae, *Neg. Cdt. min.* Spiritus sanctus primario a fidelibus petitur, a Christo promittitur et ab Ecclesia confertur veluti *causa formalis* qua justus primo sic denominatur, *Neg.;* veluti *causa efficiens* hujus formae et veluti peculiariter praesens in justo consequenter ad hoc donum quod fundat relationem inter Deum et justum et ratione cujus Spiritus sanctus dicitur manere in justo. *Conc, Cfr.* expositionem tertiae sententiae.

Inst. Atqui Spiritus sanctus petitur, promittitur et confertur tamquam causa quasi formalis qua justus primo sic denominatur.

Obj. 2°. Scriptura et Patres solent describere justificationem dicendo hominem fieri templum Spiritus sancti ; Spiritum sanctum dari justis, iis inhabitare, esse signum quo signantur, etc.; plerumque nulla occurrit mentio de dono creato, quod esset gratia sanctificans. Atqui haec ratio loquendi explicari nequit si gratia justificationis stat primario in dono creato. Ergo Spiritus sanctus petitur et confertur tamquam causa quasi formalis qua justus sic primo denominatur.

Resp. a) Negatur prima pars majoris. Eam esse falsam constabit ex testimoniis in thesi sequenti afferendis de effectibus formalibus gratiae justificationis. — b) *Transm. maj. Neg. min.* Etenim ex ea quod Scriptura et Patres, loquendo de justificatione, tam saepe dicunt Spiritum sanctum dari, infundi, esse sigillum quo signatur cor justi, eum clamare in cordibus, nulla mentione facta de dono creato quod fundat has appel-

lationes, et quod proprie est causa formalis justificationis, nullatenus consequitur eorum judicio Spiritum sanctum esse causam formalem sanctitatis. Haec enim ratio loquendi optime explicatur quia ex una parte est aptissima ad commendandam excellentiam status justitae, quodque mentes fidelium facile commoventur sublimitate mansionis Spiritus sancti in corde justi ; ex altera perte consortium divinae naturae nonnisi obscure cognoscitur et difficilius permittit explicationem accommodatam mentibus fidelium.

Obj. 3°. Fatendum est multos Scripturae et Patrum locos, si obvie et ad litteram sumuntur, favere sententiae affirmantium gratiam justificationis esse primario Spiritum sanctum ; hic itaque sensus obvius est retinendus, nisi obstet cogens ratio. Atqui nulla ratio cogens obstat. Ergo. — *Prob. min.* Beati uniuntur immediate Deo et hac unione denominantur beati. Atqui si beati sic denominantur immediata unione cum Deo, non potest dici repugnare ut justi sic primo denominentur unione cum Spiritu sancto. Ergo.

Resp. *Transm. maj. Neg. min.* Ad prob. *Dist. 1m membrum majoris :* Beati uniuntur immediate Deo, h. e. *vident Deum* in se seu immediate, *Conc.;* non datur in eis *formalis cognitio creata* qua denominantur videre Deum, *Neg.* — *Dist. 2m membrum :* Unio cum Deo denominat primo beatos, h. e. Deus est causa *formalis* beatitudinis eorum, *Neg.;* Deus est causa *efficiens* et *objectum* beatitudinis, *Conc. Cdt. min.* — Beatitudo stat formaliter in actibus intellectus et voluntatis per quos beati vident et amant Deum. A pari gratia justificationis stat primario in forma creata ratione cujus justus unitur Spiritui sancto in ipso manenti.

Obj. 4°. Per gratiam justificationis a) homo denominatur et est filius Dei ; b) adipiscitur jus ad regnum caelorum ; c) nullo peccato valet esse obnoxius in sensu composito cum hac gratia. Atqui ut triplex hic effectus formalis consequatur ad gratiam justificationis, exigitur ut Spiritus sanctus justum sic formaliter denominet. Ergo.

Resp. *Dist. 1a pars maj.* Homo ratione justitiae denominatur filius Dei *univoce* cum filio naturali, *Neg.;* *analogice* ratione consortii analogi divinitatis in quo primario reponitur essentia justitiae, *Conc. Cdt. 1a pars min.* Ut homo denominetur filius Dei *univoce* cum filio naturali, exigitur ut gratia justificationis sit primario increata, *Transm.;* ut denominetur *analogice* filius Dei, *Neg.* — Conceduntur 2a et 3a partes majoris et negantur 2a et 3a partes minoris.

Inst. Atqui non sufficit consortium analogum divinitatis ad hoc ut homo denominetur filius adoptivus Dei analogice cum filio naturali.

Etenim de conceptu filii est similitudo cum Patre vera et univoca. Atqui non datur similitudo univoca per consortium analogicum divinitatis. Ergo id consortium non sufficit.

Resp. *Dist. maj.* De conceptu filii *naturalis* est similitudo univoca cum Patre, *Conc.;* de conceptu filii *adoptivi*, *Subd.* exigitur *per se* et *absolute* ex ratione formali filii adoptivi, *Neg.;* exigitur *hypothetice* et *per accidens*, cum scil. adoptare volenti nulla suppetit persona quae adoptionis est capax nisi ea quae eamdem naturam univoce participat; *Conc.* — *Conceditur minor.* — *Dist. cons.* Consortium analogum cum divinitate non sufficit ut homo sit filius *naturalis* Dei, *Conc ;* ut sit filius *adoptivus*, *Neg.*

Inst. Atqui de conceptu filii adoptivi est similitudo univoca cum Patre. Si enim non exigitur univoca similitudo, nihil obstare dicendum est quin homo adoptetur a Deo in filium sine novo et sublimiori consortio creato. Atqui hoc est contra doctrinam Patrum, quippe qui exigunt gratiam ad hoc ut homo fiat Dei filius. Ergo.

Resp. *Negatur maj.* aut *distinguitur : Loquendo absolute* non exigitur consortium divinitatis ad hoc ut homo adoptetur a Deo in filium, *Conc.; connaturaliter* loquendo, *Neg. Cdt. min.*

Explic. *Ad 1am partem majoris et minoris syllogismi principalis :* Falsum est hominem non posse esse filium adoptivum, nisi persona Spiritus sancti eum formaliter denominet justum. Probatur dupliciter : 1. *Indirecte :* a) Si persona Spiritus sancti fundaret filiationem divinam, justus dicendus esset magis proprie filius naturalis Dei, quam filius adoptivus. b) Compositum ex Spiritu sancto inhabitante homini et ex homine ipso denominandum esset Spiritus Dei, proindeque homo justus non proprie vocaretur filius Dei, siquidem Spiritus sanctus non est Filius Dei. — 2. *Directe :* Filiatio adoptiva non exigit per se nisi haec tria : a) ut ille qui adoptatur praeditus sit intellectu et voluntate, adeoque capax jurium et officiorum ; b) ut ei conferantur praerogativae quas filius naturalis possidet vi nativitatis ; c) ut generatus non sit ab adoptante. Quare non exigitur per se similitudo naturae : si angeli conversarentur inter homines, dissimilitudo naturae non obstaret quin angeli adoptarent homines in filios, aut homines angelos. — Per accidens exigitur similitudo naturae pro adoptione humana, quia nempe homini praesto non est alia materia capax adoptionis. — Attamen ut adoptio divina magis assimilaretur adoptioni humanae, voluit Deus ut filio adoptivo imprimeretur participatio analogica naturae divinae, qua similis fieret Deo, quantum patitur conditio creaturae et qua connaturali modo disponeretur ad haereditatem.

Ad 2m partem majoris: Gratia sanctificans est principium conversionis supernaturalis hominis ad Deum et conversionis Dei ad hominem (Cfr. Schol. ad th. 47). Inde incompossibilis est cum peccato mortali. Cum enim peccatum lethale sit essentialiter aversio totalis a Deo, ex natura sua expellit conversionem habitualem hominis ad Deum.

Ad 3m partem majoris: Gratia sanctificans, cum sit consortium divinae naturae, ex natura sua postulat haereditatem regni caelorum ; ex se enim petit uniri Deo et frui possessione Dei.

Obj. 5°. Ipse Deus, appropriative Spiritus sanctus, in Scripturis dicitur gratia habitualis. In I Joh. IV, 16 legitur : « Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet. »

Resp. Deus vario sensu vocatur Caritas. Est enim a) Caritas substantialis et *increata ;* b) Caritas *creata* α) *materialis,* h. e. objectum in quod tendit caritas justi ; β) *exemplaris*, h. e. norma caritatis justi ; γ) *finalis*, h. e. finis amoris justi ; δ) *causalis*, Deus nempe, qui est caritas, causat in homine caritatem tum habitualem tum actualem. — Porro hic videtur esse sensus I Joh. IV, 16 : Deus est caritas tum substantialis et increata tum creata modo supra explicato ; qui manet in caritate qua diligit Deum et proximum propter Deum, manet in caritate qua diligitur a Deo, adeoque Deus ei speciali ratione inhabitat.

Obj. 6°. Juxta Patres homo sanctificatur per Spiritum sanctum non vero per qualitatem creatam. Sic inter alios a) Athanasius (1) ; b) Basilius (2) ; c) Nazianzenus (3) ; d) Augustinus (4) ; e) Cyrillus Hier. (5) ; f) Cyrillus Alex. (6). Sic jam inter Patres apostolicos Barnabas (7) et Clemens Romanus qui ait Spiritum gratiae super nos esse effusum (8).

Resp. Juxta Patres homo sanctificatur per Spiritum sanctum

(1) ATHAN. « Spiritus sigillum est, quo signati divinae naturae participes efficimur. » *Ep. ad Serapion.*

(2) BASIL. « Si in nobis Deus habitare dicitur per Spiritum, quomodo non manifesta est impietas expertem Deitatis ipsum spiritum dicere. » L. III *ad Eunom.*

(3) GREG. NAZ. « Si in nobis Deus Spiritus sanctus, prius Deus efficiatur, atque ita demum me aequalem Deum suum faciat. » *Or.* XXIV al. XXXIV.

(4) AUG. docet Spiritum sanctum in justificatis habitare « non per gratiam visitationis et operationis, sed per ipsam praesentiam majestatis. » *Serm.* I *in fer.* II *Pentec.*

(5) CYR. HIER. « Si ignis, cum sit corpus, in ferri corpus subiens, obstante nullo, agit ; quid miraris, si Spiritus sanctus in intimos animae recessus ingreditur. » *Catech.* XVII.

(6) CYR. ALEX. « Si qui Spiritum accipiunt sanctum, Deum in seipsis habentes sunt. L. XXXII. *Thesaur.* — « Hoc igitur, quod divinam nobis imaginem insculpit et instar sigilli praestantiorem mundo pulchritudinem ingenerat, nonne Spiritus est. » *Dial.* VII *cum Hermia.*

(7) BARNABAS : « Vere video in vobis infusum Spiritum ab honesto (egregio) fonte Dei. » *Ep.* C. I.

(8) *In ep.* Ia *ad Cor.* C. XLVI.

tamquam per causam *efficientem*, *Conc.* ; tamquam per causam *formalem*, *Subd.* impropriam et *metaphoricam*, quatenus Deus speciali ratione inhabitat justum, *Conc.;* quatenus sit per se forma sanctificans, *Neg.* Nullus est ex Patribus qui non patitur hujusmodi interpretationem.

305. — CONTRA II^am^ PARTEM : Gratia habitualis non est donum physice permanens. Etenim :

Obj. 7°. Adultus potest justificari per actum caritatis physice transactum, moraliter perseverantem. Ergo gratia justificationis non est donum physice permanens. — *Prob. ant.* Peccatum actuale physice praeteritum et moraliter perseverans reddit peccatorem. Ergo a pari caritatis actus moraliter perseverans reddit justum.

Resp. *Dist. Ant.* Si sola *natura* rei inspicitur et *absolute* loquendo Deus potuisset velle ut homo justificaretur solo actu caritatis moraliter perseverante, *Conc.* ; non constat *revelatione* Deum voluisse ut homo esset justus beneficio doni physice permanentis ad cujus receptionem proxime disponit caritas, *Neg.* — Ad prob. *Dist. ant.* in statu *naturae purae* homo constituitur in statu peccati per actuale peccatum moraliter perseverans, *Conc.;* in statu naturae *elevatae*, Subd. per *solum* peccatum actuale perseverans, *Neg.* ; per *privationem gratiae habitualis* prouti haec privatio est inducta per peccatum actuale, *Conc.*

Inst. Atqui ex revelatione non constat gratiam justificationis esse donum physice permanens. Etenim :

Obj. 8°. Morinus refert plurimos scholasticos qui affirmant per mille supra centum annos totam habituum infusorum doctrinam in Ecclesia latuisse. (Cfr. Stat. quaest.) Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Hoc affirmatur a scholasticis de doctrina habituum *operativorum* seu virtutum theologicarum et moralium, *Conc.;* de habitu *ornativo* gratiae justificationis, *Neg.* aut *Subd.* latuit *nomen* gratiae habitualis, *Conc.;* latuit *res* hoc nomine significata, *Neg.* Non latuisse Patres in justificatione infundi a Deo donum physice permanens, perspicue constat tum ex testimoniis in thesi relatis, tum ex locis innumeris ubi Patres loquuntur de effectu sacramentis in anima producto, in specie de effectibus baptismo et Eucharistia productis, uti ex tractatibus de sacramentis manifestum est.

Obj. 9°. Innocentius III et Clemens V cum Concilio Viennensi ut probabile admiserunt gratiam habitualem non permanere physice.

Resp. *Dist.* Admiserunt probabile esse dona habitualia infundi *parvulis, Transm.* aut *Conc.; adultis, Neg.* Quaestio discussa non erat nisi *de tempore* quo homines recipiunt gratiam et dona habitualia ;

utrinque vero pro certa habebatur eorum exsistentia. De Viennensi constat ex supra relatis (Denz. n. 411). De Innocentio ex ejus verbis : « Ad illud quod opponentes inducunt, fidem aut caritatem, aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur absolute ; cum propter hoc inter doctores theologos quaestio referatur, aliis asserentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, gratiam non conferri : nonnullis dicentibus dimitti peccatum et virtutes infundi habentibus illas, quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad aetatem adultam » ([1]).

Obj. 10°. Tridentinum numquam dicit gratiam esse habitum, neque dicit eam physice remanere. Ergo sufficit remanentia moralis ex actibus petita.

Resp. Ex his tantum sequitur non definiri remanentiam physicam gratiae ad instar habitus ; clare tamen eam indicari ex argumentis constat.

Obj. 11°. Argumentum petitum ex Tridentino, *nimis probat.* Ex eo enim sequeretur peccatum originale physice inhaerere homini. Atqui nonnisi moraliter inhaeret. Ergo.

Resp. a) Tridentinum de P. O. loquens dicit illud transfundi, singulis inesse proprium, contrahi (sess. VII) ; non dicit illud *infundi*, *inhaerere.* b) Nihil tamen obstaret quin P. O. dicatur inhaerere. Probatur enim in tractatu de Deo creante essentiam P. O. a Tridentino clare reponi in injustitia seu in privatione gratiae sanctificantis ; jamvero privationes dicuntur physice inhaerere naturae eamque intrinsecus afficere, haud secus ac formae quibus privant : sic caecitas caeco inhaeret physice, sicut visus videnti.

Obj. 12°. S. Thomas asserit gratiam non esse habitum : *de Ver.* q. XXVII, a. 2, ad 7^{m}.

Resp. S. Thomas clare affirmat gratiam esse donum physice permanens, et distinctum ab actibus. Verum censet istud donum proprie non esse habitum ; ratio est quia habitus nomine ipse intelligit qualitatem *operativam* censetque gratiam sanctificantem esse realiter distinctam ab habitu caritatis.

([1]) INN. III. *Decret.* l. III, tit. XXXXII, c. III.

ARTICULUS III.

De effectu formali gratiae sanctificantis

§ 1. Status quaestionis.

306. — Effectus formalis nomine intelligitur id quod causa formalis dat causae materiali per intrinsecam sui communicationem. Sic anima dat corpori quod sit humanum, scientia dat intellectui quod sit sciens, calor corpori quod sit calidum.

Alius effectus formalis est primarius, alius autem secundarius. — a) *Primarius* ille est quem causa necessario confert, seu qui sequitur essentialiter et per se ad unionem formae cum materia. Sic effectus primarius caloris est quod corpus sit calidum. — b) *Secundarius* ille est qui naturaliter et per se sequitur ad primarium. Sic ad calorem consequuntur diversae proprietates caloris.

Ex praejactis constat gratiam sanctificantem esse habitum supernaturalem ex potentia obedientiali passiva animae eductum Dei omnipotentia. Itaque hic habitus unitur intrinsecus animae eamque determinat ad habendas certas perfectiones quae vocantur ejus effectus formales ; sunt autem sequentes :

1. Participatio seu consortium divinae naturae, seu assimilatio cum Deo. Est duplex : a) *Formalis* aut absoluta, licet analogica. Gratia sanctificans confert animae perfectionem quae formaliter est in Deo, adeoque qua anima supernaturaliter assimilatur naturae divinae. Haec perfectio, judicio Ripaldae [1], est Dei bonitas moralis et universalis naturae propria cui debita est virtus ad omnes et solas operationes morales et cui repugnat operatio moraliter mala. — Judicio Suarezii [2] est gradus intellectualitatis qui est in natura divina, quo modo a nulla substantia creata per se ipsam vel per potentiam sibi connaturalem participari potest. — b) *Relativa*. Consistit in inhabitatione Dei et appropriative Spiritus sancti in anima justi. Sic explicatur : α) Vi participationis formalis naturae divinae, justus speciali modo refertur ad Deum et appropriative ad Spiritum sanctum nempe ut amans ad amatum et uti amatus ad amantem. Ratione hujus specialis relationis Spiritus sanctus dicitur manere in justo. β) Vi ejusdem consortii, postulat homo ut, si Deus jam vi immensitatis suae non esset

---

[1] Ripalda *De ente supernaturali*, d. cxxxii, n. 105. — [2] Suarez *De gr.* l. VII, c. 1.

ubique, esset tamen praesens in se. Ista exigentia Dei praesentiae, quae justo propria est, iterum vocatur inhabitatio et proinde consortium relativum Dei.

Itaque effectus formalis primarius gratiae sanctificantis est duplex, seu duplex est participatio divinae naturae; sc. unione sua cum anima, confert gratia homini ut sit formaliter, analogice tamen, particeps Dei naturae et ut sit subjectum et terminus novae relationis cum Deo.

2. Filiatio adoptiva. — Filius *naturalis* est ille qui vere et proprie est genitus ab eo cujus vocatur filius. Generatio est titulus e quo nascitur jus haereditatis bonorum paternorum. — Filius adoptivus est ille qui assumitur in filium ab eo a quo generatus non est. Assumptio in filium est titulus e quo nascitur amor paternus et jus ad haereditatem quae per se soli filio naturali conveniunt. — Adoptio definitur a jurisperitis: personae extraneae gratuita acceptio ad haereditatem.

Filiatio adoptiva est effectus formalis secundarius gratiae ; eo enim quod gratia unitur intrinsecus animae tamquam consortium naturae divinae, hominem reddit filium adoptivum Dei, instructum jure ad regnum caelorum. — Censet Suarez fide certum esse hunc effectum formalem gratiae ([1]).

3. Amicitia divina. Amicitia consistit in mutuo duorum amore benevolentiae. — Amare autem est velle alicui bonum. Amor benevolentiae reponitur in eo quod amans vult et confert bonum amato propter ipsum amatum.

Effectus formalis secundarius gratiae est amicitia divina. Eo enim quod homo, ornatus gratia, particeps est divinae naturae, proindeque recipit bona divina, consequitur eum exsistere gratum et acceptum Deo, adeoque a Deo amari. Praeterea cum gratia indivulse cohaeret habitus caritatis quo homo est aptus ad supernaturaliter amandum Deum propter se.

4. Sanctitas et Justitia. Sanctitas est id quo res aut persona fit propria Deo, seu ei deputatur in speciale munus. Per gratiam homo speciali titulo pertinet ad Deum. — Sanctitas non distinguitur a justitia: Tunc enim homo est justus, cum debito et recto modo se habet ad Deum, immunis est ab omni reatu culpae, ornatur principio intrinseco cui connaturaliter est debita fruitio beatifica Dei. — Ratione hujus effectus formalis, gratia justificationis vocari solet gratia *sanctificans*.

([1]) Suarez *De gr.* l. VII, c. II, n. I.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XLVII^a. — Effectus formales gratiae habitualis sunt consortium naturae divinae, filiatio Dei adoptiva Deique amicitia, demum sanctitas.

307. — I^a probatio. Ex Scriptura. A. Omnes effectus formales traduntur ab Apostolo in Epistola ad Romanos VIII, 9-17. « Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis.... vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus : Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et haeredes, haeredes quidem Dei. cohaeredes autem Christi, si tamen compatimur ut et conglorificemur » (1).

B. Consortium naturae divinae tribui justis beneficio gratiae habitualis docent : a) S. Petrus II^a ep. I. 2-4 : « Quomodo omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam et pietatem donata sunt, per cogni-

(1) Hujus praeclari testimonii, in quo sermo fit omnium pene effectuum formalium gratiae sanctificantis, haec traditur paraphrasis a Beelen. VIII. 9-11 : « Vos enim non estis homines carnales sed spirituales, si tamen Spiritus sanctus quem in baptismo accepistis etiam nunc in vobis permaneat. Si quis autem Spiritum sanctum qui Spiritus Christi est, non habet in se inhabitantem, vide, ad Christum hic non pertinet ; carnalis is est, non spiritualis : Si autem Christus est in vobis per Spiritum suum, obnoxium quidem morti est corpus vestrum propter originale peccatum, anima autem vestra vivens est propter gratiam justificationis a Spiritu sancto vobis impertitam. Quod si Spiritus illius qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, ipse ille Pater aeternus qui Jesum Christum, caput vestrum, a mortuis excitavit, aliquando mortalia quoque corpora vestra vivificabit, idque, propter inhabitantem in vobis spiritum Christi » — V. 14-17 « Nam quicumque ab inhabitante in se Spiritu sancto aguntur, hi sunt filii Dei, ut estis vos. Neque enim, quem in Baptismo Spiritum accepistis, talis est qui vos, sicut olim Mosaica Lex Judaeos, servos effecerit ut iterum servili animo legislatorem suum timeretis ; sed accepistis Spiritum qui nos effecit adoptivos Dei filios, qui Spiritu nos agente, magno animi affectu Deum compellamus Patrem nostrum. Ipse ille Spiritus affectuosa illa compellatione una cum spiritu nostro contestatur, nos esse filios Dei. Quod si filii sumus, utique et haeredes, aliquando, inquam, Dei, cohaeredes autem Christi ; si tamen cum Christo patimur, quo fiet ut et cum ipso glorificemur. »

tionem ejus (Christi Jesu) qui vocavit nos propria gloria et virtute. Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit : ut per haec efficiamini divinae consortes naturae » ; — b) S. Johannes in I ep. IV, 16 : « Deus caritas est », una cum Rom. V, 5 : « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » — Praeterea c) obscure innuitur id consortium in II Cor. I, 22 : « Qui et signavit nos et dedit pignus spiritus in cordibus nostris ; in Eph. I, 13, 14: « In quo (Christo) et vos cum audissetis verbum veritatis Evangelii salutis vestrae, in quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto qui est pignus haereditatis nostrae. »

C. Inhabitatio Dei ac Spiritus Sancti, seu consortium relativum : a) Joh. XIV, 21-23 : « Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo ; et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum... Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus ». b) I Cor. III, 16 : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis » et ib. VI, 19 : « An nescitis quoniam membra vestra templa sunt Spiritus sancti qui habitat in vobis ». c) Gal, IV, 6 : « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater. »

D. De filiatione adoptiva agunt : a) Johannes, tum in I ep. III, 1 : « Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus ; » tum in Evangelio I, 12, 13 : « Quotquot autem receperunt eum (per fidem) dedit eis potestatem filios Dei fieri (ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι), his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. » Filiatio adoptiva in terris juxta alios exprimitur verbis : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri. » Hi sequentia explicant, dicendo ostendi quomodo quis fiat Dei filius ; — juxta alios exprimitur verbis ; « qui ex Deo nati sunt », verbis autem : « Dedit potestatem filios Dei fieri » significatur filiatio adoptiva perfectior in caelis, ad quam obtinendam datur potestas et jus. Inde sensus foret : qui ex Deo nati sunt generatione spirituali et mystico genere nativitatis, quo accipitur cognatio cum Deo, non vero ἐξ αἱμάτων, h. e. ratione generationis carnalis, neque ἐξ θελήματος σαρκός, ratione concupiscentiae carnalis, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρός neque ratione rationalis appetitus de prole procreanda ; hi, inquam, receperunt potestatem fieri filii Dei in caelo (Cfr. Maldonat.) — b) Paulus tum ad Rom. V, 2. « Justificati ergo ex fide, pacem habeamus per D. N. J. C., per quem habemus accessum

per fidem in gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe filiorum Dei ; » tum ad Gal. IV. 6. et III. 26 ubi legitur : « Omnes enim filii Dei estis per fidem quae est in Christo Jesu » ; tum ad Eph. V. 1. « Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi. » Justum esse Dei filium adhuc colligitur ex locis ubi affirmatur esse haeres regni caelorum, vitae aeternae : qui enim fit haeres bonorum paternorum, est filius naturalis aut adoptivus ; sic speciatim in I Pet. 1. 4. « Benedictus Deus... qui regeneravit nos... in haereditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcessibilem, conservatam in caelis in vobis. » Cfr. Matth. XXV, 34, 46 ; Joh. III, 15 ; Rom. V, 27 et VII, 22.

E. De amicitia Dei mentionem faciunt : a) Joh. XIV, 21, 23 ; ib. XVI, 27 : « Ipse enim Deus amat vos, quia vos me amastis et credidistis quia ego a Deo exivi » : ib. XVII, 23, 26. b) I Joh. IV, 16-20 : « Et nos cognovimus et credidimus caritati, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo... Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. » c) Luc. XII, 14 : « Dico autem vobis amicis meis etc. »

F. De sanctitate agunt a) Joh. XVII, 19, 26 : « Pro eis sanctifico meipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate etc. » b) Eph. IV, 23 : « Renovamini autem Spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis ». c) Rom. VII, 11 : « Et haec quidem (molles etc.) fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine D. N. J. C. et in Spiritu Dei nostri. »

308. — II^a probatio. Ex Traditione. I^m Arg. Petitur ex Trid. sess. VI, cc. II, III, IV et praesertim c. VII. In superioribus sunt tradita.

II^m Arg. Petitur ex Patribus.

A. Consortium naturae divinae, gratia conferri et inhabitationem Spiritus sancti dicunt : 1. Hi omnes qui gratiam vocant ipsum Spiritum sanctum, aut dicunt Spiritum sanctum inhabitare οὐσιώδη et quorum testimonia sunt relata inter obj. adver. part. I^m thes. XLVI. — 2. Qui affirmant aut justum esse templum Spiritus sancti vel habere Spiritum sibi inhabitantem, aut caritatem Dei diffundi in cordibus justorum :

Barnabas : « Ubi nos renovavit per remissionem peccatorum efficit ut aliam formam haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui et Spiritu nos reformaverit... nos denuo formati sumus... Templum enim sanctum Domino est habitatio cordis nostri... fide quam habemus promissis Dei et verbo praedicationis vivificati, vivemus terram possi-

dentes... cum et ipsi adeo perfecti erimus ut haeredes simus testamenti Domini » (1).

CLEMENS ROM. Viri boni dediti, « veraciter sunt civitas Dei, et habitacula, et templa in quibus commoratur et habitat Deus, versaturque sicut in civitate sancta caelesti (2). »

IGN. ANTIOCH. Estis igitur comites omnes θεοφόροι καὶ ναοφόροι, χριστοφόροι καὶ ἁγιοφόροι. (3) — « Omnia faciamus, quasi ipso in nobis habitante, ut illius simus templa, et ipse sit in nobis, Deus noster » (4).

AUCT. EP. AD DIOGN. (Verbum).... « semper recens in sanctorum cordibus nascitur,... per quem gratia expansa in sanctis augetur » (5).

HERMAS : « Noli offendere Spiritum sanctum qui in te habitat » (6).

TATIANUS : « Initio (in Adam) Spiritus animae convictor erat... Spiritus Dei non omnibus inest sed quibusdam juste viventibus residens, et cum eorum anima complicatus (7). Animam cum Spiritu sancto copulemus et ad conjunctionem cum Deo enitamur... (Natura rationalis) si se instar templi habeat, libenter illud incolit Deus per legatum Spiritum » (8).

IRENAEUS : « (Sp. S.) in Filium Dei... descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, et requiescere in hominibus et habitare in plasmate Dei, sperans in ipsis et renovans eos in novitatem Christi (9). »

HIPPOL. « Verbum venit ad homines... (eos) regeneraturus ad animae cujusque incorruptibilitatem... Si igitur homo factus immortalis est, Deus etiam erit... Si vero per aquam et Spiritum sanctum a regeneratione ex lavacro Deus fit, comperietur etiam haeres Christi esse » (10).

TERTULL. « Ita restituitur homo Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat : imago in effigie, similitudo in aeternitate censetur » (11). « Cum omnes templum Dei simus, illato in nos et consecrato Spiritu sancto, ejus templi aedituus et antistes pudicitia est, quae nihil immundum nec profanum inferri sinit, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat » (12).

CYPRIANUS. « Postquam undae genitalis auxilio, superioris aevi labe detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit, postquam caelitus Spiritu hausto, in novum me hominem

(1) BARNABAS : *Ep.* c. VI. — (2) CLEM. ROM. *Ep.* I, *ad Cor.* c. II, Ep. I ad Virg. ed. a Beelen, p. 42. Addere juvat *ep. ad Virg.* recenseri inter opera dubia Clementis. — (3) IGN. ANT. *Ad Eph.* c. IX. — (4) Ib. c. XV. — (5) AUCT. *ep. ad Diogn.* c. XI. — (6) HERMAS. *Pastor*, l. II, *Mandat.* 10. — (7) TATIAN. *Cont. Graec.* c. XIII. — (8 Ib. c. XIII, XV, XVIII. — (9) IREN. *De haer.* l. III, c. XVII, n. 1. — (10) HIPP. *Theoph.* c. VIII. — (11) TERTULL. *De bapt.* c. V. — (12) Ib. *De cultu fem.* II, 1. M. P. L. I, 1206, 1316.

nativitas secunda reparavit.... esset agnoscere... Dei esse coepisse quod jam Spiritus sanctus animaret » (1). — « Ut sponte sol radiat, dies luminat, fons rigat imber irrorat, ita se Spiritus caelestis infundit... Jam tibi auro distincta laquearia et pretiosi marmoris crustis vestita domicilia sordebunt, cum scieris te excolendum magis, te potius ornandum, domum tibi hanc esse potiorem, quam Dominus insedit templi vice, in qua Spiritus sanctus coepit habitare » (2).

Pseudo-Dionysius. Justificatio est « divini nostri status fabricatio... quaedam nativitas divina, generatio divina » ; Deus ad homines descendit « ut sui unione, ignis in morem, unita sibi conformaret, quantum ad eorum conduceret deificationem » (3).

Athan : « Spiritus unguentum et sigillum est, quo ungit omnia signatque Verbum... Sic vero signati, merito et divinae naturae participes efficimur, ut dixit Petrus, atque ita particeps fit Verbi omnis creatura, in Spiritu et per Spiritum dicimur omnes participes Dei (citat I Cor. III, 16, 17). Porro si creatura esset Spiritus sanctus, nulla nobis in ipso esset Dei participatio... natura divina alieni essemus, ὡς κατὰ μηδὲν αὐτῆς μετέχοντες. Nunc, quandocumque dicimur μέτοχοι χριστοῦ καί μέτοχοι θεοῦ, demonstratur unctio illa quae est in nobis et sigillum, non esse naturae conditarum rerum, sed Filii, qui per Spiritum qui in ipso est, nos Patri conjungit... Ob eam causam et in hominibus est et dii per ipsum efficimur. Porro si deos facit non est dubium quin ejus natura Dei sit natura » (4).

Basilius : « Toti multitudini justorum dedit se ipsum (Sp. S.) et omnis hypostasis justorum sanctificata est... et per hunc quilibet sanctorum Deus est » (5).

Cyr. Alex. « τὸ τὴν θείαν ἡμῖν ἐγχαράττον εἰκόνα, καὶ σημάντρου δίκην ἐμποιοῦντο ὑπερκόσμιον κάλλος nonne Spiritus est... » idque facit non ut ὑπουργός sed ut ἀυπουργός... « Deus est ergo Spiritus et ad Deum conformans, non tamquam per ὑπουργικήν gratiam sed tanquam participationem divinae naturae seipso [ἑαυτῷ] donans iis qui digni sunt... Reformamur in εἰκονισμόν quae est ad Spiritum Sanctum, sive ad Deum per fidem, et sanctificationem et relationem ad ipsum, nimirum κατὰ μέθεξιν et adventitie, quamvis divinae naturae nominemur κοινωνοί... Templa sumus subsistentis Spiritus ; vocati autem sumus propter ipsum etiam dii, praesertim quia divinae et ineffabilis ejus naturae, συνάφεια cum

(1) Cypr. *Ep.* I, n. 4 M. IV, 200. — (2) Ib. n. 14, 15. — (3) *Pseudo* Dion. *Eccl. Hier.* c. II. — (4) Athan. *Ad Serap.* n. 23 sq. — (5) Basil. *De Sp. S.* c. XV. M. XXXII, 127. *Cont. Eunom.* M. XXIX, 769.

ipso, sumus participes » (1). « Spiritus sanctus eos in quibus fuerit et habitaverit, transformat εἰς ἑτέραν τινὰ ἕξιν, eosque in novitatem vitae restaurat » (2). « Ἕνωσις cum Deo non aliter in quoquam esse potest quam per participationem Spiritus sancti τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐνοικοῦντος ἡμῖν τὸν ἁγιασμόν... Imago perfecta Patris est Filius ; similitudo autem substantialis Filii est Spiritus ejus. Idcirco transformans in seipsum quodammodo hominum animas, divinam eis ἐγχαράττει μόρφωσιν et imaginem summae supernaturalis substantiae insculpit » (3).

Ambrosius : « Illa anima a Deo pingitur, quae habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis... in qua elucet divinae operationis effigies... in qua est splendor gloriae et paternae imago substantiae. Secundum hanc imaginem quae refulget pictura pretiosa est. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum » (4). « Pictus es ergo homo et pictus a Domino Deo tuo... noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia » (5). « Sancto Spiritu signati sumus, non natura sed a Deo... sicut enim in Christo morimur ut renascamur, ita etiam Spiritu signamur ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus... (6). Ostendens nos accipere de plenitudine Spiritus, non ipsam plenitudinem : « Quod nobis satis esse judicavit (Deus) effudit ; et quod effusum est non separatum est nec incisum ; inseparabilis est enim plenitudo gratiae spiritalis, sed nobis pro nostrae participatur facultate naturae. Effundit ergo Deus de Spiritu, effunditur etiam caritas Dei per Spiritum : quo loco unitatem debemus agnoscere operationis et gratiae » (7). « (Sp. S.) descendere videtur, cum illum recipimus ut habitet in nobis... non quod ille descendit, sed quod ad illum animus noster ascendit... venit non de loco in locum, sed a dispositione constitutionis ad salutem redemptionis, a gratia vivificationis ad gratiam sanctificationis, ut de terris ad caelum, de servitio ad regnum transferat » (8).

Hilarius : « Spiritales sumus, si in nobis est Spiritus Dei... Vivificamur ergo propter habitantem in nobis Spiritum Christi » (9).

Leo M. : Deus, « cum essemus mortui peccatis vivificavit nos in Christo, ut essemus in ipso nova creatura novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis, et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in

(1) Cyr. Alex. *De Trinit.* Dial. vii. — (2) Id. *In Joh.* l. X. — (3) Id. l. XI. — (4) Ambr. *Hexaem.* l. VI, n. 42. — (5) Ib. n. 47. — (6) Id. *De Sp. S.* l. I. c. vi. — (7) Ib. c. viii. — (8) Id. c. xi. — (9) Hilar. *De Trin.* l. VIII, n. 21.

veterem vilitatem degeneri conversatione redire » ([1]). — « Venit Filius Dei, et ita se nobis inseruit, ut Dei ad humana descensio fieret hominis ad divina provectio » ([2]).

MAXIMUS : « Deus nos condidit ut efficiamur divinae consortes naturae, ejusque aeternitatis participes atque illi appareamus » ([3]).

B. FILIATIONEM ADOPTIVAM conferri gratia, testantur : BASILIUS : « Ideo adventus Christi in carne,... crux etc... ut homo qui salvus fit per imitationem Christi veterem illam filiorum adoptionem recipiat ». Ideo baptismus « mortis ac vitae typum habens : mortis quidem imaginem explente aqua, Spiritu vero vitae archam praebente... Per Spiritum Sanctum datur in paradisum restitutio, ad regnum caelorum ascensus, in adoptionem filiorum reditus, datur fiducia Deum appellandi patrem suum, consortem fieri gratiae Christi, filium lucis appellari, aeternae gloriae participem esse » ([4]). CLEMENS ALEXANDRINUS, ORIGENES, CYPRIANUS ([5]).

HIPPOL. « Accede, o homo, in adoptionem in filium Dei... Qui enim cum fide in regenerationis lavacrum descendit renunciat malo et Christo se addicit... servitutem exuit, induit adoptionem, redit ex baptismo splendidus ut sol, radios justitiae effulgurans. Quod vero maximum est revertitur Filius Dei et Christi cohaeres » ([6]).

AUG. « Filii Dei facti sumus, et dii facti sumus, sed hoc est gratia adoptantis, non natura generantis » ([7]). « Unicus natura Dei Filius propter nos misericordia factus est filius hominis ut nos natura filii hominis, filii Dei per illius gratiam fieremus » ([8]).

PETRUS CHRYSOL. Homo « adoptatum se tunc stupuit in filium, quando perdiderat ipsius fiduciam servitutis » ([9]).

ENTYCHIUS CP. « Aliam, praeter primam, mystici generis habemus vitam, inchoationem veluti resurrectionis, peccatorum remissionem, adoptionem in filios sanctificationem, ita ut cohaeredes Christi efficiamur » ([10]).

FULGENTIUS : Verbum « quod Deus, quod Filius, quod unigenitus est, naturaliter est quia de natura Patris natus est ; nos autem quod

---

([1]) LEO M. *Serm.* I *de Nativ.* — ([2]) Ib. *Serm.* VII. — ([3]) MAXIM. *Centur.* I, n. 62. — ([4]) BAS. *De Sp. s.* c. XV. M. XXXII, 127.

([5]) CLEM. ALEX. *Cohort. ad gent.* c. IX ; Paedag. I, 6 : *Strom.* III, 10 ; VI, 9, 14 ; VII ; 13, 14. — ORIGENES : *Princ.* I. Praef. n. 5 ; II, c. X, n. 3 ; *Princ.* IV, 22 ; *C. Cels.* VI, 70 ; VIII, 6; *de Orat.* 22 et 25; *in Joh.* I. 5. — CYPR. *Ep.* LVI, n. 6 ; LXIII, n. 8; *de Orat. dom.* c. IX ; *ad Dem.* CC. XXII, XXIV, XXV ; *de op. et eleem.* c. I ; *de bono past.* c. V ; *de zelo et liv.* c. XIV.

([6]) HIPPOL. THEOPH. c. VIII. — ([7]) AUG. *In* Ps. LXXX. — ([8]) Id. *De Civ. Dei*, l. XXI, c. XV. — ([9]) PETRUS CHRYS. *Serm.* LXVIII. — ([10]) ENTYCHIUS CP. *Serm.* de *Pasch.*

dii, quod filii, quod geniti sumus, non natura sed gratia sumus » (1).

ANSELMUS : « Non inaniter filii sumus, sed haeredes patris nostri erimus, immo ipse erit haereditas nostra (Ps. XV, 5)... cohaeredes Christi, scil. simul cum Christo haeredes, eamdem scil. quam ipse possidet beatitudinis haereditatem cum eo possidentes. Haeredes quidem Dei efficiemur, cum ea quae Dei sunt possidere coeperimus... cohaeredes autem Christi cum reformaverit ipse corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae » (2).

C. AMICITIAM conferri testantur CLEMENS ALEXANDRINUS (3) et BERNARDUS. Loquens de perfecta conformitate nostrae voluntatis cum divina, et de illa quae inde oritur, continua conversione ad Deum : « Vere spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi contractus : complexus est. Complexus plane, idem ubi velle et nolle unum facit spiritum de duobus... Felix cui tantae suavitatis complexum experiri donatum est ! Quod non est aliud quam amor sanctus et castus... amor mutuus intimus validusque, qui non in carne una, sed una plane in spiritu duos jungat, duos faciat jam nos duos, sed unum » (4).

D. SANCTITATEM conferri, inter alios testantur a) BERNARDUS l. c. ; b) CLEMENS ALEXANDRINUS ; c) ORIGENES.

309. — III^a probatio. Ex ratione theologica. Juxta eloquia Scripturae et Patrum Deus (appropriative Spiritus sanctus) habitat in justo, justus est templum Spiritus sancti. Atqui haec effata aliter explicari nequeunt nisi dicendo effectus formales gratiae sanctifiantis esse eos qui modo sunt citati. Ergo. — *Prob. min.* His effatis exprimitur a) vel tantummodo Spiritum sanctum esse praesentem in anima justi, sine ullo alio superaddito, b) vel Spiritum sanctum uniri intrinsecus justo ; c) vel Spiritum sanctum esse praesentem in justo peculiari modo, nempe tamquam apud amicum et filium, adeoque intercedere specialem relationem inter Spiritum sanctum et justum. Atqui *primum* est insufficiens : sic enim nihil peculiare daretur justis, cum Deus per immensitatem sit praesens tum justis tum injustis ; *secundum* infert absurda, uti ostensum est in 2° argumento partis II^ae thesis XLVI^ae ; si *tertium* admittitur, exigitur in justo fundamentum relationis istius inhabitationis et amicitiae, illud autem fundamentum (quod est natura prius relatione in ipsa fundata) non aliud erit nisi consortium naturae divinae (amor enim similes invenit aut facit), quod fundat filiationem adoptivam. Ergo.

(1) FULG. *ad Monim.* III, 8. — (2) ANSELM. *In Rom.* VIII. — (3) CLEM. ALEX. *Cohort. ad gent.* c. IX, *Paedag.* I, 6 ; *Strom.* III, 10 ; IV, 18, 26 ; VI, 9, 14 ; VII, 1, 10, 11. — (4) BERN. *Serm.* LXXXIII, *in Cant.*

310. — **Scholion I^m.** Gratia sanctificans est principium conversionis supernaturalis hominis ad Deum, et principium conversionis Dei ad hominem : Patet quia est fundamentum duplicis relationis amicitiae. — Cum homo per peccatum lethale se avertit a Deo, rejicit a se gratiam uti haec est habitualis conversio ad Deum. Huic aversioni hominis a Deo respondet aversio Dei ab homine, vi cujus Deus subtrahit gratiam uti haec erat testimonium amoris divini seu consortium naturae divinae, seu principium ornativum animae.

Scholion II^m. « Praedicata multiplicia, ait Ripalda, tribuunt theologi gratiae habituali, ex sacris litteris, Patribus Ecclesiae et principiis theologicis... Quippe habitualis confertur cum Deo, cum virtutibus infusis, cum earum actibus, cum gloria et cum natura rationali, et ex varia cum his extremis collatione variae ejus perfectiones et excellentiae relucent. » — « Comparatione Dei dicitur participatio naturae divinae filiatio adoptiva et amicitia. — Comparatione virtutum infusarum, natura quaedam supernaturalis, quae radix sit universalis formaque virtutum. — Comparatione actuum moralium, dignitas et valor ipsorum. — Comparatione gloriae semen et jus haereditarium ad illam. Denique comparatione naturae rationalis, antonomastice gratia, justitia, vita, pulchritudo et mundities ab omni macula lethalis peccati » (1).

Scholion III^m. Quaeres discrimina inter adoptionem in filium a Deo factam, et adoptionem ab homine factam ?

Resp. a) Homo adoptat in filium quia sibi deest filius naturalis. — Deus vero, ut communicet bonitatem. — b) Homo adoptat extrinsecus tribuendo jus ad haereditatem ; Deus intrinsecus infundendo donum ad haereditatem disponens eamque exigens. — c) Homo non facit sed supponit similitudinem naturae in adoptato ; Deus hanc similitudinem facit. — d) adoptatus ab homine ei succedit in dominium bonorum ; adoptatus a Deo fruitur simul cum Deo iisdem bonis (Cfr. D. Th. III, q. XXIII, a. 12).

Scholion IV^m. Quaeres an gratia tribuat per se filiationem adoptivam homini, citra aliud beneficium ?

Resp. a) Juxta Ripalda (2) per gratiam justus habet dignitatem physicam et habilitatem naturalem ad gloriam, nullam exigentiam naturalem nec jus morale strictae justitiae ; — b) Juxta Bellarminum, justus habet jus ad gloriam tamquam ad haereditatem ; at non habet

(1) Rip. *De ente*, d. CXXXII ; s. 5, n. 76,77. — (2) D. CXXXII, n. 137.

jus tamquam ad mercedem, — nisi intercesserit Dei promissio ; c) juxta Suarez, jus per gratiam naturaliter exigit gloriam ; ut eam tamen actu accipiat, indiget novo favore, qui de potentia absoluta potest negari.

Scholion V^m^. Quaeres quaenam oppositio vigeat inter peccatum habituale et gratiam sanctificantem ?

Patet solutionem quaestionis pendere ab essentia peccati habitualis, seu illius in quo verificatur notio peccati generice sumpti, quod causatur a peccato actuali et quod, transacto peccato actuali, remanet in anima : a) Scotus, qui reponit essentiam peccati habitualis in passiva ordinatione ad poenam ex lege Dei, propter peccatum praeteritum, censet peccatum ex natura rei non repugnare cum gratia, sed tantum ex lege Dei qua nempe statutum est peccatum remissum iri ad praesentiam gratiae. b) Coninck, Salas et Lessius censent vigere oppositionem ex natura rei, non physicam sed moralem, fundatam in indecentia ut cum excellentia gratiae jungatur deformitas peccati. c) Qui tenent peccatum habituale esse privationem gratiae prout inducta est peccato habituali, censent dari oppositionem physicam ex natura rei inter gratiam et peccatum. Sic Vasq. (1), Suar. (2) qui censet id post Tridentinum negari non posse sine magna temeritate, et multi alii.

Sententia tenens vigere oppositionem physicam inter gratiam et peccatum est conformior Tridentino. Etenim a) ex Tridentino erui videtur peccatum habituale consistere in privatione gratiae. b) Juxta Tridentinum justificatio est translatio a statu peccati et aversionis a Deo, estque remissio peccatorum. Atqui juxta idem Concilium unica causa formalis justificationis est gratia sanctificans. Ergo gratia sanctificans ex natura sua remittit peccatum.

311. — Obj. Effectus formalis inest omni ei cui inest causa formalis. Atqui filiatio adoptiva non inest omni ei qui ornatur gratia. Christus enim Jesus recepit plenitudinem donorum sanctificantium. Atqui nefas est eum appellare filium adoptivum. Ergo.

Resp. Christus Jesus, cum sit filius Dei naturalis, habet eminenter omnem perfectionem quae in filio adoptivo, reperitur ; ista tamen perfectio non fuit ei collata per gratiam creatam, siquidem Christo competit ratione gratiae increatae, nempe hypostaseos divinae. Verum si defuisset filiatio naturalis, adoptiva fuisset collata per gratiam. —

(1) Vasq. In I^a^ II^ae^, d. xci, c. i ; d. cciv ; c. ii. — (2) Suar. *De gr.* VII, c. xii.

Porro nullum in his datur inconveniens. Gratia enim contulit humanitati Christi consortium (increatum) divinitatis, in quo situs est effectus formalis primarius gratiae ; per accidens factum est ut ex hoc effectu primario non secutus sit effectus secundarius. Quare *Dist. maj.* Effectus formalis *primarius* inest omni ei cui inest causa formalis, *Conc. ; secundarius*, *Subd. per se*, *Conc. ; per accidens* non potest deesse ob praesentiam majoris perfectionis, *Neg.*

ARTICULUS IV.

De distinctione gratiae et caritatis.

312. – In prima justificatione infunduntur, praeter gratiam habitualem, tres virtutes theologicae, habitus nempe operativi fidei, spei, caritatis. Hi habitus sunt principia causantia supernaturalitatem in actibus fidei, spei, caritatis. Fides et spes non amittuntur quolibet peccato lethali ; fides enim non amittitur nisi infidelitate, spes vero infidelitate et desperatione. Caritatis autem habitus amittitur quolibet peccato lethali, adeoque indivulse cohaeret cum gratia habituali.

Quaeritur utrum caritas et gratia realiter distinguantur an realiter identificentur, ita nempe ut idem habitus sit simul ornativus et operativus.

Sententiae. I^a negat realem distinctionem. Ei adhaerent Scotus, Alensis, Bonav., Andreas Vega, Bellarminus et alii bene multi.

II^a affirmat realem distinctionem. Ei adhaerent Angelicus (I^a II^ae, q. cx, a. 3), Cajetanus, Conradus, Capreolus, Medina, Soto, Valentia, Ripalda etc. — Quae sententia sic evolvitur : In ordine naturali dantur tria : natura seu substantia, potentia et actus. In ordine supernaturali elevatur tota anima, proinde essentia, potentia et actus. Jamvero a) essentia animae elevatur gratia sanctificante. Etenim elevari nequit unione cum substantia supernaturali tum quia haec repugnat, uti ostenditur in tract. de Deo creante, tum quia anima substantialiter mutaretur proindeque jam non esset anima humana, transiret ad aliam speciem : restat itaque ut elevatio fiat beneficio qualitatis supernaturalis animam afficientis et elevantis uti est substantia ; haec autem qualitas est gratia habitualis. b) Potentiae elevantur triplici virtute theologica, intellectus nempe habitu fidei, voluntas vero habitibus spei et caritatis. c) Actus elevantur auxilio supernaturali de quo in prima parte tractatus actum est.

313. — ARGUMENTA SENTENTIAE NEGANTIS REALEM DISTINCTIONEM :

1. *Ex Script.* Qui habitus habent eosdem effectus formales, hi non distinguuntur realiter. Atqui iidem sunt effectus formales gratiae et caritatis. Ergo. — *Prob. min.* Non sola gratia, sed etiam caritate, conferuntur : a) filiatio divina : « Omnis qui diligit, ex Deo natus est » (I Joh. IV, 7) ; — b) amicitia divina, dicente Christo : « Qui diligit me, diligetur a Patre meo » (Joh. XIV, 21) ; — c) sanctitas seu vita spiritualis : « Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte » (I Joh. III, 14) ; — d) inhabitatio Dei : « Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo » (I Joh. IV, 16). — Insuper caritas dicitur esse radix omnium operum bonorum haud secus ac gratia, siquidem Apostolus omnium fere virtutum actus adscribit caritati (I Cor. XIII). Denique caritas dicitur et ipsa semen vitae aeternae et salutis : « Coronam vitae repromisit diligentibus se » (Jac. I, 12).

2. *Ex Tridentino* in sess. VI, c. VII. Doni nomine quod in justificatione per Spiritum sanctum in cordibus diffunditur, eique inhaeret, intelligenda sane est gratia sanctificans ; porro illud idem donum a concilio vocatur caritas ; ergo gratia sanctificans et caritas non differunt realiter.

3. *Ex Augustino :* Asserit a) filios regni sola caritate dividi a filiis perditionis (1) ; b) justitiam esse caritatem (2).

314. — ARGUMENTA SENTENTIAE AFFIRMANTIS REALEM DISTINCTIONEM :

1. *Ex Script.* Scriptura diversis nominibus appellat gratiam et caritatem, et de illis loquitur ut de duabus rebus distinctis. Sic a) Paulus scribit « *gratia* D. N. J. C. et *caritas* Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis » (II Cor. XIII, 13). Tria dona distinguuntur, non modo termino, sed etiam causa efficienti. b) « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis » (Rom. V, 5). Profecto Spiritus sanctus realiter differt a caritate, uti causa diffundens a dono diffuso ; jamvero Spiritus sanctus qui datur non differt a gratia sanctificante. c) « Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione » (I Tim. I, 14).

2. Ex *Conciliis.* a) Viennense dicit baptizatis infundi gratiam et virtutes ad quas praecipue pertinet caritas et quae idcirco a gratia

(1) AUG. « Solum (donum caritatis) est, quod dividit inter filios regni aeterni et filios perditionis aeternae. L. XV *de Trin.* c. XVIII.

(2) Id. « Caritas inchoata, inchoata justitia est ; caritas provecta, provecta justitia est ; caritas magna, magna justitia est ; caritas perfecta, perfecta justitia est. » *De nat. et gr.* c. LXX, n. 84. — « Caritas est verissima, plenissima, perfectissima justitia. » Ib. c. XLII, n. 49.

distinguitur. b) Concilium Moguntinum, a° 1549 celebratum, c. VII, inquit : « Gratia cum venia peccatorum accipitur et per Spiritum sanctum cum fide caritas. » c) Trident. sess. VI, c. VII, ait: « Renovatio interioris hominis fit per voluntariam susceptionem gratiae et donorum ; » porro donorum nomine intelligit fidem, spem et caritatem. Sed concilia, ubi condunt definitiones dogmaticas, unum idemque non designant diversis nominibus.

Confirmatur Catechismo Romano (1). Descripta gratia justificationis qua anima in baptismo ornatur, subdit : « Huic additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia infunduntur, » porro cum caritas principem locum teneat inter omnes virtutes et cum virtutes dicantur addi gratiae sanctificanti, dicenda haec est realiter distingui a caritate.

3. *Rationibus theologicis.* a) Per gratiam sanctificantem nobilitatur tota anima : « Gratia, ait Catechismus Romanus (2), est divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit. » Atqui si gratia non distinguitur a caritate, residere dicenda est in voluntate. Ergo. — b) Gratia est consortium *naturae* divinae ; jamvero si non differt a caritate, dicenda est participatio *voluntatis* divinae. — c) Gratia repugnat cum peccato actuali ; caritas non repugnat. Repugnat nempe ut qui lethaliter peccat, sit justus, Dei amicus ; verum non repugnat ut instruatur habitu quo valeat elicere actus supernaturales caritatis. Patet quia actus caritatis non repugnat cum statu peccati ; ergo neque habitus uti est principium istius actus. — d) Virtus uniuscujusque rei supponit in eodem ordine aliquam naturam praeexsistentem ; itaque virtutes infusae praesupponunt naturam praeexsistentem ejusdem ordinis ; sed natura humana non est ejusdem ordinis ac virtus infusa, nisi per gratiam sanctificantem.

Ratio etiam sic ab Angelico proponitur : Gratia sanctificans se habet ad actus et virtutes supernaturales, sicut lumen rationis se habet ad actus et virtutes naturales. Atqui, ait s. Thomas, « lumen naturale rationis est aliquid praeter virtutes acquisitas, quae dicuntur in ordine ad ipsum lumen naturale » (Ia IIae. q. CX, a. 3). Ergo gratia sanctificans est distincta a virtutibus infusis.

315. — Conclusio. Neutrius sententiae argumenta videntur stringentia.

(1) P. II *de bapt.* c. XXXVIII et XXXIX. — (2) P. II, c. II, n. 5.

1. *Ad argumenta ex Script.* a) Ex eo quod gratiae et caritati tribuuntur effectus formales iidem, non sequitur earum realis identitas. Ratio est duplex : α) Caritas saepe sumitur pro eodem, etiam in sensu formali, ac gratia sanctificans. β) Caritas indivulse cohaeret cum gratia ; haec naturaliter prona est ad actus caritatis ; inter gratiam et caritatem viget major analogia quam inter gratiam et ceteras virtutes. Inde facile intelligitur utrique tribui effectus formales eosdem. — b) Contra diversitas nominum non prodit distinctionem realem gratiae et caritatis, siquidem plane explicatur distinctione rationis.

2. *Ad argumenta ex Conciliis* : a) Ex Synodo Tridentina nihil colligi posse pro alterutra sententia patet ex historia Concilii. Testatur enim Pallavicini [1] « adhibitam data opera fuisse a Patribus vocem, nunc gratiae, nunc caritatis, et interdum etiam utramque, velut in canone 11, ut se abstinerent Patres Tridentini ab ea declaratione, duaene an una eademque res illae forent. » — b) Ex Viennensi non petitur argumentum validius. Explicari enim potest dicendo distinctionem realem fidei et spei a gratia et a caritate, et usum connumerandi tres virtutes, fuisse rationem sufficientem asserendi gratiam et virtutes infundi baptizatis.

3. *Ad argumenta rationis :* a) Nonnulla argumenta supponunt distinctionem realem potentiarum et naturae ; si ista distinctio realis esset omnino certa, validiora essent argumenta. b) Perperam affirmatur virtutes infusas supponere et requirere naturam ejusdem ordinis, siquidem spes et fides manere possunt in anima sine gratia sanctificante. c) Fatendum tamen videtur per distinctionem realem gratiae et caritatis melius explicari quod gratia sit participatio naturae divinae recepta in natura humana.

CAPUT II.

De causis ad justificationem disponentibus.

§ 1. Status quaestionis.

316. — **Causae** praecipuae recensentur a Concilio Tridentino in sess. VI, c. VII.

De Causis intrinsecis: Cum gratia sit causa formalis justificationis, habet quidem causam materialem, non vero formalem. — Causa mate-

(1) Pallavicini : *Hist. Conc. Trid.* L. VIII, c. XII, n. 2.

rialis seu id ex cujus potentia educitur gratia, id quod informatur gratia, est anima. Per operationem enim divinam modificatur anima eique infunditur qualitas supernaturalis ad quam nullam aptitudinem naturalem habet, sed solam potentiam obedientialem.

De Causis extrinsecis. A. *Efficiens* alia est *physica*, alia est *moralis*. 1. Causa efficiens *physica :* a) *Principalis* est solus Deus. Nullum enim agens creatum valet efficere gratiam, siquidem non continetur in potentia naturali animae. b) *Instrumentalis* dicitur esse baptimus ab iis qui defendunt causalitatem physicam sacramentorum. — 2. Causa efficiens *moralis :* a) *Principalis* est Christus Jesus qui nobis meruit omnem gratiam per infinitam dignitatem personae suae divinae in humanitate subsistentis. b) *Instrumentalis* multiplex distinguitur, tum in Christo tum in homine : α) In *Christo Jesu :* Causa instrumentalis *primaria* est mors salvatoris seu sanguinis effusio, seu sacrificium crucis. Christus enim meruit, morte sua in ara crucis, redemptionem generis humani, restaurationem ordinis supernaturalis. — Causa instrumentalis *secundaria*, juxta eos qui defendunt causalitatem moralem sacramentorum sunt sacramenta, prouti nempe sunt actiones morales Christi Jesu. β) *In homine* causa instrumentalis sunt merita et dispositiones, quae vim suam meritoriam et dispositivam mutuantur ex gratia actuali a Deo collata propter merita Christi.

B. Causa *finalis* est duplex : *finis-cui* et *finis-qui :* 1. *Finis-cui* est homo. — 2. *Finis-qui* a) *proximus* est sanctificatio hominis ; b) *remotus* est gloria aeterna (Rom. VI. 22 ; I Pet. I. 9) ; c) *remotior* est gloria Christi (Eph. I, 14) ; d) *ultimus* est gloria Dei (Eph. I, 6).

Dispositio. Notio dispositionis naturalis tradita est in Iª parte, c. III, art. 2. — Heic agetur de dispositione supernaturali ad gratiae sanctificantis infusionem, sc. de aptitudine ad hanc gratiam recipiendam, acquisita per actus morales, liberos et supernaturales qui movent Deum ad gratiae infusionem.

317. — Quaestio. In prima parte ostensum fuit hominem non posse se disponere ad gratiam actualem et a fortiori ad gratiam sanctificantem per actus naturales moraliter bonos, sed gratiam esse prorsus gratuitam. — Heic inquiritur utrum *per actus elicitos ex auxilio gratiae actualis valeat et debeat se disponere ad gratiam sanctificantem*, seu utrum Deus statuerit se non infusurum esse gratiam adulto, nisi prius adultus certos actus elicuerit.

Gratia sanctificans primitus fuit collata Adamo ut communicaretur posteritati ipsius ; verum communicatio alligata fuit adimpletioni prae-

cepti divini de non comedendo fructu arboris scientiae boni et mali. Adam autem mandatum Dei transgressus amisit sibi et propagini sanctitatem. — Noluit Deus gratiam sanctificantem, cum praerogativis ei annexis, reddere hominum generi, nisi natura prius sibi satis factum fuisset ex rigore justitiae, h. e. nisi aliquis, ex eodem genere natus, sibi tantum honoris supernaturalis praestitisset, quantum injuriae sibi per peccatum fuerat irrogatum. Quaere necesse fuit Verbum fieri carnem, peccata hominum in se suscipere et pro iis satisfacere.

Porro Christus Jesus noluit ut gratia sanctificans restitueretur hominibus sine ulla actione ab iis effecta. Sed instituit ut ex auxilio gratiae, propter merita passionis gratuito collatae, homines certos actus supernaturales elicerent et per eos se disponerent ad infusionem justitiae. — Hoc enim manifeste constat multiplici testimonio Scripturae : a) Ezech. XVIII, 21 : « Si autem impius egerit paenitentiam... et custodierit omnia praecepta mea... vita vivet et non morietur. » b) Zach. I, 3 : « Convertimini ad me, et convertar ad vos. » — c) Luc. XIII, 5 : « Si paenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. » — d) Act. VIII, 22 : « Paenitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui. »

Quaeritur quinam sint hi actus supernaturales, qui requiruntur a Deo ad hoc ut gratia sanctificans infundatur adultis.

SENTENTIAE. Duae dantur sententiae :

318. — I^a est Novatorum. Constat sequentibus :

A. *Sola fides justificat* (1) h. e. ob solam fidem suam homo reputatur a Deo justus, seu ei imputatur extrinsecus justitia Christi.

Ex hoc dogmate fundamentali fluunt duo corollaria : a) Ut quis justus fiat et remaneat, nulla alia actio bona exigitur ut causa justificationis ; immo actualiter potest peccari, peccatum enim nullatenus opponitur justitiae. Inde invaluit effatum Lutheri : « esto peccator et pecca fortiter sed fortius fide et gaude in Christo qui victor est peccati. » Attamen nonnulli exigunt alios actus, non quidem ut causam justificationis, sed in signum verae fidei vel ex alia ratione. Sic Lutherus (2). Quare defendunt has propositiones apparenter contradictorias : « Fides, nisi

(1) Cum Protestantes non invenirent in Script. propositionem : « fides *sola* justificat » inseruerunt voculam « sola » in Rom. III, 28 : « Arbitramur enim justificari hominem per fidem *solam*, sine operibus ».

(2) LUTHERUS : « Scio has virtutes esse insignia Dei dona, scio fidem sine his donis non exsistere, sed nunc quaestio est quid cujusque proprium est... fides numquam est sola, affert secum caritatem et alia multiplicia dona, sed non ideo... quod solius fidei est, aliis tribuendum ».

sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificat, immo non est fides » ; et « Impossibile est fidem esse sine assiduis, multis et magnis operibus ». Attamen non ita exiguntur opera bona ut peccata bonis operibus admixta ostendant deesse justificationem. — b) Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato, sed ex opere operantis ; nempe excitant fidem et justitia confertur ob fidem. — Porro fides juxta plerosque ex novatoribus justificat « non quia ipsa sit opus per se dignum, sed tantum quia accipit misericordiam promissam » ([1]), vel, ut ait Calvinus, quia Christum affert ([2]).

B. Fides, quae justificat, inspicitur subjective et objective.

1. Fides, quae justificat, *subjective* inspecta, elicitur a voluntate et est actus *fiducialis*. Praesupponit quidem actum intellectus in revelata ; verum fides justificans non reponitur in hoc actu, sed in fiducia voluntatis ad hunc actum consequente. Sic Lutherus ([3]) ; Centuriatores ([4]).

2. De fide *objectiva :* A Novatoribus triplex fides distinguitur ratione objecti : fides promissionum, fides historica et fides miraculorum. — a) Fidei *promissionum* objectum sunt promissiones divinae de remissione peccatorum et de salute obtinenda per fidem ob merita Salvatoris. α) Aliae promissiones sunt generales factae nempe omnibus in Christum credentibus (confidentibus). In eas habetur fides *generalis*. β) Aliae sunt speciales, singulis nempe factae de propria peccatorum remissione et salute, ob imputatam sibi Christi justitiam. In eas habetur fides *specialis*. — Porro fide generali confiditur omnibus in Christo confidentibus promissam esse remissionem peccatorum ; fide speciali unusquisque in particulari credit et confidit hanc promissionem speciatim ad se quoque pertinere sibique esse factam. Fidem promissionum *specialium*, sine haesitatione conceptam, dicunt esse eam quae justificat, quia apprehendit et quasi manu stringit merita Christi, et justitiam ejus sibi applicat ([5]). — Nonnulli tamen fidei generali assignant pro objecto integrum verbum Dei revelatum, fidei speciali promissiones salutis per

---

([1]) *Apol. Confess. Aug.*

([2]) Rationem hujus rei affert Calvinus : « Si per se vel intrinseca virtute justificaret, ut est semper debilis et imperfecta, non efficeret hoc nisi ex parte : sic manca esset justitia, quae frustulum salutis nobis conferret. — Nos justificat Christum afferendo, sicut olla fictilis pecuniis referta hominem locupletat. »

([3]) Lutherus : « Fides est certa altissimeque animo insidens divinae bonitatis et gratiae per Verbum Dei cognitae atque manifestae fiducia. » *Serm. Dom. II. quadrag.*

([4]) Centuriatores : « Fides est fiducia misericordiae propter Christum. » *Cent.* I, l. I, c. IV, colum. 113.

([5]) Cfr. *Confess. Aug.* art. 4; Melancht. *loc. theol.* p. XCIII ; Calvin. l. III, *Inst.* c. II, § 2 etc. XI, § 7.

Christum. — b) Fidei *historicae* objectum sunt omnia ea quae Scripturis enarrantur. — c) Fides *miraculorum* est ea qua fiunt miracula. Itaque est potentia miraculi patrandi radicata in fiducia et in fide.

Juxta Novatores ad justificationem necessaria non est fides historica nec miraculorum. — Asserunt quidem fas non esse aliquid denegare ex iis quae Scripturis continentur ; verum addunt *solam fidem specialem promissionum conducere ad salutem.*

319. — II^a est Catholicorum. A. Catholici conveniunt de his tribus : 1. Ad justificationem adulti exigitur necessitate medii fides intellectualis. — 2 Verum fides non sufficit, h. e. per solam fidem non obtinetur justitia nec conservatur. — 3. Requiruntur alii quidam actus boni. Si agitur de justitia acquirenda, Tridentinum recenset processum consuetum justificationis, seu dispositiones induci solitas ab eo qui ad justitiam pervenit. Mens tamen concilii non est quod semper explicite elici debeant singulae dispositiones. — Sequentes enumerantur praeter fidem :

a) *Timor.* Explicite adest in justificatione per sacramentum cum quis de peccatis dolet ex metu gehennae ; implicite adest cum quis extra sacramentum justificatur actu caritatis : qui enim amat bonum, implicite timet ne illud non adipiscatur. — *Observa :* Juxta Augustinum (1) et Gregorium Magnum (2) homo se convertere volens timore solet imprimis incitari. Contra, juxta Lutherum peccator numquam melior fit timore, sed magis magisque a Deo avertitur Deumque odit.

b) *Spes.* Peccator, considerata Dei misericordia, sperat Deum sibi propter merita Christi propitium fore. — Implicita spes sufficit, ubi adest habitus spei ; an sufficiat in 1^a justificatione, affirmant Vega, uterque Sotus, Valentia, Vasquez, Torres, Ripalda ; negant Suarez aliique, praesertim quia fides explicita Dei remuneratoris secum fert, aiunt, spem explicitam.

c) *Caritas* qua Deus incipit diligi tamquam fons omnis justitiae. Ista caritas juxta Vasquez et Ripalda est caritas initialis ; juxta Suarez est dilectio generatim accommodata modo justificationis sive in sacramento, sive extra illud. — Extra sacramentum exigitur explicitus amor caritatis; in sacramento sufficit actus implicitus amoris concupiscentiae.

d) *Detestatio peccati.* In sacramento paenitentiae exigitur explicita

(1) Aug. « Rarissime accidit, immo fere numquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus qui non sit aliquo Dei timore perculsus. » *De Catech. rud.* c. v.

(2) Greg. M. « Prava mens, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emendatur. » *Hom.* xxxiv *in Evang.*

detestatio, siquidem est pars materiae ; extra sacramentum sufficit detestatio implicita in actu caritatis.

e) *Propositum* suscipiendi baptismum vel paenitentiam. In justificatione per sacramentum debet esse explicitum. Extra sacramentum sufficit propositum implicitum. — Propositum servandi Dei mandata, non debet esse explicitum.

Praeter has dispositiones dantur profecto et aliae remotius ad justificationem conducentes : oratio, eleemosyna, jejunium, opera misericordiae temporalis aut spiritualis.

Itaque si justitia extra sacramenta confertur, praeter fidem exigitur caritas perfecta. — Fides et caritas saepe vocantur fides informata, sine caritate dicitur fides informis. — Si justitia sacramentaliter confertur, exigitur attritio.

Si agitur *de justitia servanda*, non sufficit fides, sed exigitur observatio legis divinae.

B. Abeunt Catholici in sententias duas ubi inquirunt quodnam sit *objectum formale fidei* ad salutem necessariae.

1. Sententia communis exigit fidem *stricte talem* in supernaturaliter revelata a Deo. Fides stricte talis est ea quae pro objecto formali habet auctoritatem Dei revelantis, pro objecto materiali omnia a Deo revelata externa locutione. Attamen omnia non sunt explicite credenda, sed sufficit plerorumque fides implicita, quae nempe habetur in fide explicita sive circa motivum fidei (dicendo nempe : credo quidquid Deus revelavit), sive circa principium proponens (dicendo : credo quidquid proponit Ecclesia).

Si quaeritur a) circa quodnam objectum exigatur *fides explicita*, resp. : Ad primam justificationem adulti exigitur de necessitate medii fides explicita de Deo exsistente et remunerante ; itaque non sufficit fides implicita in voluntate Deo placendi. — Si agitur de justificatione fidelis peccatoris, juxta plures sufficit fides implicita in actu doloris et propositi ex motivis revelatione notis, et in susceptione sacramenti.

Si quaeritur b) utrum in sententia catholicorum habeatur fides et spes *de remissione peccatorum,* respondetur : α) Exigitur ut credantur omnia revelata ; proinde cum revelatum sit peccata remitti per contritionem perfectam et per sacramentum paenitentiae receptum a rite disposito, implicite saltem credenda est ista veritas. Quare qui recipit sacramentum paenitentiae, implicite credit peccata sua remissum iri, si sacramentum valide confertur et si illud rite dispositus recipit. Verum nec exigitur, nec de facto exsistit actus absolutus fidei in remissionem

peccatorum propriorum. β) Exigitur spes supra omnia certa in remissionem peccatorum propter merita Christi ; verum ista spes iterum non est absoluta, sed conditionata, dummodo nempe sperans ex parte sui nihil requisitum omittat, dum dispositiones necessarias cum auxilio gratiae inducat.

2. Pauci catholici existimant exigi et sufficere fidem late talem, ubi non pervenit notitia revelationis supernaturalis. Hi non explicant omnes eodem modo fidem latam : a) Vega docet notitiam Dei ejusque bonitatis et honestatis virtutis ex revelatione naturali seu ex creaturis haustam sufficere ad salutem, neque videtur exigere auxilium gratiae ad hanc notitiam ([1]). — b) Soto in Iª edit. operis *de natura et gratia* sufficere autumat notitiam Dei et honestatis virtutis ex creaturis comparatam, exigit tamen auxilium gratiae voluntati immissum quo homo se disponat ad justificationem ([2]). Hanc sententiam retractavit Soto, si fides sit Suarezio ([3]). — c) Nonnulli auctores suam fecerunt sententiam a Ripalda propositam et argumentis munitam ([4]). Haec autem sententia autumat sufficere cognitionem supernaturalem de Deo aut de re honesta ob locutionem internam quae inspiratio aut vocatio appellari solet ; hac vero locutione interna Deus mentem alloquitur, interius mentem erudit absque voce exterius sonante, ut ait Augustinus. Ista fides includit animum paratum ad obediendum omnibus praeceptis divinis proindeque ad credendum quidquid Deus revelavit, ubi innotuerit ; itaque includit fidem stricte talem in voto. Patet inter locutionem Dei internam et locutionem externam, quae est de objecto formali fidei stricte talis, illud dari discrimen, quod locutio Dei externa, non vero locutio interna, cognoscitur a Deo procedere et confirmari miraculis. — Hanc sententiam ipse Ripalda auctoritate theologorum motus habet ut temerariam ([5]).

In tractatu de fide demonstratur a) fidem esse necessariam necessitate medii ad justificationem et ad salutem ; b) fidem hanc salutarem pro objecto formali habere auctoritatem Dei revelantis, adeoque esse fidem stricte talem ; c) eamdem fidem pro objecto materiali habere omnia supernaturaliter a Deo revelata, propriam autem justificationem aut praedestinationem non esse credibilem motivo fidei nisi speciali et privata revelatione innotuerint. In eodem tractatu examinatur quaenam

---

([1]) Vega. l. VI in *Conc. Trid.* cc. xvii-xxi. — ([2]) Soto. L. I, c. xi. — ([3]) Suarez. d. XII, s. ii, n. 5. — ([4]) Cfr. *De fide*, d. XVII. s. xiii ; *De ente*, d. XX. nn. 52 sq. et nn. 113 sq. — ([5]) *De fide*, d. XVII, s. xiii, n. 214 ; *De ente*, d. XX, nn. 52 sq. et nn. 113 sq.

revelata sint credenda fide explicita, de quibusnam vero sufficiat fides implicita.

In praesenti tractatu demonstrandum assumitur ad justificationem et ad salutem non sufficere fidem, sed praeterea exigi alios quosdam motus bonos. Quinam vero sint hi motus boni examinatur in aliis tractatibus, speciatim ubi agitur de sacramentis. Non sufficere fidem, sed exigi alios motus bonos est de fide definita ex Trid. sess. VI, can. 9. (Cfr. can. 12, 13, 14, 29).

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS XLVIII[a]. — Ad justificationem consequendam et retinendam fides supernaturalis non sufficit, sed requiruntur insuper alii motus boni.

320. — I[a] probatio. Ex Scripturis. I[m] Arg. Petitur ex iis locis ubi justificatio adscribitur operibus a fide diversis. Praecipua sunt ea quibus timor Domini, spes, eleemosyna, opera bona dicuntur conferre gratiam haud secus ac fides : α) « Timor Domini expellit peccatum » (Eccl. I, 27) ; « Timor Domini fons vitae » (Prov. XIV, 27) ; β) « Spe enim salvi facti sumus » (Rom. VIII, 24) ; γ) « Si autem impius egerit paenitentiam.... et custodierit omnia praecepta mea.... vita vivet et non morietur » (Ezech. XVIII, 21) ; δ) « Eleemosyna a morte liberat et ipsa est quae purgat peccata » (Tob. XII, 9) ; ε) « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum » (Luc. VII, 47) ; « Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo... Quapropter si esca scandalizat fratrem, non manducabo carnem in aeternum » (I Cor. VIII, 2, 3, 13).

Ex his locis sic arguitur : Justificatio adscribitur timori Dei, spei, paenitentiae, observationi legis Dei, eleemosynae. Ergo falsum est id quod affirmant Novatores, omnia in ordine salutari adscribenda esse soli fidei. Praeterea colligitur ex iisdem locis falsum esse umquam sufficere fidem ad justitiam et salutem consequendas. Ex iis enim quae in tractatu de fide probantur ex Hebr. XI, 6 ; Rom. I, 16, 17 ; ib. III, 28 ; ib. IV, 2, 5, 9 ; Marc. XVI, 16 ; Joh. III, 11-21 et 32-36 ; manifeste constat fidem esse absolute necessariam ad justitiam et salutem consequendas, adeo ut sine fide nullum ex praefatis operibus conducat ad salutem. Atqui si haec fides, quae est necessaria, praeterea sufficeret, jam nullum influxum in ordine salutari exercere valerent timor Dei, spes, eleemo-

syna, paenitentia, observatio Dei legis. Ergo falsum est fidem sufficere.

OBSERVA. Optime conciliantur inter se diversi loci Scripturae quorum alii quidem attribuunt justificationem fidei, nulla facta explicite mentione operum, alii vero operibus bonis, nulla facta diserta mentione fidei. Ex his enim locis colligitur exigi tum fidem tum opus bonum, ac subinde cum justificatio attribuitur fidei, includi opera bona, cum attribuitur operibus, supponi fidem.

II^m Arg. Petitur ex iis Scripturae locis ubi disertis verbis affirmatur non sufficere fidem ad hoc ut quis justus fiat et salvet animam, sed praeterea exigi opera bona.

1. Jacobus manifeste hanc doctrinam proponit in epistola catholica, II, 14-26 : « Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?... fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis : tu fidem habes et ego opera habeo : ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est Deus : bene facis : et daemones credunt et contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est ? Abraham, pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare ? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius et ex operibus fides consummata est. Et suppleta est Scriptura dicens : Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum » (1). — Ipse Lutherus agnovit doctrinae suae penitus adversari s. Jacobi epistolam, quam adeo contempsit, ut eam contentiosam, tumidam, aridam et stramineam vocaret, et s. Jacobo omnino abjudicaret. Postea tamen Lutherani epistolam Jacobi libris canonicis adnumeraverunt.

2. Christus a) apud Luc. XIII, 5, ait : « Si paenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis » ; — b) apud Matth. VII, 21, inquit : « Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine (id est, non omnis qui me Dominum suum et Redemptorem suum agnoscit et profitetur) intrabit

(1) « Ad hunc locum Jacobi notasse expedit non paucos fideles existimasse solam fidem justificare, eosque eo sensu intellexisse verba Pauli ad Rom : « Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis... Si enim Abraham ex operibus justificatus est ; habet gloriam non apud Deum... Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiae Dei » (Rom. III, 28 ; IV, 2, 5). — Jacobus autem pro fine habuit docere fideles non solam fidem justificare.

in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est ipse intrabit in regnum caelorum. » Unde sic : Juxta Christum observantia mandatorum et paenitentia necessariae sunt ad consequendam salutem. Atqui haec necessaria non essent, si fides sola justificaret ; si enim fides sufficit, nec observatio affectiva in voto exigitur ad primam justificationem, nec observatio effectiva ad eam retinendam.

3. Paulus pluries insufficientiam fidei inculcat : a) Rom. II, 13. sq. Judaei non justificantur qui legem Dei audiunt ac divinam esse credunt, sed qui eam observant seu firmum fovent propositum eam observandi quotiescumque urget ejus observantia. Pariter Gentiles non placent Deo, nisi legem naturalem observent. Ergo in oeconomia N. L. non sufficit fides. Patet consequentia, tum quia Paulus nullatenus excludit Christianos a lege hactenus generali exigente legis observationem, tum quia in oeconomia N. L. exigitur major perfectio quam in V. L., adeoque major sanctitas morum. — b) In I Cor. XIII, 2, Paulus scribit : « Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum ». Alludit Paulus ad promissionem Christi apud Matth. XVII, 19 dicentis : « Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit etc. » Unde : Testatur Paulus fidem seu fiduciam in promissionem vere a Christo factam utut magnam nihil prodesse animae, deficiente caritate. — c) Ad Gal. V, 6, legitur : « In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur. » In Christo Jesu, nempe in Christianismo, ad salutem non confert quod quis circumcisus sit, aut non circumcisus, sed fides in Christum non sola, nec otiosa, sed quae caritate perficitur, et per caritatem operatur, id est, quae praecepta servat et pia facit opera.

4. Petrus asserit non solam fidem, sed fidem vivam cum caritate et operibus conjunctam, justificare et salvare ; ait enim : « Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Haec enim si vobiscum adsint et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in D. N. J. C. cognitione. Cui enim non praesto sunt haec, caecus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis » (II ep. I, 5 sq.). Ergo ad justitiam et salutem non sufficit fides de remissis sibi propter merita Christi peccatis, sed cum

fide actus virtutum et bona opera conjungi debent, ut vera justitia et salus aeterna obtineantur.

5. Johannes ait : « Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est » (I ep. III, 7). Ergo non sufficit fidem in merita Christi concipere, sed oportet facere justitiam, sensus legi conformes habere et bona opera perficere, ut justificatio obtineatur.

321. — II^a probatio. Ex Traditione. I^m Arg. Ex Conciliis. Per solam fidem non acquiri justificationem, nec conservari, diserte testantur a) Moguntiacum a° 813 (1) ; b) Senonense seu Parisiense (2) ; c) Tridentinum sess. VI, c. VII : « Fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit ; qua ratione verissime dicitur : (Jac. II) fidem sine operibus mortuam et otiosam esse : et in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque praeputium, sed fidem, quae per caritatem operatur. » Et can. 9 : « Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, A. S. »

II^m Arg. Ex Patribus. Juxta Patres justitia non acquiritur sine caritate aut paenitentia ; non servatur sine observatione Dei legis et sine operibus. Ergo eorum judicio fides sola non confert nec servat justitiam.

Prob. ant. Sic loquuntur: a) Ign. M. (3); b) Clem. Rom. (4); c) Just. Mart. (5);

---

(1) Mogunt. « Initium actionis nostrae de fide esse decrevimus, quae bonorum omnium est fundamentum, quia sine fide Deo placere non possumus : fides tamen indiget opere, quia fides sine operibus mortua est. Unde Gregorius ait : Ille vere credit, qui exercet operando quod credit. »

(2) Senonense : « Non justificat sola fides, sed magis caritas, nec quaevis opera peccata sunt, sed eatenus adultis ad salutem necessaria, ut meriti quoque rationem non respuant. »

(3) Ign. M. « Fides autem vestra vos sursum trahit; caritas vero via est, quae deducit ad Deum. » *Ep. ad Eph.* c. IX.

(4) Clem. Rom. « In operibus, non in verbis justi fiamus. » *Ep.* I *ad Cor.* c. XXX. « Videmus omnes justos bonis operibus ornatos fuisse ; quare cum hoc mandatum habemus, ex omnibus viribus opus justitiae operemus. » Ib. c. XXXIII. « Beati sumus, dilecti, si praecepta Domini in caritatis concordia impleverimus, ut per caritatem peccata nostra nobis remittantur. » Ib. c. L.

(5) Just. Mart. « Si de peccatis vestris doleatis, ipsum quem crucifixistis ut Christum agnoscatis et mandata ipsius observetis, veniam peccatorum vestrorum consequemini. » *Dial. cum Tryph.* n. 95. « Si paenitentiam agant, licet omnibus, quicumque voluerint, misericordiam a Deo consequi ; eosque beatos Scriptura praedicat his verbis : Beatus, cui non imputavit Deus peccatum. » Ib. 141.

d) Iren. ([1]); e) Naz. ([2]); f) Cyril. Alex. ([3]); g) Ephrem. ([4]); h) Orig. ([5]); i) Chrys. ([6]); j) Hieronymus propugnat insufficientiam fidei adversus haereticos qui Protestantismum praeformasse videntur ([7]).

Demum Augustinus aperte dicit fidem sine caritate esse plene inutilem ([8]).

([1]) Iren. « Sicut qui in melius profuerit et fructum operatus fuerit Spiritus, omni modo salvatur propter Spiritus communionem; sic et is, qui remanserit in carnis operationibus, carnalis vere deputatus, eo quod non assumat Spiritum Dei, regnum non poterit possidere caelorum. In quibus igitur periebamus membris, operantes ea quae sunt corruptelae, in iisdem ipsis vivificamur operantes ea, quae sunt Spiritus. » L. V. *adv. Haer.* c. xi.

([2]) Naz. « Super dogmatum fundamenta bona opera extrue ; quandoquidem fides sine operibus mortua est, quemadmodum et opera si fides absit. » *Or.* xl, n. 45.

([3]) Cyr. Alex. « Neque, o homo, dixeris tecum ipse : Dives sum fide, agnovi eum qui natura vereque Deus est et Dominus; explicui me a diaboli-retibus et daemoniaca fraude, purgavi crimina idololatriae; licet mihi tute de benevolentia Dei gloriari. Memineris nempe dicentis : « Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? numquid poterit fides salvare eum ? » *Hom. Pasch.* xi.

([4]) Ephrem : « Quemadmodum corpus virtute vitali animae vegetatur, sic ipsa etiam anima, quantumvis bene valere videatur, absque operibus tamen mortua est; operibus namque ex fide manantibus ejus constat vita. » *Serm.* lxxx *adv. Scrut.*

([5]) Origenes : « Qui profitentur quidem fidem in Jesum, non autem praeparant se bonis operibus ad salutem, assimilantur virginibus fatuis. » *Tract.* xxxii *in Matth.*

([6]) Chrysos. « Nisi vitam fide nostra dignam ducamus, extremas dabimus poenas. » — *Hom.* lxiv, n. 4. « Num ergo sufficit, inquies, in Filium credere, ut vita aeterna habeatur ? nequaquam. Audi Christum hoc ipsum declarantem his verbis : « Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, » et blasphemia in Spiritum sufficit ut in gehennam quis detrudatur. Et quid dico de parte dogmatis ? Nam etsi quis recte credat in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, si recte non vivat, nihil ipsi fides proderit ad salutem. Ergo quando dicit : « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, » ne putemus in nobis ad salutem satis esse; opus namque nobis est et vitae et morum instituto probo. Etsi hic dixerit : « Qui credit in Filium, habet vitam aeternam »... attamen non hinc inferimus, solam fidem ad salutem esse satis quod probatur ex dictis evangelicis frequentibus bonam vitam spectantibus. » *Hom.* xxx, n. 1.

([7]) Hieron. « Frustra nobis in eo plaudimus, cujus mandata non facimus. Scienti bonum et non facienti illud, peccatum est. Quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic et fides sine operibus mortua est. Nec grande putemus unum Deum nosse, cum et daemones credant et contremiscant. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit et ipse ambulare. » L. II, *cont. Jovin,* c. 1. — « Haeretici, cum viderint aliquos delinquentes ; aiunt : Nihil aliud quaerit Deus nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis. Haec enim dicentes, in iniquitatibus eorum sublevant animas eorum, ut non solum non agant paenitentiam, nec humilientur, sed gaudeant in sceleribus suis et erecta cervice gradiantur. Unde et populus et sacerdos, et hi qui docti sunt, et hi qui docuerunt, pari judicio constringentur. » *Comment. in Osea,* c. iv, 7. — « Promittunt eis pacem et regna caelestia et dicunt : Non necesse est ut vivas continenter et sancte; habeto fidem quam docemus, et omnia promissa Domini consequeris : quae loquentes magis adversum eos iram Dei concitant. » *Comm. in Mich.* c. iii, 5.

([8]) August. « Discernenda est fides nostra a fide daemonum. Fides enim nostra mundat cor ; fides autem illorum reos facit... Non est talis fides, quae mundat cor. « Fide inquit, mundans corda eorum. » Sed qua fide, quali fide, nisi quam definit Apostolus, ubi ait : Fides quae per dilectionem operatur. » *Serm.* liii, c. x, n. 11. — « Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt ; et « fides, inquit, quae per dilectionem operatur. » Unde illam fidem, quae sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat : « Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. » *De fide et op.* c. xiv. — « Sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse. » L. XV *de Trin.* c. xviii, n. 32.

III^m. Arg. *Ex consensu schismaticorum.* Graecos consentire cum catholicis patet ex concilio Hierosolymitano ubi schismatici a° 1672, doctrina novatorum examinata, canone 13 aiunt : « Credimus non sola fide, sed ea tantum quae per caritatem operatur, id est, fide atque operibus, hominem justificari. Quod vero Christi justitiam fides instar manus apprehendat, nobisque pro adeptione salutis applicet, ab omni pietate longissime esse censemus. Quinimmo fidem in nobis exsistentem, operibus justificare nos per Christum credimus. »

322. — III^a probatio. Ex ratione theologica. 1. Illa doctrina non est a Christo revelata, quae perfectionem moralem a Christo praeceptam impedit et tollit, nedum promoveat. Atqui talis est doctrina Lutheri qua fides ad justitiam acquirendam et conservandam, ita sufficit ut homo de sua justificatione et salute certus reddatur, nulla facienda habeat opera bona, immo peccatis non excludatur ab ea. — 2. Juxta verba Christi « angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam » (Matth. VII, 14) ; « Regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud » (Matth. XI, 12). Atqui haec nequeunt conciliari cum doctrina novatorum.

323. — Scholion I^m. Quaeres quonam sensu sit vera, et quonam sit falsa, haec propositio : *Sola fides justificat ?*

Resp. 1. VERA est duplici sensu : a) Sola fides *radicaliter* justificat, h. e. sola fides, exclusis operibus naturae et operibus praescriptis lege mosaica, est radix et fundamentum justificationis, via solius fidei ad justitiam pervenitur. Etenim α) sola revelatione cognoscuntur media, quibus adhibitis, justitia acquiritur, adeoque ob solam fidem adhibentur ista media. β) Processus justificationis incipit a fide, quatenus nempe prima gratia intrinsecus supernaturalis est excitativa fidei, primus actus vere salutaris, et remote disponens ad justitiam, est actus fidei. — b) Fides *practica*, seu constans ex fide proprie dicta et variis operibus quae cognoscuntur revelatione esse requisita ad adeptionem justitiae, confert gratiam extra sacramentum aut ad eam disponit proxime in sacramento.

2. *Falsum* est solam fidem justificare, si hac propositione significatur a) sacramenta non conferre gratiam ; b) alios actus bonos non mereri posse gratiam ; c) fidem nude sumptam sufficere ad acquirendam gratiam. — Primum horum trium constat ex probatis in tractatu de sacramentis in genere. — Secundum et tertium, constant ex modo probatis.

324. — Scholion II^m. Judaei tempore Pauli affirmabant opera legis mosaicae requiri et sufficere ad justitiam internam recipiendam, hanc

justitiam deberi hisce operibus, adeoque opera legis stricte mereri gratiam justificationis. Cum autem opera legis, qua talia, essent subjective naturalia, (Cfr. Rom. IV, 14, 16; VI, 14 seq.; Gal. III, 12), inde merito infert Apostolus opera legis non conferre nisi justitiam vacuam, inanem, secundum carnem. — Judaizantes requirebant opera legis (seu adimpletionem legis mosaicae) et fidem. Eos exegisse opera legis manifestum est, quia volebant ut Christiani circumciderentur, Petro et Barnabae injiciebant metum ut simularent legis observationem, dicebant circumcisionem a Paulo praedicari. (Gal. V, 11). — Non constat judaizantes, si tamen excipiuntur Ebionitae, negasse necessitatem fidei in Christum ad justitiam acquirendam. Attamen doctrinam et religionem christianam omnino corrumpebant, ideoque a Paulo impugnabantur haud secus ac Judaei.

Scholion III^m^. Paulus ad Romanos scribens totus est in eo ut ostendat gratiam fidei esse gratuitam, justitiam evangelicam dari credentibus seu esse praemium fidei. — Dicendo *fidem esse gratuitam*, certo excludit Paulus necessitatem et meritum operum legis mosaicae, de quibus principaliter sermonem instituit ; praeterea potuisset excludere et excludit fortassis (ita enim interpretatur Augustinus) opera quae praecedunt fidem, quatenus nec merentur gratiam nec ad eam disponunt positive. — Dicendo *justitiam dari credentibus* nullatenus asserit fidem nude sumptam esse causam meritoriam justificationis aut proximam dispositionem ad justificationem ; sed vel asserit fidem esse radicem justificationis, seu primam et remotam dispositionem ad justificationem assequendam ; vel asserit quidem fidem esse dispositionem proximam ad justitiam, verum intelligit fidem *practicam* seu conjunctam cum variis operibus quae revelatione et proinde fide cognoscuntur esse requisita ut obtineatur et conservetur justitia. Haec opera, fidem reddentia practicam, sunt attritio, caritas, observatio legis divinae prout justitia conservatur aut acquiritur intra vel extra sacramenta. — Nihil obstare quin dicatur fidem in revelata traduci a Paulo veluti dispositionem remotam, licet nulla fiat mentio dispositionum propinquiorum, manifestum est quia assuetum est Scripturis effectum annectere causae remotae et dona a Deo collata annectere dispositionibus remotis, nulla facta in eodem loco mentione causarum intermediarum aut dispositionum propinquiorum. Poro talem esse reapse mentem Pauli liquido constat quadrupliciter : a) Opera bona, uti a fide distinguuntur, dicit esse causas justificationis. (Rom. VIII, 6-10 ; XIII, 2-4 ; I Cor. VIII, 2, 3). — b) Adscribitur quidem justificatio fidei per caritatem operanti : « Nam in Christo Jesu

nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed fides quae per caritatem operatur » (Gal. v ; 4) ; verum denegatur fidei sine caritate : « Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. » (I Cor. XIII, 2). — c) Inutilitatem operum legis ad justitiam comparandam probat Paulus exemplo Abrahae, qui pater est omnium eorum qui credunt et gratiam adipiscuntur. Ex eo quod Abraham justificatus est ante institutionem circumcisionis et legis, concludit Paulus opera legis non profuisse ei ad justitiam, sed solam fidem : « Credidit et reputatum est illi ad justitiam. » Verum fides Abrahae non fuit mortua ; ob fidem enim paratum se ostendit ad immolandum filium suum, Deo id jubente ; quare justificatus est fide practica. Haec proin est fides qua justificatur semen spirituale Abrahae. — d) Ita manifeste intelligitur Paulus ab Augustino ([1]).

Ex his patet quomodo explicandi sint loci s. Pauli e quibus constare aiunt Protestantes solam fidem exigi ad justificationem. Praecipui hi sunt : a) Rom. I, 16, 17 : « Non enim erubesco Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judaeo primum et Graeco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem sicut scriptum est (Hab. II, 4) : Justus autem ex fide vivit. » b) Rom. III, 28 : « Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. » c) Ib. IV. 2, 5, 9-13 : « Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum... Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam, secundum propositum gratiae Dei... Dicimus enim quia reputata est Abrahae fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est ? In circumcisione an in praeputio ? Non in circumcisione, sed in praeputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiae fidei quae est in praeputio, ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur et illis ad justitiam, et sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quae est in praeputio patris nostri Abrahae. Non enim per legem promissio Abrahae, aut semini ejus, ut haeres esset mundi, sed per justitiam fidei. » d) Rom. V, 1 : « Justificati ergo ex

([1]) AUGUST. « Homines autem non intelligentes quod ait ipse Apostolus : « Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis, » putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etiamsi male vivat et bona opera non habeat ; quod absit, ut sentiret vas electionis, qui cum dixisset quodam loco : « In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, » mox addidit : « Sed fides quae per dilectionem operatur. » Ipsa est fides quae fideles Dei separat ab immundis daemonibus... Non ergo habent istam fidem ex qua justus vivit, id est quae per dilectionem operatur, ut reddat ei Deus vitam aeternam secundum opera ejus. » *De gr. et lib. arb.* c. VII, M. XLIV, 892.

fide, pacem habeamus. » e) Gal. II, 16 : « Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem J. C. et nos in C. J. credimus, ut justificemur ex fide Christi et non ex operibus legis ; propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. »

Scholion IV^{m}. Penitius investiganda sunt, ob peculiarem difficultatem ex eis petitam, ea quae scribit Apostolus de Abraha, uti est exemplar justificationis Judaeorum. Abraham exhibetur a Paulo ut exemplar justificationis Judaeorum et Gentilium (Rom. IV, 11, 12). Jamvero « Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam » (IV, 3) ; itaque justitia ei non est concessa ex circumcisione seu ex operibus legis ; contra enim circumcisio fuit signum justitiae jam acceptae (IV, 10, 11). Quamobrem concludit Paulus judaeos et gentiles justificari ex fide.

Ad quem locum haec annotare expedit :

a) Verba a Paulo citata IV, 3 : « Credidit Abraham etc. » sumuntur ex Gen. XV, 6. Ibi autem legitur Abraham credidisse Deo promittenti ipsi numerosissimam posteritatem et possessionem terrae Amorrhaeorum. Fides in Deum promittentem numerosissimas soboles ardua erat, quia scilicet Abraham tunc natus centum annos carebat prole et Sarai ejus uxor erat sterilis. Ob fidem suam in Deum dicitur esse justificatus. — Verum antea jam apparuerat Deus Abrahae, promiserat ei filium ex quo oritura erat magna gens et in quo benedicendae erant omnes gentes ; et praeterea jusserat eum egredi ex terra sua et transire in terram a Deo monstrandam (Gen. XII). Profecto jam tunc justificatus fuit Abraham ob fidem et egregias dispositiones ; itaque probabiliter accepit augmentum justificationis, cum fidem iterum adhibuit Deo sub apparitione Genesis c. XV. — Nihilominus haec verba Gen. XV, 6 afferuntur a Paulo ad ostendendam omnem justificationem esse ex fide. Quare dicendus est Paulus pro more suo complere ea quae in V. L. sunt lata, ita nempe ut quae leguntur de augmento justificationis, sint etiam dicenda de justificatione prima.

b) Cum Paulus c. IV ad Rom. dicit justificationem attribuendam esse fidei, negat quidem, pro scopo principali epistolae, opera legis mosaicae et opera gentilium conducere ad justificationem ; verum non affirmat solam fidem, sine operibus ex fide factis, sufficere ad justitiam (hoc enim alibi aperte negat) ; quare vel affirmat tantum fidem esse radicem justificationis (negando hanc radicem inveniri in operibus legis et gentilium), vel, si loquitur de dispositione proxima ad justitiam, intelligit fidem *practicam*, qualis erat fides Abrahae, quippe qui ubique legitur perfecte devotus Dei et ad unguem exsequens ejus mandata.

c) Abraham aliud augmentum accepit, cum, praecipiente Deo, in eo fuit ut immolaret filium suum Isaac. De hoc augmento intelligenda sunt verba Jacobi : « Abraham, pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac, filium suum, super altare » (II, 21).

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

325. — CONTRA II^m PARTEM. Obj. 1°. Jacobus loquitur de justificatione impii *coram hominibus,* dicitque eam fieri ex operibus, quatenus haec fidem exterius manifestant. Ergo inane est argumentum e Jacobo petitum ad ostendendum justificationem in oculis Dei non fieri sola fide. — *Prob. ant.* a) In eadem ep. c. II, v. 18 ait : « Ostendam tibi ex operibus fidem meam. » b) Ib. v. 21 dicit Abraham fuisse justificatum per oblationem filii sui Isaac ; atqui id intelligi debet de justificatione coram hominibus, nam coram Deo jam diu justificatus fuerat Abraham (Gen. XV, 6).

Resp. *Neg. ant.* Ex initio hujus loci (v. 14), ex medio (17) et ex fine (24) manifestum est agi de justificatione interna coram Deo. Frustra probare conantur Novatores ex v. 18 agi de justificatione exterius manifestata hominibus per opera bona. Jacobus enim v. 18 ostendit quid ab unoquoque objici possit ei qui « fidem dicat se habere, opera autem non habeat » (v. 14). Hic nempe est sensus v. 18 : « Gloriaris quod fidem habeas, licet opera non cures ; verum poterit aliquis hoc modo derisorie te compellare : tu fidem te habere dicis, ego autem opera habeo. Ostende mihi quaeso, si potes, fidem tuam sine operibus ; ego vero ostendam tibi fidem meam ex operibus meis. » Quare hoc versu ostendit fidem sine operibus ab hominibus non haberi velut fidem veram nec seriam ; versibus 14, 17, 24 asserit hanc fidem in se et coram Deo esse inutilem [1] — Quod addit Jacobus de Abraham, intelligendum est non de prima justificatione, sed de secunda, sc. de augmento gratiae sanctificantis, quod Abraham merito obedientiae consecutus est. Eodem enim modo fit secunda justificatio, ac prima, sc. per fidem conjunctam cum bonis operibus.

Obj. 2°. Aliae Scripturae solius fidei meminerunt cum de justificatione et remissione peccatorum loquuntur. Sic : a) Christus dicit apud Matth. IX, 22 et Luc. VII, 50 : « Fides tua te salvam fecit », et apud Luc. VIII, 50 : « Crede tantum et salva eris » ; b) Johannes I, 12 : « Dedit

(1) Cfr. cl. LIAGRE : *Interpret. ep cath. S. Jacobi.*

eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus », et III, 36 : « Qui credit in Filium habet vitam aeternam ; c) in Act. Apost. VIII, 37, Philippus eunucho ait : « Si credis ex toto corde, licet ».

Resp. a) Apud Matth. IX et Luc. VIII, non est sermo de justificatione, sed de sanatione mulieris a fluxu sanguinis et de resuscitatione puellae defunctae. Miraculorum autem Christi finis proximus erat exercere caritatem erga miseros ad ipsum cum fiducia recurrentes ; finis remotus vero erat comprobare divinitatem suam et suam missionem. Nullo autem exemplo ostendi potest Christum peccatores ob solam fidem seu fiduciam in ejus merita justificasse, neque alias dispositiones requisivisse. — b) Apud Lucam VII, 50 sermo est de muliere peccatrice, quae justificata fuit ; dixit ei quidem Christus : « Fides tua te salvam fecit », at idem Christus v. 47 dixerat : « Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum » ; igitur non sola et nuda fides, sed fides quae per caritatem operabatur, eam salvam fecit. — c) Sensus Joh. I, 12 et III, 36 hic est : « Credenti debito modo, seu fidem habenti practicam, servanti ea quae praescribuntur lege divina per revelationem cognita, dabitur justitia et vita aeterna ». Secus enim manifesta contradictio daretur in Evangeliis, cum Christus ipse dicat : « Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum ; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum ». — d) Quoad eunuchum, protestantes nullatenus probant eum fuisse justificatum credendo aut confidendo sine dubitatione sibi propter merita Christi remissa esse peccata. Profecto Philippus ipsi ea, quae fide dogmatica explicite sunt credenda, declaravit et mentis assensum in mysteria exegit, voluitque fidem cum spe et caritate esse conjunctam ([1]).

Obj. 3°. Juxta Paulum sola fides justificat. Paulus in epistola ad Romanos pro scopo habet tradere causas ad justitiam disponentes ; dicit autem fidem disponere, de omni opere tacet. Atqui haec agendi ratio ostendit juxta Paulum solam fidem justificare. Ergo.

Resp. *Dist 1ª pars maj.* Paulus intendit tradere omnes causas, *remotas et proximas, Neg. ; radicem, Conc.* — *Dist. 2ª pars maj.* Dicit fidem *radicaliter* disponere, *Conc. ; proxime, Subd.* fidem *practicam, Transm.* aut *Conc.;* fidem *mortuam, Neg.* — *Dist. 3ª pars maj.* Tacet Paulus *semper* de

---

([1]) AUGUST. « Scriptura tacuit, atque intelligenda dimisit cetera, quae cum illo spadone baptizando Phillippus egit ; atque in eo quod ait : « baptizavit eum Philippus, » intelligi voluit impleta omnia, quae, licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda. » *De fide et oper.* c. IX.

omni opere ex fide facto, *Neg.*; *saepe* tacet, quando scopus ejus non postulat ut de opere fiat sermo, *Conc.* — *Cdt. min.* — Ex supra dictis patet dupliciter intelligi posse Paulum: a) Secundum alterum modum explicandi, scopus Pauli non est tradere omnes causas, remotas et proximas, ad justificationem disponentes; sed tantum radicem. Negat autem opera legis ut sic ullo pacto disponere ad justificationem; affirmat fidem esse radicem. Eum nullatenus habere fidem tamquam dispositionem proximam et sufficientem constat ex alibi dictis ab eodem Paulo. — b) Secundum alterum modum explicandi, fides justificans intelligitur esse fides practica (cfr. schol. 3).

Inst. Atqui Paulus dicit fidem disponere proxime ad justificationem, excluso omni opere. Paulus attribuit fidei respectu justificationis eamdem efficaciam quam Judaei tribuebant operibus legis respectu ejusdem justificationis. Atqui Judaei ducebant haec opera disponere proxime. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Paulus attribuit fidei *practicae* eamdem efficaciam, *Conc.*; fidei *mortuae*, *Sub.l.* si intelliguntur Judaei asseruisse opera legis disponere *radicaliter*, *Conc.*; si intelliguntur asserere opera legis disponere *proxime*, *Neg.* — *Cdt. min.* Opera legis secundum Judaeos disponebant *tum proxime tum radicaliter*, *Conc.*; *tantum proxime*, *Neg.* Opera legis juxta Judaeos disponebant ad justitiam tum radicaliter tum proxime; si intelliguntur disponere radicaliter, iis opponitur fides sine operibus; si intelliguntur disponere proxime, iis opponitur fides practica.

Obj. 4°. Ex Rom. 1, 16, 17. Qui constanter exhibet justitiam tamquam nexam fidei et nullius operis boni ex fide facti mentionem facit, censendus est ducere solam fidem justificare, seu eam disponere proxime ad justitiam. Atqui haec est ratio loquendi Pauli. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui exhibet justitiam tamquam nexam fidei ut *radici*, adeoque *remote*, vel exhibet justitiam veluti proxime quidem nexam fidei, at hanc fidem intelligit esse *praticam*, ille censendus est ducere solam fidem justificare, *Neg.*; qui exhibet justitiam ut nexam *immediate* fidei *mortuae*, *Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui Paulus, nulla operis mentione facta, annectit immediate justitiam fidei mortuae. Etenim juxta Paulum ad Rom. 1, 17, Evangelium (doctrina revelata) est instrumentum efficax quo Deus salutem in justificatione sitam operatur in omni credente, sive Judaeo sive Graeco. Atqui qui sic loquitur, annectit immediate justitiam fidei mortuae. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Evangelium, uti praescribit primum fidem, deinde *opera*, est instrumentum quo Deus operatur justitiam, *Conc.*; uti

nonnisi fidem in audientibus gignit, *Subd.* est instrumentum quo Deus *incipit* operari justitiam, seu *primam* dispositionem, eamque *remotam* operatur, *Conc.* ; quo Deus *ultimam* dispositionem operatur in credente, *Neg.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui juxta Paulum Evangelium, ubi gignit fidem, operatur ultimam dispositionem. Asserit enim Paulus Evangelium, seu praedicationem verbi Dei, gignere justitiam *ex fide in fidem*, et addit justum vivere supernaturaliter *ex fide*. Atqui si praeter fidem exigeretur opus ad justitiam et vitam supernaturalem, dicendum esset Evangelium gignere justitiam ex fide per opera h. e. gignendo primum fidem, deinde opera; addendum esset justum vivere ex operibus. Ergo.

Resp. *Dist.* 1ª *pars maj.* Asserit Paulus Evangelium gignere justitiam ex fide in fidem h. e. justitiam *radicari in fide* et paratam esse credenti, dummodo hic *opera junxerit fidei*, *Conc.* ; asserit Paulus justitiam initium et *consummationem* trahere ex sola fide, *Neg.* — *Dist.* 2ª *pars maj.* Justus ex fide vivit, h. e. justitia habet *radicem* in fide, *Conc.* ; *sola fides sufficit* ut justus vivat supernaturaliter, *Subd.* sola fides *practica*, *Conc.* ; sola fides *speculativa*, sine operibus, *Neg.* — Hic est sensus vv. 16, 17 capitis primi : Non erubesco doctrinam Evangelii, licet a crucifixo traditam ; tantum enim abest ut contemptibilis sit, ut contra sit maximi facienda. Est enim virtus salvifica omni credenti, h. e. in manu Dei efficax est instrumentum per quod operatur eam salutem quae in justificatione sita est ; haec salus est parata omni ei qui credet. Nam in evangelica doctrina revelatur justitiam, qua Deus hominem facit justum, oriri ex fide et obtingere omni credenti (cfr. III, 22) ; scriptum enim est ab Habacuc : justus habet justitiam suam per fidem.

Obj. 5°. Ex Rom. IV, 2 sq. Qui annectit justitiam fidei et *excludit opus*, ille censet solam fidem justificare, seu ultimo disponere ad justitiam. Atqui haec est ratio loquendi Pauli vv. 3 et 5. Ergo.

Resp. *Dist maj.* Qui annectit justitiam fidei, excluso opere *legis*, ille censet etc. *Neg.*; qui annectit justitiam fidei, excluso opere ex fide profecto, ille censet etc. *Conc.* — *Cdt. min.*

Inst. Atqui Paulus annectit justitiam fidei, excluso opere ex fide. Scribit enim : « Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam » (IV, 5). Atqui sic aperte adscribitur justitia fidei, excluso quolibet alio. Ergo.

Resp. *Dist maj.* Ei qui non operatur opera legis, credenti in eum, etc., reputatur *radicaliter* justitia seu confertur *capacitas* recipiendi justitiam, *Conc.* ; confertur *actu*, *Subd.* credenti *practice* seu jungenti alias dispositiones, *Conc.* ; secus, *Neg.* — *Cdt. min.*

Obj. 6°. Ex eodem loco. Justus juxta Paulum IV, 10-12 justificatur eodem modo atque Abraham. Atqui Abraham justificatus est ob solam fidem : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam » (IV, 3). Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Abraham justificatus est ob solam fidem, *excluso opere legis, Conc. ; exclusa dispositione alia*, adeoque ob solam fidem *speculativam* et *mortuam, Neg.* — *Dist. cons.*

Inst. Atqui Abraham justificatus est ob solam fidem, excluso quolibet opere. Etenim a) opus Abrahae, profectum ex fide, non aliud deprehenditur in Scriptura praeter immolationem Isaac. Atqui justificatio non fuit primo collata post istud opus : Abraham enim dicitur justificatus multo ante, uti patet ex Gen. XV. 6. Ergo justitia non fuit infusa ob fidem practicam. — b) Ex vv. 2. 4. Justitia a Deo infusa Abrahae non est merces ; hic non potest de ea gloriari tamquam de mercede. Atqui hoc exigit ut nullum opus bonum exigatur ad justitiam. Ergo.

Resp. Ad. 1m prob. *Neg. maj.* Abraham credidit in Deum, cum Deus ipsi promisit numerosam posteritatem et benedictionem seu vocationem gentium nasciturarum ex semine. Jamvero cum Deus has promissiones fecit, Abraham erat centum annorum et ejus uxor erat sterilis. Inde egregiae dispositiones fuerunt conjunctae cum fide, adeoque haec fuit practica. — Ad. 2m prob. *Dist. 1a pars maj.* Justitia Abrahae infusa non est merces operis *naturalis, Conc.;* non est merces operis *supernaturalis ex fide profecti, Subd.* non est merces *proprie dicta*, quasi id opus *mereretur de condigno, Conc.* ; merces *impropie* dicta, ad quam opera proxime *disponunt* et merentur *de congruo, Neg.* — *Dist. 2a pars maj.* Nemo gloriatur de justitia tamquam de mercede comparata *viribus naturae, Conc.;* veluti de mercede comparata *viribus gratiae, Subd. non expedit* ut quis glorietur, *Transm.* ; *inhonesta est gloriatio, Neg.*

Obj. 7° Juxta doctrinam Scripturae caritas Dei praecedit dilectionem nostram. Atqui caritas Dei est justificatio nostra. Ergo justificatio praecedit dilectionem nostram, adeoque haec non disponit ad illam. Constat major ex I Joh. IV, 10 : « Non quasi nos dilexerimus Deum ; sed quoniam ipse prior dilexit nos. »

Resp. 1. Deus dicitur diligere hominem cum bona ei tribuit, praecipue cum gratiam infundit. Prior diligit peccatorem cum ei infundit gratias actuales quibus excitatur ad fidem, spem, dilectionem ; iterum diligit peccatorem, cum post dispositiones ex gratia elicitas infundit gratiam sanctificantem. De priore dilectione Dei dici potest agi ap Joh. IV, 10 ;

de posteriore agitur apud eumdem Joh. XIV, 23: « Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. » 2. Ille proprie dicitur diligere Deum qui instruitur gratia sanctificante ; quare Deus dici potest prior dilexisse hominem, quia gratuito dedit gratias actuales et non sine divina liberalitate fit infusio justitiae. — Quare *Dist. maj.* Caritas Dei, h. e. donum *gratiae actualis* praecedit dilectionem nostram, *Conc.* ; donum *justitiae*, *Subd.* praecedit *natura* dilectionem nostram supernaturalem *perfectam* quae non est nisi in statu amicitiae cum Deo, *Conc.* ; praecedit dilectionem *imperfectam*, licet supernaturalem, *Neg.*

Obj. 8° Patres non raro soli fidei adscribunt justificationem. Sic a) Hilarius ait : « fides sola justificat » (1). b) Ambrosius seu auctor Commentarii in Rom. c. III inquit : « Sola fide justificati sunt dono Dei ». c) Chrysostomus dicit : « Fidelem absque operibus possum monstrare et vixisse et regnum caelorum assecutum. Nullus sine fide vitam habuit ; latro autem credidit tantum et justificatus est » (2). d) S. Augustinus scribit : « Quantaelibet fuisse virtutis antiquos praedices justos, non eos salvos fecit nisi fides Mediatoris » (3).

Resp. a) Patres nomine fidei intelligunt firmum assensum in revelata neque duxerunt Patres firmum hunc assensum ad salutem sufficere, sed praeter fidem opera ex gratia Christi facta esse necesaria ad justificationem dicunt. b) Ceterum ipsi Protestantes fatentur Patres sibi contrarios esse. Sic Luth. (4), Melanchton (5). Hilarius tantum excludit legem mosaicam. Ambrosius tantum opera ante fidem facta. Ceterum idem scriptor alibi ad cap. IV ep. ad Hebr. haec scribit: « Magna res est fides et salutaris, et sine hac non est salvari possibile ; sed sola fides non sufficit. Operari fidem per dilectionem necessarium est, et conversari digne Deo. » Chrysostomus de operibus tantum externis loquitur et hoc discrimen inter opera et fidem esse docet, quod sine fide nemo possit ad justificationem et salutem pervenire, bene vero sine operibus externis. Non tamen putandum est excludi internos spei et caritatis, aliarumque virtutum actus ; contrarium enim patet vel ex solo pii latronis exemplo. — Augustinus nihil aliud docet nisi justos V. T. fuisse eadem Christi fide et gratia justificatos, qua et nos justificamur, non tamen exclusa sed inclusa necessitate bonorum operum.

(1) HIL. Cap. VIII *in Matth.* n. 6. — (2) CHRYS. *Hom de fide*, n. 1. — (3) AUG. *Cont. duas epist. Pelagii*, l. I, c. XXI, n. 39.

(4) LUTH. « Ego neminem scio, qui de fide et operibus recte judicare potuerit, exceptis Apostolis... In ceteris libris nequaquam invenitur. » *In brev. confess.*

(5) MELANCHT. « Statim initio scriptores veteres obscurarunt doctrinam de justitia fidei : » *In* I *Cor.* c. III.

CAPUT III.

De proprietatibus gratiae sanctificantis.

Triplex dari solet gratiae proprietas: a) amissibilitas; b) inaequalitas; c) defectus certitudinis fidei.

ARTICULUS I.

De amissibilitate gratiae.

§ 1. Status quaestionis.

326. — Quaeritur utrum status justitiae semel acquisitus amitti possit, et quonam peccato amittatur. — Dantur tres sententiae.

Sententiae. I^a est Beguardorum et Beguinarum asserentium hominem in hac vita eam consequi posse perfectionem, ut gratiam amplius amittere nequeat.

II^a est Joviniani, teste Hieronymo ([1]), et Calvini. Tenent justitiam semel habitam jam amitti non posse. — Mente Calvini soli electi vere credunt, adeoque soli justificantur. Licet justitiam amittere nequeant, possunt tamen peccare; verum peccata, etiam gravissima, ipsis non imputantur, haud secus atque amentibus ([2]). — Similem errorem propugnaverunt seculo XVII quietistae (Cfr. inter prop. 68 Michaelis de Molinos damnatas ab Innoc. XI, a° 1687, prop. 56, 58, 62. Denz. nn. 1143 sq.).

III^a est Lutheranorum et Catholicorum asserentium gratiam amitti posse. Differunt de causa qua amittitur. a) Juxta Lutherum justitia sicuti sola fide acquiritur, ita amittitur solo peccato infidelitatis ([3]). — b) Juxta Catholicos homines justificati et gratia ornati non solum quamdiu sunt in hac vita peccare possunt, sed etiam per peccatum mortale justitiam amittunt, ex gratia excidunt et aeternae damnationis

---

([1]) Hier. l. II *adv. Jovin.* — ([2]) Calvin. *Inst.* l. III, c. II, n. 11.

([3]) Lutherus: « Ita vides, quam dives sit christianus, sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas; cetera omnia, si redeat vel stet fides, in promissionem divinam baptizato factam in momento absorbentur per eamdem fidem ». L. *de Captiv. Babyl.* — « Sufficit quod agnovimus per divitias gloriae Dei agnum, qui tollit peccatum mundi; ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur aut occidamus » *Ep. ad Melanch.* Cf. Moehler, *Symb.* § 16 in nota.

reatum contrahunt. Haec sententia est *de fide definita* ex Trid. sess. VI, cap. XII et XV, can. 23 et 27.

§ 2. RESOLVITUR QUAESTIO.

THESIS XLIX[a]. — Justus quolibet peccato gravi amittit gratiam sanctificantem potestque eam amittere in perpetuum.

327. — PRIMA PARS. JUSTITIA A JUSTO AMITTITUR QUOLIBET PECCATO GRAVI.

I[a] probatio. Ex Script. I[m] Arg. Scriptura perspicue tradit homines justos non modo infidelitate, sed alio quolibet peccato gratiae statum amittere, Dei inimicos fieri et aeterna damnatione fieri dignos.

A. Ex V. T. 1. Ezech. XVIII, 24. Postquam Deus dixerat « Si impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum ejus... non recordabor, » subjungit : « Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem... omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur : in praevaricatione qua praevaricatus est et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. » — Datur itaque antithesis inter peccatorem qui paenitentiam agit et justum qui peccat. Uti delentur peccata et infunditur gratia ob paenitentiam, ita delentur opera bona et gratia ex anima justi qui peccat sive infidelitate sive alio peccato.

2. Sap. IV, 11 de Henoch et, secundum Patres, sensu saltem accomodo, de juvene innocente legitur : « Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius ». Atqui inutile esset juvenem praematura morte mundo eripere, si justus non posset statum gratiae amittere. Ergo.

B. Ex N. T. 1. Matth. XII, 33-45. Exponit Christus parabolam spiritus immundi qui primo ejectus ex homine iterum ad eum redit cum septem spiritibus se nequioribus ; de hoc homine dicit Christus : « Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus ». — Porro hac parabola docet Christus peccatores aliquando liberari a captivitate daemonis, postea vero relapsos in peccata redire in eamdem, eamque duriorem, captivitatem.

2. Matth. XXIV, 12. Christus ait : « Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet (id est, exstinguetur) caritas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem , hic salvus erit ». Ergo omnes justi non perseverabunt, contra multi a caritate excident. Igitur non omnes ii qui olim sunt justificati, perseverant in statu gratiae.

3. Joh. XV, 2 sq. Christus seipsum viti et discipulos palmitibus comparat ; oportet ut discipuli in ipso maneant. Porro distingui potest duplex mansio : perfecta per caritatem, qua fidelis in Christo et Christus in fideli manet, imperfecta per solam fidem ; clare autem dicitur destrui posse mansionem etiam perfectam, ita nempe ut homo in ignem mittatur et ardeat.

4. Paulus in I Cor. IX, 27, de seipso scribit : « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar ». Poterat itaque Paulus ex justitia excidere.

5. Galatae baptizati et justificati putaverunt caeremonialia Moysis esse observanda. Ideo Apostolus ad ipsos scripsit : « Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit » ; et : « Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini : a gratia excidistis ». (Gal. V, 2, 4). Ergo secundum Paulum fideles baptizati et justificati a gratia excidere et salutem suam perdere poterant ob errorem culpabilem in fide.

6. Adhuc Paulus in II Tim. II, 11 ait: « Fidelis sermo: nam si commortui sumus et convivemus; si sustinebimus et conregnabimus; si negaverimus et ille negabit nos. » Itaque christiani, qui commortui, id est baptizati et justificati sunt, a Deo negabuntur, si ipsi Deum negaverint.

7. Adhuc Paulus in Hebr. III, 12 sq. fideles monet : « Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies... ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati : participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae ejus (id est, fidem justificantem) usque ad finem firmum retineamus. » Ergo qui apud Deum est, a Deo discedere potest, et qui participes Christi effecti sunt, fallacia peccati obdurari et gratiam amittere possunt.

II^m Arg. Eo quod justitia semel acquisita amitti non posset, inutile esset justos excitare ut sollicite sibi caveant ne a justitia excidant. Atqui saepe in Scriptura ad hoc excitantur : a) Christus ipse discipulis suis ait : « Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam » (Matth. X, 26); « Vigilate et orate ne intretis in tentationem » (Marc. XIV, 38). b) Paulus scribit : « Qui se existimat stare, videat ne cadat » (I Cor. X, 12); « tu fide stas : noli altum sapere, sed time » (Rom. XI, 20).

III^m Arg. Varia exempla in Scripturis exhibentur eorum qui justitiam erant adepti et eam per peccatum amiserunt aliud quam infidelitatem : a) Angeli sunt creati in statu gratiae; non pauci sunt praevaricati et aeternam perniciem passi. — b) Protoparentes in statu justitiae sunt conditi; postea autem per praevaricationem sunt privati gratia. —

c) Rex Saul dicitur prius fuisse « electus et bonus et non erat vir de filiis Israel melior illo » (I Reg. IX, 2) ; attamen peccavit et creditur reprobus esse factus; id enim insinuat Scriptura (I Reg. XV et XVI) et asserunt Cyprianus ([1]) et Augustinus ([2]). — d) De Davide rege dixit Deus: « Inveni David... virum secundum cor meum » (Act. XIII, 22) ; tamen peccavit et magnitudinem peccati ejus ostendit paenitentiae magnitudo, qua lavabat singulis noctibus lectum suum et lacrymis suis stratum suum rigabat (Ps. VI). — e) Salomon vixit diu in amicitia Dei ; de eo enim dicit Deus : « Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium » (II Reg. VII, 14) et « Vocavit nomen ejus Salomon, et Dominus dilexit eum, misitque in manu Nathan Prophetae et vocavit nemen ejus Amabilis Domino, eo quod Dominus diligeret eum ». (II Reg. XII, 24) ; et tamen non erubuit postea idola omnium concubinarum suarum colere; Cyprianus l. c. et Augustinus ([3]) censent eum esse reprobum. — f) Judas aliquando justus fuit, et, uti communiter existimatur et eruitur ex verbis Christi : « Pater, quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis » (Joh. XVII, 12), graviter peccavit et reprobus factus est. — g) Petrus profecto tunc justus erat, cum ei dixit Dominus : « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus » (Joh. XIII, 10), siquidem SS. Patres haec verba de statu gratiae intelligi volunt; peccavit tamen lethaliter negando Christum et perjurio confirmando negationem. — h) Simon Magus, teste Luca (Act. VIII), conversus a Philippo, credidit et baptismo est justificatus ; attamen haeresiarcha factus est et misere periit. — Denique i) Paulus hortatur Timotheum ut conservet « fidem et bonam conscientiam quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae » (I Tim. I, 19 sq.).

II^a probatio. Ex Traditione. I^m Arg. Ex Conciliis. 1. *Viennense* a° 1311 damnat Beguinas et Beguardos, juxta quos « homo in praesenti vita tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis » (Denz. n. 399).

2. *Tridentinum* sess. VI, a) cap. XII : « Nemo... de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum : quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. » — b) Cap. XV : « Adversus

(1) Cypr. l. I, *ep.* 5. — (2) Aug. *Ad Simplic.* l. II, q. 1. — (3) Id. *Cont. Faust* l. XXII, c. LXXXVIII.

hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti. » — c) Can. 23 : « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum, A. S. » — d) Can. 27 : « Si quis dixerit, nullum esse peccatum mortale, nisi infidelitatis ; aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, A. S. »

II^m Arg. Ex SS. Patribus. 1. Patres non modo docent fideles post acceptam justitiam posse peccare et gratiam quolibet peccato amittere, sed insuper docent hujusmodi peccatores ob ingratitudinem subjici majoribus poenis. — 2. Saepe Patres ad paenitentiam hortantur eos qui olim justificationem in baptismo et in sacramento paenitentiae acceperunt, ut recuperent justitiam amissam. — Nec opus est ut citentur testimonia Patrum, cum fere nullus sit Pater apud quem similia non deprehendantur.

III^a probatio. Ex Ratione theologica. « Christus, ait Angelicus, statim deficiet esse in anima per hoc, quod aliquod obstaculum ponitur influentiae caritatis a Deo in animam. Manifestum est autem, quod per quodlibet peccatum mortale, quod divinis praeceptis contrariatur, ponitur praedictae infusioni obstaculum ; quia ex hoc ipso, quod homo eligendo praefert peccatum divinae amicitiae, quae requirit ut divinam voluntatem sequamur, consequens est ut statim per unum actum peccati mortalis habitus caritatis perdatur. » II^a II^ae, q. XXIV, art. 10.

328. — SECUNDA PARS. Justitia potest amitti in perpetuum.

Prob. A. Ex Script. 1. Asserit justos posse fieri reprobos : a) Ps. II, 11, 12 : « Servite Domino in timore... ne quando irascatur Dominus et pereatis de via justa. » b) I Cor. IX, 27 : « Castigo corpus meum... ne... ipse reprobus efficiar. » c) Apoc. III, 11 : « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. » — 2. Asserit Scriptura justos amisisse justitiam et reprobatos fuisse. Constat ex angelis lapsis et nonnullis aliis modo citatis.

B. Ratione. Qui potest amittere justitiam, potest eam non recuperare. Justus enim, qui justitiam amisit, annumeratur peccatoribus quorum plurimi non deveniunt ad justitiam. Atqui ex prima parte justi possunt amittere justitiam. Ergo.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

329. — **Obj.** 1°. Scriptura passim testatur gratiam sanctificantem esse inextinguibilem, inamissibilem. Sic a) in Cant. VII, 7 legitur : « Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem, neque flumina obruent illam. » b) Christus apud Joh. IV, 13 inquit : « Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam » (ut habet textus graecus). c) Apostolus scribit ad Rom. VIII, 38 : « Certus sum, quia neque mors, neque vita etc. poterit nos separare a caritate Dei ; » et I Cor. XIII, 8 : « Caritas numquam excidit. »

Resp. 1. Quamdiu manet caritas, seu in sensu composito, certa mala non possunt advenire homini, certa bona non possunt amitti. Manente caritate, adversa non possunt obesse, nihil potest separare a Deo, datur interius fons aquae vivae.

2. *Ad Cant.* VII, 7 : Secundum nonnullos interpretes delineatur unio Ecclesiae cum Christo et asseritur aquas multas non posse exstinguere caritatem, quia neque ingruentibus haeresibus, neque saevientibus persecutionibus, neque vigentibus malis aliquorum moribus, deserit Salvator Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo. — *Ad Joh.* IV, 13 : Sensus est : si justificatus ipse non deserit fontem aquae vivae, non sitiet in aeternum, sed conservabit in se hunc fontem. — *Ad I Cor.* XIII, 8 : Apostolus loquitur de caritate, quae non desinet in altera vita, cum fides et spes cessabunt.

Obj. 2°. In Ps. XXXVI, 24 de justo legitur : « Cum ceciderit, non collidetur ; » et in Jerem. XXXII, 40 : « Timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant a me. » Ergo vere justus, juxta Scripturam veterem, aut non peccat, aut peccato non amittit gratiam.

Resp. 1. Verba psalmi duplici sensu intelligi possunt : a) Cum justus venialiter peccaverit, non auferetur gratia. b) Cum tribulationes experietur, ejus animus non frangetur quia ut in eodem Ps. dicitur : « Deus supponit manum suam. » — 2. Apud Jeremiam promittitur uberior gratia actualis, ita ut de facto plures quam in V. L. mansuri sint fideles Dei legi ; nullatenus vero asseritur Dei legem violari non posse.

Obj. 3°. Scriptura nova asserit justificatum non posse peccare. a) Johannes enim ait : « Omnis qui in eo manet, non peccat ; » et « Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est » (I Ep. III, 6, 9), et infra : « Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat ; sed generatio Dei con-

servat eum et malignus non tangit eum » (v, 18). b) Christus dicit: « Non potest arbor bona malos fructus facere » (Matth. vii, 18).

Resp. 1. *Distinguitur:* Juxta N. T. justificatus *in sensu composito* cum justitia non potest peccare, *Conc.; in sensu diviso* non potest peccare, seu non potest peccare et per peccatum separari a gratia, *Neg.* Juxta Scripturam quamdiu justus conservat justitiam, seu quamdiu semen ac generatio Dei in ipso manet, non potest in peccata labi; nihil aliud exprimitur. Eodem modo dicit vulgus : non potest irasci vir mansuetus, nec corrumpi justus judex, neque moechari virgo casta; significatur nempe haec fieri non posse in sensu composito cum mansuetudine viri, cum integritate judicis, cum pudicitia virginis.

2. Aliam etiam interpretationem admittunt haec et similia loca. Peccatores sunt moraliter impotentes vincendi tentationes, nec habent gratiam proxime sufficientem. Justi contra stipantur multis gratiis, quibus facilis fit victoria adversus tentationes, ita ut non possint vinci tentatione.

Obj. 4°. Apostolus (Eph. I, 13 sq.) ad justificatos scribit: « Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae. » Ergo justificati caritatem amittere nequeunt, siquidem ejus pignus in se habent.

Resp. Per peccatum amittitur ipsum pignus haereditatis. Id non negari a Paulo constat eadem epistola: « Nemo vos seducat inanibus verbis: propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Nolite ergo fieri participes eorum... ut filii lucis ambulate. » Porro haec monita inutilia essent, si justificati a gratia excidere non possent.

Obj. 5°. Augustinus ait: « Istorum (reproborum) neminem adducit ad paenitentiam salubrem et spiritualem, qua homo in Christo reconciliatur Deo » (1) et s. Gregorius : « Reprobos ante oculos Dei numquam veram sanctitatem habere » (2).

Resp. Sententia allata ex s. Augustino debet hoc sensu accipi ut reprobi non habeant eam paenitentiam salubrem, qua usque in finem vitae in Christo reconcilientur Deo. Id enim patet quia idem Augustinus alibi ait: « Non erant filii, etiam quando erant in professione et nomine filiorum, non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt » (3). — S. Gregorius loqui videtur de iis qui justi esse ducuntur ab hominibus, a Deo autem cognoscuntur esse injusti. Addit enim: « Saepe namque homo multis occulte peccatis involvitur. »

(1) Aug. *Cont. Julian.* l. V, c. iv, n. 14. — (2) Greg. M. *Moral.* l. XXXIV, c. xiii. — (3) Aug. *De corr. et gr.* c. ix, Cf. ib. c. xiii.

Obj. 6°. Si electi aliquo tempore justitiam amittere possent, simul forent Deo objectum odii et amoris. Deus enim eumdem hominem odio haberet propter peccatum actu commissum et nondum per paenitentiam deletum, et simul amaret, quia decretum praedestinationis, quod est praecipuus divini amoris actus, est aeternum et immutabile. Si reprobi aliquo tempore gratia sanctificante ornati essent, simul etiam forent objectum amoris et odii divini.

Resp. Actus divinus simplicissimus aequivalet eminenter innumeris actibus pro innumeris ipsius terminis aut objectis. Ratione diversorum terminorum modo dicitur actus intellectus, modo voluntatis, voluntatis modo amantis modo odientis, miserentis aut punientis ; respectu ejusdem hominis erit amoris vel odii pro successivis conditionibus quibus idem homo vestitur, vel etiam pro diversis conditionibus quibus homo simul vestitur, actus Dei erit simul secundum quid amoris et secundum quid odii. Illud explicatur quia amor Dei est voluntas bona supernaturalia dandi, odium vero voluntas dona ista subtrahendi et puniendi. — Quare *Dist. ant.* Electi et reprobi forent simul et *sub eodem respectu* termini amoris et odii, *Neg. ; sub diverso respectu*, *Conc.*

ARTICULUS II.

De inaequalitate gratiae.

§ 1. Status quaestionis.

330. — Quaeritur a) utrum justitia in diversis justis sit aequalis, an dispar gradu ; b) utrum in eodem justo semper sit eadem, an contra crescere queat. — Duae sunt sententiae.

Sententiae. Iª est Protestantium asserentium justitiam esse aequalem in omnibus adeoque eam in uno eodemque justo esse incapacem augmenti. Rationem proponunt duplicem : a) Homo, aiunt, non aliter justificatur nisi per justitiam Christi fide apprehensam et extrinsecus imputatam ; sed justitia Christi est immutabilis, incapax incrementi aut decrementi ; ergo omnibus eam apprehendentibus inest eodem modo. b) Ad recipiendam justitiam sufficit fides ; ergo bona opera nullum gradum justitiae conferre valent. Inde Lutherus « Omnes, ait, christiani aeque magni sumus, sicut mater Dei, et aeque sancti sicut ipsa » (1). Eidem sententiae partialiter adhaeserant Beguardi et Beguinae

(1) Luth. *Sermo de Nativ. B. M. V.*

quatenus docuerant hominem posse ad tantam perfectionem devenire, ut jam amplius non valeat proficere (Denz. n. 399). — Eumdem errorem professus est Jovinianus aiens nullam dari inaequalitatem inter virtutes, merita et praemia justorum neque inter peccata injustorum.

II^a est Catholicorum asserentium gratiam sanctificantem non esse aequalem in omnibus justis, tum quia infunditur secundum mensuram dispositionum, tum quia per bona opera augeri potest. — Haec sententia est *de fide definita*, ex Tridentino, sess. VI, cap. VII et X et can. 24.

§ 2. RESOLVITUR QUAESTIO.

THESIS L^a. — Gratia sanctificans crescit per bona opera; quare non est aequalis in omnibus justis.

331. — I^a probatio. Ex Script. I^m Arg. Ex. V. L. 1. In Prov. IV, 18, legitur : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. » Sicuti ergo vera lux et semper augetur et crescit ab aurora usque ad meridiem ; sic justitia in justificatis magis magisque augetur, donec suam perfectionem adispiscatur in caelo. Cfr. Corn. a Lap. in h. l.

2. In Ps. LXXXIII, 6 sq. Psalmista ait: « Beatus vir cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit... Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. » — Ex toto psalmo et ex Tridentino sess. VI. c. X liquet agi de virtute supernaturali et de gratia. Justi itaque dicuntur in corde suo disponere ascensiones et ire de virtute in virtutem.

3. Eccli. XVIII, 22 : « Ne verearis usque ad mortem justificari ; quoniam merces Dei manet in aeternum » (Cf. Trid. l. c.).

II^m Arg. Ex N. L. 1. Petrus in ep. III, 18, scribit : « Crescite vero in gratia et in cognitione D. N. et Salvatoris J. C. » Inutilis esset admonitio, si fideles non possent crescere in gratiam.

2. Paulus a) in II Cor. IX, 8, 10 ait : « Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum... Qui autem administrat semen seminanti... augebit incrementa frugum justitiae vestrae. » — b) Ad Eph. V, 15 : « Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. »

3. Johannes in Apocalypsi, dicit : « Qui justus est, justificetur adhuc et sanctus sanctificetur adhuc. » Cfr. Trid. c. X.

IIa probatio. Ex Traditione. Im Arg. Ex Conciliis. 1. Moguntinum ait « caritatem bonis operibus gravidam esse, nec otiosam manere, quin, oblata occasione, promat de se opus bonum, et quotidiana faciat incrementa justitiae » (c. viii).

2. Tridentinum sess. VI, a) cap. vii, ait : « Qua (justitia) ab eo (Deo) donati, renovamur spiritu mentis nostrae, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. » b) Cap. x : « Justificati ... per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur. » c) Ibid. can. 24 inquit : « Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari atque etiam non augeri coram Deo per bona opera ; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendi causam, A. S. »

IIm Arg. Ex Patribus. Constanter docuerunt Patres gratiam justificantem non esse in omnibus aequalem, eamque augeri posse.

1. Hanc doctrinam jam primis seculis proponit Cyprianus qui in epistola lxxvi ait : « Plane eadem gratia spiritualis, quae aequaliter in baptismo a credentibus sumitur, in conversatione atque actu nostro postmodum vel minuitur, vel augetur, » et qui in libro, *de exhort. ad mart.* inquit : « Martyrium fidei nostrae merita consummat. »

2. Hieronymus ex professo defendit hanc sententiam adversus Jovinianum (1). — Augustinus luculenter idem defendit; ad Hieronymum scribit : « Induti sunt sancti justitia, alius magis, alius minus » (2). Alibi ait : « Justificati sumus ; sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit (3). »

IIIa probatio. Ex Ratione theologica. Prima proponitur a s. Thoma : « Prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat, ad hoc quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiae consurgat ; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum. » Ia IIae, q. cxii, a. 4. — Secunda : In caelo alii sunt aliis feliciores, alii nempe aliis clarius vident Deum. Atqui visio essentiae Dei proportionatur tum gradui gratiae sanctificantis qua justus disponitur ad videndum Deum, tum meritis operum supernaturalium. Ergo diversa est in terra gratia sanctificans pro diversitate operum. — *Ad maj.* De

(1) Hier. II, *cont. Jovin.* ; *comment. ad Gal.* iii, 5. — (2) Aug. *Ep.* clxvii, al. xxix, n. 13. — (3) Serm. xvi, *de verbis apost.* n. 5. Cf. *Ep.* clxxxvii al. lvii, *ad Dardanum;* tract. vi in Joh. n. 8.

hac inaequalitate intelligi solent verba Christi : « In domo Patris mei mansiones multae sunt » (Joh. XIV. 2), et verba Pauli (I Cor. XV, 41) : « Alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate ; sic et resurrectio mortuorum. »

332. — Scholion I^m. Quaeres per *quosnam* actus crescat gratia ? — **Resp.** a) Juxta Bannez (1) gratiam augent soli actus caritatis habitu intensiores, idque non ratione durationis, praestantiae aut difficultatis, sed tantum intensionis. — b) Juxta ferme omnes theologos, quos citat Ripalda (2), gratia augetur per quoslibet actus etiam remissiores habitibus ; neque tantum per actus caritatis, sed per quoslibet actus bonos. Attamen gratia magis crescit per actus diutius continuatos, praestantiores aut difficiliores.

Scholion II^m. Quaeres *quomodo* gratia crescat ? — **Resp.** Cum gratia habitualis qua talis non sit operativa, hinc non augetur extensive (seu non extenditur ad plura objecta) ; quare crescit intensive, per additionem gradus ad gradum. Multi putant id esse fide certum. — Nullus datur limes ultra quem gratia intendi nequeat ; attamen de facto nulla gratia crescit ultra gratiam creatam Christi et B. M. V.

Scholion III^m. Quaeres an gratia *minui* possit ? — **Resp.** De potentia absoluta gratia minui potest per peccata venialia ; seu Deus legem condere potuisset vi cujus peccatum veniale abstulisset gradum gratiae. Attamen de facto gratia numquam minuitur peccato, sed vel totaliter tollitur peccato lethali vel totaliter remanet et crescit ubi bona opera fiunt. — Sententia opposita, judicio Suarezii, « non est probabilis nec defensabilis » (3), juxta alios est temeraria, periculosa in fide.

Ratio ob quam gratia non minuatur est duplex : a) si peccatum veniale minuit gratiam, peccata venialia multiplicata poterunt exstinguere gratiam, adeoque hominem constituere inimicum Deo. Atqui ex revelatione notum est hominem solo peccato lethali fieri Deo exosum. Ergo. b) Si peccata venialia minuunt gratiam, homines pii vix experientur stimulos ut per opera bona augeant gratiam.

ARTICULUS III.

De carentia certitudinis fidei.

§ 1. Status quaestionis.

333. — Notiones. 1. Actus fidei est assensus intellectus propositioni

(1) In IIa IIae, q. XXIV. a. 6 a dubio 2o ad 5m. — (2) D. XC, n. 12. — (3) *De gratia*, l. XI, c. VIII.

revelatae ob auctoritatem Dei revelantis; sive aliter est actus quo mens propositionem a Deo enuntiatam habet pro vera quia enuntiata est a Deo qui nec falli nec fallere potest. Itaque objectum materiale est omne id quod a Deo est revelatum; objectum formale est auctoritas Dei revelantis. Actus fidei supernaturalis, elicitus cum concursu habitus aut gratiae actualis, est super omnia appretiative firmus; hanc certitudinem subjectivam mutuatur ab imperio voluntatis, lumine fidei et dignitate motivi. — Ut fides sit simul certa super omnia et prudens, exigitur ut inter praeambula fidei certitudinaliter constet propositionem fuisse de facto a Deo enuntiatam. Non tamen exigitur evidentia, sed sufficit certitudo moralis.

2. Fides ratione objecti materialis est immediata aut mediata: a) Fides *immediata* assentitur ob auctoritatem Dei ei quod est explicite revelatum seu disertis verbis exprimitur a Deo. b) Fides *mediata* assentitur ob auctoritatem Dei revelantis, eamque solam, ei quod implicite continetur in explicite revelatis, seu implicite est revelatum. Implicite revelatum non statim apparet, sed notum fit mediante alia propositione; sive aliter plerumque est conclusio fluens ex duabus praemissis, quarum altera est explicite revelata, altera vero naturaliter nota. — Non omne implicite contentum in explicite revelato est objectum materiale fidei et proinde credibile fide mediata stricte tali: exigitur enim ut Deus revelando explicite propositionem unam, enuntiaverit implicite propositionem alteram quae, mediante propositione naturaliter cognita, ex ea ducitur, proindeque exigitur ut Deus revelando explicite propositionem unam pro scopo habuerit manifestam facere conclusionem; tum enim censetur enuntiasse conclusionem. Tunc homo, postquam per praemissam naturaliter notam devenit in notitiam conclusionis, postquam intellexit Dei intentionem, adhaeret huic conclusioni ob solam auctoritatem Dei. — Si autem talis non est Dei intentio, nequit dici conclusionem a Deo enuntiari, esse ejus locutionem; quare nequit ei praestari assensus fidei, sed tantum assensus theologicus, nempe partialiter ob praemissam naturaliter notam et partialiter ob praemissam revelatam. — Attamen assensus theologicus interdum vocatur fides mediata sensu latiori.

3. Itaque non potest haberi fides immediata in propriam justificationem quoties non explicite fuit revelata a Deo; non potest dari fides sensu proprio et stricto quoties certa non est, ne moraliter quidem, propositio naturaliter cognita, mediante qua propria justificatio educitur ex alia propositione explicite a Deo revelata, aut quoties scopus

Dei revelantis explicite propositionem universalem circa justificationem, non est ut manifestam faciat et enuntiet propriam justificationem.

334. — **Quaestio.** Quaeritur utrum homo sine revelatione speciali possit habere certitudinem fidei de propria justificatione, adeoque ei adhaerere assensu fidei ob auctoritatem Dei revelantis.

Sententiae. I^a^ est Novatorum asserentium quemlibet fidelem non tantum posse habere fidei certitudinem de sua justificatione, sed adhuc non posse adipisci justificationem nisi hanc fidei certitudinem mente concipiat. Addunt hanc fidei certitudinem non tam effectum quam causam esse justificationis. — Porro in negotio justificationis juxta Lutheranos Deus solus activus est ; homo autem, cujus liberum arbitrium per peccatum originale extinctum fuit, mere passive se habet. Deus vero, ubi fidelem justificare intendit, excitat in ejus corde fidem fiducialem in promissam propter merita Christi remissionem peccatorum. Homo in se hanc Dei operationem experitur ; inde omnino certus esse potest et debet se a Deo esse justificatum, haud secus ac certus esse potest et debet de aliis fidei articulis.

II^a^ est Catholicorum negantium hominem sine revelatione speciali posse habere certitudinem fidei de propria justificatione. Haec sententia est de fide definita ex Trid. sess. VI, cap. IX : « Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet ; sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest : cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. » Cf. cap. XVI. Praeterea Tridentinum in eadem sessione, canone 13, damnat asserentes necessarium ad justificationem esse ut credatur absque haesitatione peccata esse remissa.

Explic. Non datur fides immediata in propriam justificationem. Etenim revelatae quidem sunt a Deo, idque explicite, variae propositiones affirmantes infundi a Deo justitiam, quotiescumque adimplentur certae conditiones quae et ipsae a Deo sunt revelatae ; verum in revelatione catholica non legitur propositio affirmans statum gratiae hominum singulatim sumptorum. Itaque manifestum est elici non posse actum fidei immediatae de propria justificatione, nisi speciali et privata revelatione enuntiata fuerit a Deo. — Praeterea elici non potest fides mediata. Ubi in medio ponunt rationem hujus defectus fidei mediatae, et gradum certitudinis de statu gratiae, alii catholici doctores abeunt in alias sententias. α) Alii nempe cum Ambrosio Catharino asserunt hominem non raro

posse esse absolute certum se ad implevisse omnes conditiones requisitas ad justitiam, adeoque se esse in statu gratiae, licet non repugnet falsum subesse sententiae suae; aut tenent hominem habere posse certitudinem moralem, exclusa omni formidine prudenti. Quare hi negant certitudinem fidei vel quia autumant exigi evidentiam manifeste incompossibilem cum errore circa praesentiam dispositionum ad justitiam requisitarum, vel quia autumant Deum revelando propositiones universales non habuisse pro scopo manifestas facere propositiones particulares affirmantes propriam individuorum justificationem. — β) Alii cum D. Soto asserunt propriam justificationem non posse esse nisi probabilem, innixam conjecturis probabilibus de praesentia dispositionum, adeoque deesse fidem mediatam quia deest sufficiens certitudo de dispositionibus; aut asserunt dari quidem posse certitudinem moralem de statu gratiae et de praesentia dispositionum, sed talem esse dicunt hanc certitudinem ut non excludat omnem prudentem formidinem de opposito, adeoque talem ut non sit certitudo veri nominis, sed potius certitudo fiducialis excludens anxietatem ([1]).

Et re quidem vera statum gratiae saepissime esse certum certitudine fiduciae, testantur Scripturae: 1. Paulus a) in II Cor. I, 12 dicit: « Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae; quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. » b) Ad Rom. VIII, 16: « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. » c) Ad Gal. V, 22. « Fructus autem Spiritus est, caritas, gaudium, pax. » — 2. Johannes in I ep. III, 21 scribit: « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. »

Ut vitetur omnis lis de verbo, probamus distincte duo: 1. Nullus homo

---

([1]) En quid censeat BELLARMINUS de gradu certitudinis circa statum gratiae.

« Altera sententia non docet quidem certitudinem fidei divinae, tamen affirmat posse, immo etiam solere, praesertim homines perfectos, ad eam securitatem venire, ut nullam habeant de sua justificatione formidinem, plane ad eum modum quo credimus sine ulla haesitatione et formidine deceptionis Caesarem imperasse in Italia, Alexandrum in Graecia, Ciceronem Oratorem, Livium Historicum, Virgilium Poëtam fuisse; Constantinopolim esse urbem in Thracia et Antiochiam in Syria, quamvis neutram viderimus....

Tertia sententia, quae communior in Ecclesia est, non tollit quidem omnem formidinem, tamen tollit omnem anxietatem et haesitationem, et ipsam etiam dubitationem, si dubius dicatur qui non audet alteri parti assentiri. Neque enim bona est argumentatio: catholici non habent certitudinem fidei de sua justificatione, igitur semper dubitant, haerent, anxii sunt. Sicut neque contra recte plus concluderet: Catholici non sunt anxii, neque haesitant de sua justificatione, igitur certi sunt certitudine fidei sibi remissa esse peccata. Datur enim aliquid medium inter haec extrema, videlicet certitudo quaedam moralis ex parte intellectus, et spes ac fiducia ex parte voluntatis. » *De Justif.* l. III, c. XI.

sine revelatione speciali potest elicere actum fidei circa statum gratiae. 2. Nullus potest esse infallibiliter certus se esse in statu gratiae : patet hanc certitudinem non posse oriri nisi ex una revelata et altera naturaliter cognita et evidenti, ideo eam alii vocant certitudinem fidei mediatae, alii theologicam.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS LI^a^. — Sine revelatione speciali nemo scire valet certitudine fidei cui non potest subesse falsum se gratiam Dei esse consecutum.

335. — I. Deest certitudo fidei de statu gratiae.

Prob. I^m^ Arg. — Ibi deest certitudo fidei, ubi deest certitudo supra omnia, ob formidinem de veritate oppositi. Atqui deest certitudo supra omnia firma de justificatione propria ob formidinem de veritate oppositi. Constat major quia inter proprietates actus fidei deprehenditur firmitas supra omnia. Minor manifesta fiet sub n° II°.

II^m^ Arg. — Ut propria justificatio valeat esse certa certitudine fidei, exigitur vel ut fuerit explicite revelata, vel ut ita contineatur in explicite revelata, ut appareat scopum Dei fuisse eam manifestare nobis. Atqui neutrum obtinet. Primum est manifestum. Probatur alterum. Scopum Dei revelantis propositiones universales de justificatione assequenda sub certis conditionibus, non fuisse manifestare individuis propriam justitiam, probatur rationibus propter quas voluit Deus omnem certitudinem infallibilem deesse de statu gratiae, extra revelationem privatam. Argumentum sic proponitur : Deus non efficit id quod, cum deberet conferre ad promovendam moralitatem hominum, sponte gigneret superbiam et despectum aliorum, et cujus absentia sponte gignit humilitatem et salutarem timorem. Atqui manifestatio status gratiae profecto a Deo fieri deberet ad promovendam moralitatem ; haec vero manifestatio et actus supra omnia firmus in hanc manifestationem status gratiae a Deo factam sponte gignerent superbiam et despectum aliorum ; dum absentia sponte gignit animi demissionem et salutarem timorem. Ergo. — *Prob. min.* a) auctoritate s. Augustini aientis : « In hoc loco tentationis... tanta est infirmitas ut superbiam possit generare securitas » (1) ; b) auctoritate Gregorii M. scribentis : « Si scimus nos gratiam habere, superbimus » (2) ; c) ipse Christus exponendo parabolam Pharisaei et Publicani ostendit eos qui se justos esse confi-

(1) Aug. *De corr. et gr.* c. xiii. M. XLIV, 941. — (2) Greg. M. *Mor.* l. IX. c. xvii.

dunt, facile se caeteris anteponere eosque despicere : « Non sum sicut caeteri hominum..., velut etiam hic publicanus » (Luc XVIII, 11).

Confirmatur quia Deus non solet privata revelatione certiores facere de statu gratiae nisi eos quorum humilitas tanta est, ut ex revelatione nullum oriatur periculum superbiendi et ceteros contemnendi.

336. — II. DEEST INFALLIBILIS CERTITUDO DE STATU GRATIAE.

Prob. I^m Arg. — Petitur ex *Tridentino* sess. VI, cap. IX.

1. Juxta Tridentinum quilibet potest formidare et timere de sua gratia, adeoque rationabiliter de ea dubitare. Atqui qui sunt infallibiliter certi se esse in statu gratiae, non possunt rationabile movere dubium. Ergo.

2. Altera ratio petitur ex motivo proximo quo Tridentinum probat quemlibet posse formidare de sua gratia : Ratio scilicet, ob quam quilibet potest timere ac formidare de sua gratia, est quia nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Atqui ratio ista est efficax, si nulla certitudo potest haberi de propria justificatione ; contra est inanis et nulla, si non excluditur nisi certitudo de statu gratiae per actum fidei ob auctoritatem Dei revelantis. Patet quia qui cognoscit infallibiliter ex una parte se elicuisse actum caritatis perfectae, ex altera parte eum, qui elicit hujusmodi actum, justificari, infallibiliter concludit se esse in statu gratiae, adeoque jam non potest timere.

3. Aliud argumentum petitur ex ratione ulteriori a Tridentino allata. Ratio nempe ob quam homo scire non potest certitudine fidei, cui nullum potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum, adeoque formidare potest de sua gratia, haec, inquam, ratio, ponitur a Tridentino esse quia dispositio propria non est certa ob infirmitatem humanam. Atqui haec ratio non tantum excludit certitudinem fidei immediatae aut mediatae, sed excludit praeterea omnem omnino certitudinem proprio sensu acceptam. Ergo.

4. Argumentum potest peti ex integro processu Tridentini. Postquam asseruerat fidem in remissionem peccatorum neque sufficere neque exigi ad justificationem, ulterius asserit eam dari non posse. Ut rationem hujus asserti tradat, Tridentinum ponit ratiocinium oppositum ei ratiocinio quo quis intenderet sibi comprobare peccata sua esse remissa. Sic enim argueret quis : Nemo pius debet nec potest dubitare de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia. Quamobrem qui suscipit sacramenta rite dispositus, ille justificatur. Atqui recepi sacramentum rite dispositus. Ergo. — Porro huic ratiocinio videtur Tridentinum opponere sequens ratiocinium : Ut quis

certus sit se assecutum esse gratiam usu sacramentorum, exigitur ut sit certus se recepisse eadem cum debitis dispositionibus. Atqui nemo, considerans infirmitatem suam, potest esse certus infallibiliter se recepisse sacramenta cum debitis dispositionibus. Ergo nemo potest esse infallibiliter certus se esse in statu gratiae.

Si ais 1° : Tridentinum dicit quemlibet *posse* timere. Atqui si censeret nullum posse esse prorsus certum se gratiam esse consecutum, dixisset quemlibet debere timere. Ergo.

Resp. *Neg. min.* Ratio negandi est a) quia argumentum prorsus valet, licet Tridentinum non dicat quemlibet debere timere. Etenim si quilibet potest timere, ergo nullus est vere certus, siquidem certitudo expellit omnem timorem de opposito. b) Concilium non potest dicere quemlibet debere timere, seu quemlibet obligari ad timorem, siquidem multi sedulo colentes virtutem et conantes vitare peccata possunt esse securi, adeoque non obligantur ad timorem.

Si ais 2° : Tridentinum solam certitudinem fidei excludit. Atqui dari potest certitudo theologica sine certitudine fidei. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Solam certitudinem fidei immediatae, *Neg.* ; etiam *mediatae*, *Subd.* et ideo eam excludit Tridentinum, quia nequit certitudinaliter constare de dispositionibus requisitis, *Conc.* ; ob aliud motivum, *Neg.* — *Cdt. min.* — Uti jam observatum est, impossibile est habere certitudinem de statu gratiae, nisi partialiter innitendo uni revelatae, adeoque nisi sit certitudo fidei mediatae.

Si ais 3° : Scopus Tridentini est damnare protestantes. Atqui hi asserebant justificationem debere credi. Ergo Concilium tantum negat justificationem debere credi.

Resp. a) Transmissis praemissis, *negatur consequens et consequentia.* Novatores asserebant unumquemque fidelem debere sine haesitatione credere seu pro vera habere justificationem propriam ; eumque debere hanc justificationem pro vera habere sibi applicando promissiones revelatas, adeoque fide. Porro Tridentinum poterat damnare sententiam novatorum duobus modis, sc. affirmando propositionem contradictoriam, vel affirmando propositionem contrariam. Jamvero Tridentinum, successive utrumque facit ; declarat primum non oportere ut fideles absque ulla dubitatione statuant se esse justificatos neminemque esse justificatum nisi certo credat etc. ; deinde propugnat propositionem contrariam, aiens unumquemque posse timere ac formidare de sua gratia quia nemo potest cognoscere certitudine fidei cui non potest subesse falsum etc. — b) *Dist. maj.* Unicus scopus Tridentini est

damnare Protestantes, *Neg.; praecipuus, Conc.* Ita scholastici communiter interpretantur Tridentinum adversus Catharinum.

Si ais 4° : Tunc semper est timendum.

Resp. *Dist.* Timore *desperationis, Neg.; salutari* timore, incitante ad impensiorem cultum virtutis, *Conc.*

Si ais 5° : Argumentum ex Tridentino non valet adversus Protestantes.

Resp. Valet in ordine ad instruendos catholicos qui admittunt organum primarium revelationis contineri magisterio Ecclesiae.

Si ais 6° : Tridentinum non asserit incertitudinem justificationis in canonibus. Ergo sententia propugnata in thesi non innititur auctoritati infallibili synodi.

Resp. Doctrina exposita capitibus sessionis VI^ae^ solet haberi tamquam definita, ob verba quae subjiciuntur ultimo capiti : « Post hanc catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit, placuit etc. » Ratio ob quam incertitudo justificationis non fuerit iterum proposita in canonibus, videtur esse quia iisdem non proponuntur nisi errores Protestantium, pro scopo principali Synodi. Ex hac omissione nullatenus concludi potest doctrinam, clare contentam capite nono fere integro et iterum diserte propositam capite ultimo, non imponi credendam.

II^m^ Arg. Ex unanimi consensu Scholae. Abhinc Tridentino omnes doctores Scholae, uno Ambrosio Catharino excepto, docent numquam de statu gratiae posse haberi certitudinem theologicam (quam solent vocare fidei mediatae). Deesse enim certitudinem fidei cui non potest subesse falsum, probant ex eo quod nemo sine speciali revelatione valeat esse certus se adimplevisse omnia requisita ad justificationem, seu inductas fuisse dispositiones necessarias. — Notari etiam potest omnes ferme contendere numquam haberi certitudinem moralem, excluso omni dubio prudenti. — Omnes etiam hanc incertitudinem dispositionum demonstrant ex Tridentino, sessione VI, cap. IX, ex Scripturis et Patribus allatis in argumento sequenti. — Sic nominatim Bellarminus ([1]), Vasquez ([2]), Suarez ([3]),

---

([1]) *De justif.* l. III, c. VIII et c. II — ([2]) In I^a^ II^ae^, q. CXII, a. 4 : d. CC, c. VIII, n. 52 ubi excluditur etiam certitudo moralis de his dispositionibus.

([3]) Suarez : « Nec refert quod Concilium non addiderit (sc. in fine cap. IX ubi Concilium ait : cum nemo scire valeat) exceptionem de speciali revelatione ; non enim erat ibi necessaria, quia ex discursu constabat sermonem esse de scientia, quam ex consideratione propriae conscientiae et infirmitatis unusquisque comparare potest. Et hoc confirmat Concilium in c. XVI, dicens : « quia in multis offendimus omnes » etc. *De gr.* l. IX, c. IX, n. 23 et c. X.

Lugo ([1]), Salmanticenses ([2]), Wirceburgenses ([3]), Palmieri ([4]), Mazzella ([5]), Goudin ([6]). Insuper Pallavicini ([7]) et Vega ([8]), quorum uterque insigni modo exponit et defendit doctrinas Tridentini adversus detractores. Praeterea Vega ostendit scholasticos vetustiores constanter adhaesisse eidem sententiae ([9]).

III^m Arg. Petitur ex SCRIPTURA. Afferri solent sequentia testimonia :

1. Eccle. IX, 1 : « Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa aeque eveniant justo et impio, bono et malo. » Duas videtur admittere interpretationes hic locus in se inspectus. *Prior :* Nescit homo quinam ex aliis hominibus sint digni amore divino et justi; quinam digni sint odio Dei ac peccatores : Deus enim bona et mala distribuit aequali modo omnibus. — — *Posterior* : Nescit homo utrum digni sint Dei amore an odio, non modo alii homines, sed adhuc ipsemet. — Traditio determinat sensum posteriorem et existimat eo revelari incertam esse justificationem non modo sub V. L. sed etiam sub N. L.

2. Eccli. V, 5 : « De propitiato peccato noli esse sine metu ». Timere jubemur, ne forte ob peccatum, quod nobis remissum fuisse videtur, puniamur et damnemur; quia forte remissum non fuit, deficiente ex parte nostra sincero dolore aut firmo proposito. Ergo prohibemur de statu gratiae elicere actum supra omnia certum.

3. Paulus in I Cor. IV, 3 sq. : « Sed neque meipsum judico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum ; qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo. » Licet

([1]) LUGO : « Relata ultima parte capitis IX, sess. VI Trid., sic pergit : « Ex quibus verbis colligi videtur non sufficere probabilitatem revelationis universalis applicare ad aliquid singulare, ut illud singulare fide credi possit : negari enim non potest aliquos justos habere posse, communiter loquendo, probabilitatem magnam de sua gratia et quod sacramenta cum debita dispositione susceperint : ii tamen sine speciali revelatione non possunt credere de fide se esse in statu gratiae, sed possunt, et debent prudenter formidare de suo statu, ergo revelatio universalis quod omnes vere contriti et confessi accipiant gratiam, non sufficit, ut, stante sola probabilitate de propria contritione et dispositione debita, possit aliquis fide credere se comprehensum fuisse revelatione illa universali. Ubi simul vides, quomodo Concilium, ex eo quod quilibet prudenter formidare potest circa propriam justificationem, inferat eam non posse fide divina credi, quae est ratio a nobis adducta. » *De fide*, d. I, sect. XIII, § 4, n. 324.

([2]) *De gratia Dei*, disp. IX, § 2, p. 204. — ([3]) *De gr. habit.* n. 432, p. 475. — ([4]) *De gr. habit.* th. XIX, p 81 sq. — ([5]) Proposit. XXXIX, pars I^a p. 739 et in st. quaest. p. 732 sq. — ([6]) *De gr.* q. VI, art. 3, concl. p. 336. — ([7]) *Hist. Conc. Trid.* l. VIII, c. XII. — ([8]) *Tridentini decr. justificatio* l. IX in c. IX sess. VI^a, a cap. VII ad cap. XLIII^m.

([9]) L. c. a cap. XIV° ad XVIII^m.

verba Pauli intelligi possint de laude ac mercede vel poena temporali ob ministerium verbi, ita nempe ut Paulus hortetur Corinthios ne commoveantur alii adversus alios, judicantes alios esse aliis majoris meriti; attamen omnino permittunt etiam, immo suadent ut intelligantur de statu gratiae : His nempe verbis Paulus deterret Corinthios a judiciis temerariis, quibus unus ab alio aut justus, aut peccator judicatur. Profitetur enim se omnia quidem ad justificationem necessaria implevisse, et tamen de accepta justitia certitudinem non obtinuisse. Jam vero praefata verba a Tridentino intelliguntur de incertitudine status gratiae (sess. VI, cap. XVI).

IV^m Arg. Ex Patribus. 1° Affirmant deesse certitudinem de statu gratiae ; 2° hoc probant ex testimoniis Scripturae modo allatis ; 3° rationem cur Deus voluerit hoc esse incertum, dicunt esse ut humilitas foveatur ; 4° concludunt servandum esse salutarem timorem.

1. Augustinus a) ait : « Quantalibet justitia sit praeditus homo cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum (1) ». b) Alibi ait : « Forte tu non invenis aliquid in conscientia tua, sed invenit ille qui melius videt, cujus acies divina penetrat altiora : videt forte aliquid, invenit forte aliquid (2) ». c) Alibi ait : « Quamdiu vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus : non dico, quid cras erimus, sed quid hodie sumus (3) ».

2. Gregorius M. perspicue ostendit unicuique esse timendum : « Quis nostrum vitam praecedentium patrum valeat superare, vel assequi ? Et tamen David dicit : « Ne intres in judicium cum servo tuo » ; Paulus, cum diceret : « Nihil mihi conscius sum », caute subjunxit : « Sed non in hoc justificatus sum ». Jacobus dicit : « In multis offendimus omnes ». Johannes dicit : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi seducimus et veritas in nobis non est ». Quid ergo facient tabulae, si tremunt columnae ? Aut quomodo virgulta stabunt immobilia, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur (4) » ?

3. Bernardus idem asserit : « Quis potest dicere : Ego de electis sum, ego de praedestinatis ad vitam, ego de numero filiorum ? Quis haec, inquam, dicere potest, reclamante Scriptura : « Nescit homo, si dignus sit amore, an odio ? » Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate cruciemur (5) ».

4. Innocentius III : « Juramentum cujusdam hominis, qui jurare

(1) Aug. *De perf. just.* c. xv. — (2) Id. *Hom.* xciii al. xxiii *de verbis Domini.* — (3) Id. *Hom.* cxiii al. xxxv. — (4) Greg. M *Mor.* l. xxiv, c. xvii. — (5) Bern. *Serm.* i *de Septuag.* n. i.

paratus erat, se a certis criminibus immunem esse, quae per paenitentiam sibi dimissa esse credebat, esse juramentum temerarium et indiscretum eo quod nemo scire possit, an, ut oportet, egerit paenitentiam, ac per hoc an ad veram pervenerit indulgentiam [1] ».

337. — **Coroll.** Ergo semper incertum est num omnia, ad justificationem consequendam requisita, adsint. Incertitudo afficit complexum requisitorum saltem ratione unius elementi indeterminate sumpti. — Porro ut justificatio obtineatur extra sacramenta, exigitur actus caritatis perfectae. Ut talis sit, exigitur a) ut Deus tribuat auxilium gratiae actualis; b) ut homo Deum pluris faciat omni re creata, adeoque ut nullus detur affectus inordinatus erga creata, proinde ut homo paratus sit ad toleranda omnia mala et ad renuntiandum omni bono potius quam ut graviter offendat Deum. Manifestum est saepe ab hominibus elici verbotenus actum caritatis, nec serio concipi animo sensus eo significatos. Juxta Tridentinum numquam infallibiliter certum est, ob inconstantiam et fragilitatem voluntatis, nullum dari affectum inordinatum; potest quidem deesse actualis cognitio affectus inordinati, sed inde non sequitur certum esse nullum delitescere in anima. — Ut justificatio obtineatur per sacramentum paenitentiae exigitur: 1° ex parte ministri: a) ut fuerit ordinatus ab episcopo habente potestatem ordinis et efformante intentionem, circa quem episcopum redit quaestio; b) ut polleat jurisdictione; c) ut absolvat debitis verbis et cum debita intentione. — Exigitur 2° ex parte confitentis, ut habeat serium dolorem ex motivo sufficienti et firmum propositum.

Sunt qui directe probant thesim ex eo quod non potest dari certitudo de praesentia omnium elementorum. Facile quidem ostenditur saepissime deesse hanc certitudinem; verum eam numquam dari posse existimamus non valere directe ostendi, sed potius hoc fluere ex eo quod revelatione constat justificationem propriam numquam esse infallibiliter certam, nisi detur specialis revelatio.

Satisfit difficultatibus.

338. — **RATIONE THEOLOGICA.** **Obj.** 1°. Certa est infallibiliter conclusio ex una revelata et altera evidenti. Atqui propositio affirmans statum gratiae potest esse hujusmodi conclusio. Etenim sic ratiocinari quis potest: Omnis qui elicit actum caritatis perfectae cum auxilio

(1) Cap. ult. *de purgatione canonica.*

gratiae actualis, habet statum gratiae ; sed elicui actum caritatis perfectae cum auxilio gratiae. Ergo. Atqui prima propositio est revelata. Altera est evidens quoad id quod primario affirmatur : elicui actum caritatis perfectae ; quoad id quod secundario affirmatur, immediate colligitur ex revelato. Ergo. — *Prob. 2ª pars min.* a) Quod cadit sub conscientia est evidenter notum. Atqui conscientia testatur me elicuisse actum caritatis perfectae : talis actus est factum internum, sub conscientia vero cadunt hujusmodi facta. Ergo. b) Hunc actum fuisse elicitum ex auxilio gratiae constat quia Deus facienti quod in se est non denegat gratiam.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.* Ad prob. *Conc. maj. ; Conc. 1ª pars. min.* et *negatur altera pars.* Ad prob. ad a) *Dist. maj.* Quod cadit sub conscientia est evidenter notum, *prout cadit sub conscientia*, scil. uti est *factum*, *Conc. ;* est evidenter notum quoad *essentiam* quae non refertur conscientia, *Neg. Cdt. min.* Conscientia refert *me interius dixisse* Deum amari supra omnia ex motivo caritatis, *Conc. ;* conscientia refert naturam hujus actus esse talem ut *revera Deus ametur* super omnia ex motivo caritatis, *Neg.* — Ad b) *Dist. ant.* Et certo constat me fecisse quod in me est, *Neg. ;* certo constat Deum non denegare gratiam, ubi revera homo facit quod in se est, *Conc.*

Observa. Id quod renuntiatur a conscientia est infallibiliter verum, prouti renuntiatur, praeciso quolibet alio. Jamvero renuntiatur factum cognitionis aut appetitionis tum sensitivae tum rationalis. Natura autem factorum non renuntiatur, sed colligitur via ratiocinii ex iis quae referuntur. — Porro conscientia referre quidem potest elicitum ab intellectu judicium quo affirmatur Deum esse amandum supra omnia ob bonitatem absolutam, ec a voluntate actum quo tenditur in Deum ; referre etiam potest elici judicium quo actus voluntatis judicatur esse caritas perfecta ; verum conscientia non refert hunc actum voluntatis esse reapse verae caritatis, seu hoc actu Deum reapse amari supra omnia. — Intellectus hanc naturam actus colligit ex renuntiatis sensu intimo ; verum hoc non potest colligere cum omnimoda certitudine, ex dictis in corollario.

Obj. 2°. Martyr sic ratiocinari potest : Qui est certus sese regnum caelorum statim esse ingressurum, ille certus est se esse in statu gratiae. Atqui ex una praemissa revelata et ex altera naturaliter cognita certus est martyr se statim ingressurum esse caelum. Ergo. — *Prob. min.* Sic enim ratiocinari licet : Dixit Christus : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum

caelorum » (Matth. v, 2). Et x, 32 : « Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre ». Sed mortem patior propter justitiam, effusione sanguinis confiteor Christum coram hominibus. — Atqui prima praemissa est revelata, altera est evidens. Ergo.

Resp. a) *Dist. maj.* Qui certus est se praedestinatum fore, certus est se *non moriturum* esse sine gratia, *Conc.;* se *hic et nunc* ornari gratia, *Neg. Transm. min. Dist. cons.* — b) *Transm. maj. Dist. min.* Martyr ex una revelata et altera evidenti concludit *absolute* se salutem esse consecuturum, *Neg.; hypothetice*, sc. si perseverat, *Conc.* — Ad prob. *Dist. maj.* Ait Christus : Beati qui saltem cum attritione patiuntur ob justitiam et confitentur Christum, quia, *si perseverant*, obtinebunt regnum caelorum et eos confitebitur Christus, *Conc.;* quia certa est perseverantia, aut hic et nunc certa est caritas perfecta, *Neg.* Eodem modo distinguuntur reliqua. — Cum martyr est attritus, tunc justificatur cum martyrium consummatur ; quare ante martyrium consummatum non est justificatus ; immo cum non sit infallibiliter certus de perseverantia sua, absolute certus non est de justificatione consequenda.

Obj. 3°. Qui certus est de praesentia Spiritus sancti in corde suo, certus esse potest se esse in statu gratiae. Atqui homo interdum certus esse potest de praesentia Spiritus sancti in corde suo. Ergo. — *Prob. min.* Ubi effectus, ibi causa. Atqui interdum homo certus esse potest de praesentia effectuum Spiritus sancti in corde suo. Ergo. — *Prob. min.* Vir pius et amans virtutis saepe experitur gaudium, pacem, exultationem etiam in medio tribulationum ; qui e peccato ad meliorem frugem se recepit, paenitentia peracta, non raro experitur horrorem de iis quibus antea delectabatur, delectatur de his quae prius horrebat. Atqui in his deprehenduntur effectus Spiritus sancti. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Qui certus est de praesentia *Spiritus sancti inhabitantis*, etc. *Conc.;* qui certus est Spiritum sanctum aut *inhabitare* aut *pulsare,* potest esse determinate certus se gratiam esse consecutum, *Neg.* — *Cdt. min.* — Ad prob. *Conc. maj. Dist. min.* eodem modo. — Ad prob. *Conc. maj. Dist. min.* eodem modo. — Spiritus sanctus *pulsat* per gratiam actualem, etiam efficacem, et per gratiam naturalem (v. g. pacem cordis et gaudium, aut dolorem et inquietudinem). *Inhabitat* per gratiam sanctificantem. — Dantur effectus qui prudenter existimari possunt proficisci a Spiritu sancto inhabitante. Verum hoc non est infallibiliter certum, siquidem possibile est ut oriantur a Spiritu sancto pulsante, immo a daemone se transfigurante in angelum lucis. Talia sunt pax, gaudium, exultatio in homine pio, nausea eorum quae prius placebant aut amor eorum quae antea horrorem incutiebant in homine peccatore.

Obj. 4°. Dari potest et debet spes in statum gratiae. Atqui spei inest firmitas ac certitudo supra omnia. Ergo.

Resp. a) Argumentum *probat nimis :* multi enim sunt qui sperant se esse in statu gratiae et tamen versantur in statu peccati ; sequeretur ex objectione eos habere certitudinem infallibilem. — b) Resp. cum Bellarmino : « Quod autem attinet ad spem, fatemur eam quoque esse debere certissimam, sed in suo genere. Alia enim fidei, alia spei certitudo est. Duplex igitur in spe certitudo considerari potest, una ex parte voluntatis, altera ex parte intellectus. Ex parte voluntatis certitudo spei est firma adhaesio voluntatis ad rem speratam, et haec maxima esse potest, etiamsi ex parte intellectus non sit homo certus se rem illam consecuturum. Immo videtur spes non solum non exigere, sed nec ferre posse ex parte intellectus certitudinem absolutam. Nam quod certo scimus nos habituros, non proprie speramus, sed simpliciter exspectamus. Hoc enim modo animae beatorum non proprie sperant corporum resurrectionem, sed tantum exspectant, quia certissimae sunt ex parte intellectus, eam sibi deesse non posse. Itaque haeretici nostri temporis, qui certitudinem absolutam ex parte intellectus requirunt de justificatione et salute, nullum locum spei proprie dictae relinquunt. — Quamvis autem (ut diximus) absolutam certitudinem spes non requirat, ex parte intellectus, tamen habet etiam ex parte intellectus duplicem certitudinem. Prima oritur ex fundamento spei primario, quod est promissio Dei. Certi enim sumus Deum non posse fallere. Et si quidem nihil requireretur ad justificationem vel salutem, nisi promissio Dei, haberemus etiam de his rebus absolutam et infallibilem certitudinem : tamen quia requiruntur etiam alia, de quibus non sumus tamen certi, ideo spes non expellit omnem timorem » [1].

339. — EX AUCTORITATE. Ex Scripturis. **Obj. 5°.** Ex Joh. xiv, 20 : « In illo die cognoscetis quia ego sum in Patre meo et vos in me et ego in vobis ». Unde sic : Ille est infallibiliter certus se gratiam esse consecutum, qui certo novit se esse in Christo veluti palmitem in vite. Atqui secundum verba Christi, Apostoli, recepto Spiritu sancto cognoscent non modo divinitatem Filii, sed adhuc se esse in Christo veluti palmites in vite. Ergo.

Resp. a) *Conc. maj. Dist. min.* Apostoli hoc cognoscent per revelationem privatam, *Transm. ;* sine privata revelatione, *Neg.* — b) *Dist. maj.* Ille novit infallibiliter se assecutum esse Dei gratiam qui cognoscit

(1) Bellarm. De justif. l. III, c. xi.

infallibiliter et *absolute* loquendo se esse in Christo veluti palmitem in vite, *Conc.;* qui novit cum *certitudine securitatis* tantum aut nonnisi *hypothetice* (sc. si diligit Deum debito modo, quod certo cognosci non potest) se esse in Christo veluti palmitem in vite, *Neg.* — *Cdt. min.* Patet responsio ex verbis sequentibus : « Qui habet mandata mea et servat ea ; ille est qui diligit me.... Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » XIV, 21-23.

Obj. 6°. Paulus ad Rom. VIII, 15 sq. scribit : « Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei ». Atqui de testimonii Spiritus sancti veritate dubitare non licet. Ergo justus infallibiliter certus est se esse filium Dei. — Confirmatur quia ibidem v. 38 sq. Paulus dicit : « Certus sum, quia neque mors, neque vita.... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu, Domino nostro. »

Resp. 1. Sunt qui verba Apostoli v. 15 sq. intelligunt de universa Ecclesia, non vero de fidelibus singulariter sumptis. Volunt itaque universam Ecclesiam certiorem fieri se habere spiritum adoptionis. Dicunt hanc interpretationem suaderi quia Ecclesia Christi comparatur cum synagoga eo quod Ecclesia habet spiritum adoptionis, synagoga vero habuit spiritum timoris. — 2. Alii exponunt de singulis justis. Nihil tamen enuntiatur quod opponatur doctrinae Tridentini. Testimonium enim internum Spiritus sancti non dat infallibilem cognitionem, nisi manifestum sit illud oriri a Spiritu sancto ; jamvero id testimonium consistit in quadam suavitate aut tranquillitate conscientiae et piis affectibus ; exinde nasci quidem potest fiducia de praesentia Spiritus sancti et de statu gratiae, non vero certitudo. Ipse Paulus innuit certitudinem non dari per testimonium Spiritus sancti, nam v. 17 addit conditionem : « si tamen compatimur, ut et glorificemur. » — 3. In v. 38 Paulus non loquitur de certitudine justificationis praesentis, sed de spe relate ad tempus futurum : confidit nempe, fretus auxilio divino, quod nulla creatura valitura sit ipsum separare a Deo.

Obj. 7°. Paulus in II Cor. XIII, 5 inquit : « Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est ? nisi forte reprobi estis. » — Joh. in I ep. v, 12 ait : « Haec scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei. » Unde sic : a) Fidelis cognoscere potest Christum esse in nobis. Atqui Christum esse in nobis perinde est

atque ejus caritatem in corde regnare. Ergo. — b) Qui credit, habet vitam aeternam adeoque est justus. Atqui quisque infallibiliter scire potest num credat adeoque habeat vitam aeternam.

Resp. 1. Possumus quidem esse certi de fide theoretica, sed non de fide informata per caritatem et per eam operante. Jamvero nec Paulus nec Johannes censent justitiam tribui fidei theoreticae, uti superius ostensum est. — 2. Sunt qui ex contextu ep. ad Cor. ostendunt Apostolum non loqui de certitudine gratiae sanctificantis, quae in quolibet justo exsistit, sed de gratiis gratis datis quae ab initio frequentes erant in Ecclesia Corinthiorum. Paulus nempe dicit quod per haec signa cognoscere possint Christum in se habitare, nisi forte ab ista gratia deciderint seu rejecti fuerint.

Obj. 8°. Juxta Paulum et Johannem scire possumus ex diversis signis utrum gratia sit in nobis necne. 1. Paulus enim ait a) in I Cor. II, 12: « Accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. » b) II Cor. I, 12: « Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. » — 2. Johannes a) in I ep. III, 14 scribit: « Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres » ; et ibid. « Qui servat mandata ejus, in illo manet et ipse in eo ; et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis. » Cf. ib. IV, 13 et V, 19. b) Apoc. II, 17 : « Vincenti dabo manna absconditum.... quod nemo scit, nisi qui accipit. » Atqui manna absconditum est gratia sanctificans. Ergo.

Resp. 1. *Ad I Cor.* II, 12. Dicuntur accepisse Spiritum sanctum soli apostoli, ut sciant quaenam beneficia collata sint toti generi humano. — 2. *Ad II Cor.* I, 12, *I Joh.* III, 14. Intelligendi sunt hi loci de certitudine fiduciae qua testimonio conscientiae acquiescimus, qua speramus in nobis esse dona a Deo promissa filiis, qua confidimus nos dilectionem Dei habere. — 3. Manna absconditum, de quo Apocalypsis, non est gratia sanctificans, siquidem haec adesse supponitur in eo qui manna veluti mercedem meretur. Sunt qui volunt eo significare gloriam aeternam, quod probant loco parallelo, Apoc. III, 21 : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo ; sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus. » Alii volunt eo significari animi suavitatem quam nemo novit praeter eos qui eam sentiunt.

Obj. 9°. Si homo nequit esse certus de statu gratiae, omnes perpetuo anxii sint oportet, cum nesciant an sint in statu gratiae, an in statu peccati ; numquam igitur illa fruentur pace, quam Christus promisit : « Pacem meam do vobis » (Joh. XIV, 27), et quam omnibus justis com-

mendat Paulus : « Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum » (Rom. v, 1). Ergo.

Resp. Scriptura duo suadet : tranquillitatem et pacem, simulque metum et pavorem ; immo saepius metum quam tranquillitatem in re salutis commendat. Utrumque necessarium est ut vita christiana ducatur et progressus fiat in via virtutis et sanctitatis.

TERTIA PARS.

DE MERITO THEOLOGICO.

CAPUT I.

De essentia meriti theologici.

§ 1. Status quaestionis.

340. — Juxta ea quae dicta sunt in prima parte, capite III, art. 3, *meritum* in genere est opus praemio dignum ; illud opus potest esse meritorium *in actu primo* aut *in actu secundo*, prout praemium a praemiante denegari citra injustitiam potest aut non potest, in primo enim casu est in potentia ad praemium, in secundo est in actu ; deinde opus potest mereri praemium *de condigno* aut *de congruo*, prouti habetur aequalitas proportionis inter praemium et opus obsequiosum aut aequalitas deest ; denique meritum est congruum *de infallibili* aut *de fallibili* prout sibi annexam habet promissionem Dei de praemio retribuendo, aut hac promissione caret.

Quaeritur quaenam conditiones exigantur ut opus hominis 1° mereatur praemium a Deo, seu ut ei insit ratio meriti theologici ; 2° speciatim ut mereatur de condigno.

341. — De conditionibus ad omne meritum theologicum requisitis :

Sententiae. Iª est Protestantium. Ut sibi viam sternerent ad omne meritum humanum eliminandum, has quatuor conditiones exposcunt : 1° ut opus sit perfectum, seu omni numero absolutum, purum ab omni imperfectione ; 2° ut nullo titulo sit debitum ei a quo praemium exspectatur ; 3° ut sit totaliter nostrum non vero alienum, puta ut non sit partum per gratiam.

IIª est Catholicorum. A. Ad meritum omne exigitur : 1° *Ex parte Dei*

promissio mercedis seu acceptatio operis (patet hanc conditionem respicere meritum in actu secundo). — 2° *Ex parte operantis* : ut sit viator. — 3° *Ex parte operis :* a) ut cedat in obsequium et in commodum praemiantis.

B. Ad meritum CONDIGNUM exigunt : 1° *Ex parte operantis :* ut sit in statu gratiae. — 2° *Ex parte operis :* a) ut habeat aequalitatem proportionis cum praemio ; b) ut procedat, saltem remote, ex imperio caritatis.

§ 2. REJICITUR SENTENTIA NOVATORUM.

THESIS LII[a]. — Ut operi humano insit ratio meriti theologici, opus non est ut satisfiat conditionibus quas Protestantes requisitas esse dicunt, scilicet ut opus sit omni numero absolutum, nullo titulo debitum, a solo merente totaliter factum.

342. — I. NON EXIGITUR UT OPUS SIT PERFECTUM.

1. Deus promisit mercedem certis operibus bonis ; speciatim promisit vitam aeternam operibus justorum. Atqui censendus est Deus promisisse mercedem non solis operibus omni numero perfectis, quae moraliter impossibilia esse apparent multis, sed operibus quae fiunt juxta vires quas habent. Ergo.

2. In tantum exigeretur ut opus sit totaliter perfectum, in quantum opus minus perfectum amitteret eo ipso omnem valorem coram Deo, omnemque dignitatem ad praemium. Atqui opera non amittunt omnem dignitatem et valorem ad praemium ex eo quod non sunt omni numero absoluta, puta eo quod sunt minus intensa, quod fiunt ex fine minus perfecto, licet bono, quod concomitatur peccatum veniale. Reperitur enim in justo charisma Spiritus sancti, semen Dei in eo manet, necnon fons aquae salientis in vitam aeternam, eo autem mutuatur opus praecipuam suam dignitatem, dummodo non sit substantialiter vitiatum. — Non repugnat opera peccatorum minus perfecta fieri cum auxilio gratiae actualis et habere aliquam dignitatem ad obtinendam ulteriorem gratiam actualem.

3. *Ad hominem.* Volunt novatores ut Christi justitia omnia peccata, utut multa et gravia, tegat. Cur ergo non posset Christus meritis suis infinitis supplere in homine justo defectus illos, qui minus ex malitia voluntatis quam ex infirmitate naturae oriuntur ?

343. — II. NON EXIGITUR UT OPUS EX NULLO TITULO SIT DEBITUM.

1. In operibus bonis distinguitur ratio debiti et ratio liberi. Deus enim voluit ut homo foret dominus actuum suorum ; quare in potestate

ejus est ut Deo deneget actum, licet debitum ; cum itaque libertate physica utitur homo ad Deo tribuendum id quod Deo est debitum, mereri potest praemium, non quia actus erat debitus, sed quia libere fecit hunc actum potius quam omisit. — Neque dicas subditum non mereri, si praestet principi obedientiam, nec filium, si parentibus debitum exhibeat obsequium. Respondetur enim negando. Etenim dum jussa dominorum atque parentum libera voluntate exsequuntur, merentur subditi et filii. Per se magis meretur filius quam servus, licet plus debeat patri, quia per se majori amore et alacritate ejus mandatis obtemperat.

2. Si opus debitum nihil valeret mereri, vel aufertur a morte Christi meritum redemptionis generis humani, vel saltem minuitur : cum enim Christus sit mortuus ex obedientia, ejus mors aliquatenus erat debita, perfecte aut imperfecte prouti dicetur praeceptum Patris esse merum beneplacitum aut mandatum rigorosum. Ergo.

344. — III. Non exigitur ut opus sit totaliter nostrum, non alienum, puta ut non sit ex gratia.

1. In tantum hoc exigeretur, in quantum facultates humanae destituerentur omni activitate in productione actus boni ; speciatim in quantum voluntas non libere uteretur viribus gratiae ad edendum opus salutare. Atqui facultates sunt activae, speciatim voluntas libere agit.

2. Christus apud Joh. xv, 5 ait : « Ego sum vitis, vos palmites ; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. » Fructus feruntur a palmite prout in vite manet et a vite accipit virtutem edendi fructus. Sic justus utens viribus gratiae edit opera bona et meretur mercedem.

§ 3. Stabilitur sententia catholicorum de conditionibus requisitis ad meritum theologicum generice inspectum.

THESIS LIIIa. — Ad meritum theologicum exigitur : 1° Ex parte Dei, acceptatio operis ; 2° Ex parte operantis, ut sit viator ; 3° Ex parte operis, ut sit liberum, honestum, supernaturale, cedens in obsequium Dei.

345. — I. Ex parte Dei, exigitur acceptatio.

Prob. Bona supernaturalia constituuntur in Dei dominium. Atqui nemo tenetur per se bona sua cedere alteri quia ei offertur pretium. Ergo Deus non debet cedere bona supernaturalia homini ob obsequium ei oblatum, seu quod idem est, non tenetur acceptare obsequia ipsi oblata in rationem meriti.

Observa. In statu naturae purae cognosceretur finem ultimum esse acquirendum per observationem legis naturalis ; itaque cognosceretur sine revelatione supernaturali Deum acceptare actiones honestas veluti meritorias. In statu naturae elevatae cognoscitur acceptatio operum ex gratia factorum tum quia Deus ea praescribit, tum quia disertis verbis eis repromittit praemia supernaturalia.

346. — II. Ex parte operantis, exigitur ut sit viator.

Observa. 1. Vasquez tenet statum viae exigi ex natura rei ad meritum. Contra Suarez, Ripalda, Coninck, Becanus tenent beatos de potentia absoluta posse mereri gloriam essentialem, aut ejus augmentum.

2. Albertus M., Gabriel, Bonaventura, s. Thomas (1), censent angelos et beatos posse mereri sibi et aliis gaudia et praemia accidentalia, puta gaudium de salute eorum qui per ipsorum ministerium salvantur. — Id negant Suar., Val., Zumel, Bañez. Profecto non negant acquiri gaudium novum a beatis ; verum tenent id gaudium acquiri ex virtute beatitudinis, potius quam ex vi meritorum.

3. Sotus, Azor, s. Th. (2) tenent animas purgantes mereri posse aliquod praemium accidentale, puta remissionem culpae venialis aut poenae temporalis, aut aliquod temporale solatium. Idem a Suarez ducitur esse probabile, a Ripalda (3) probabilius. — Negatur a Bonaventura, Cajetano, Vasquez, Coninck, Torres.

A. Homines beati non merentur sibi gloriam essentialem nec ejus augmentum : sc. visionem Dei vel ejus augmentum.

Prob. I^m Arg. Ex Script. 1. Ita hortatur homines ad paenitentiam agendam in hac vita, ut appareat ultra vitam non dari locum paenitentiae aut merito gloriae essentialis. 2. Asserit tempus mortis esse tempus retributionis. 3. Negat post mortem dari locum aut tempus meriti. Ergo tripliciter affirmatur homines beatos non mereri sibi gloriam essentialem. — *Prob. ant.* 1. Eccli. xiv, 17 : « Ante obitum tuum operare justitiam » ; xviii, 19 : « Ante judicium para justitiam tibi » ; xviii, 22 : « Ne verearis usque ad mortem justificari ». — Paulus ad Gal. vi, 10 inquit : « Dum tempus habemus, operemur bonum », et hujusce rei rationem reddit in II Cor. v, 10, ubi dicit : « Omnes nos oportet adstare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum. » — 2. Eccli. xi, 28 : « Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. » — Luc.

(1) S. Th. In 2 d. 5, q. 2, a. 2 ; *de Ver.* q. xxix, a. 7, ad 5^m. — (2) Id. in 4. d. 21, q. 1, a. 3, quaest. 1, ad 4^m. — (3) Rip. d. lxxvii, s. 4.

XVI, 9 : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis ; ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula » (1). — 3. Eccl. IX, 10 : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. » Ib. XI, 3 : « Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. » -- 4. Joh. IX, 4 : « Venit nox, quando nemo potest operari » (2).

II^m Arg. Ex Patribus. Perspicue tenent tempus merendi desinere cum hac vita. Ita inter alios a) Basilius (3), b) Chrysostomus (4), c) Hieronymus (5), d) Augustinus (6).

B. Angeli beati non merentur beatitudinem.

Probatur auctoritate consensus theologorum. Vid. s. Thomam (7), Scotum (8), Suarez (9).

347. — III. Ex parte operis exigitur : A. Libertas a necessitate. Est *de fide* ex propositione Jansenii damnata ut haeretica : « Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. » Denz. n. 968.

Prob. I^m Arg. Soli actus liberi hominis merentur. Saepe enim promittitur praemium ob bonum usum libertatis ; numquam actui necessario. Ergo de facto necessaria est libertas. — In Eccli. XXXI, 10 sq. legitur : « Beatus dives, qui inventus est sine macula... et perfectus est, erit illi

(1) Cfr. Hier. *ep.* CLI *ad Algas*, q. VI, al. CXXI, c. VI. — (2) Cf. Aug. tract. XXXXIV *in Joh.*

(3) Basil. Haec dicit de eo qui eleemosynas per testamentum facere proponit : « Quorumnam temporum mercedem exposces, eorumne quibus vixisti, an eorum quae post mortem secuta sunt ? Sed quo tempore vivebas... ne aspicere quidem egenos sustinuisti ; jam autem quaenam actio est mortui ? quae quoque operis merces debetur ? Ostende opera, et reposce remunerationem. Nemo solutis nundinis negotiatur, neque qui post certamina accedit coronatur, neque quis post bellum famam strenui viri atque gloriam assequitur. Neque igitur post vitam locus ullus est pietatis excolendae. » *Hom. in divites*, n. 8. M. P. G. XXXI, 301.

(4) Chrys. « Veniet hora, quando theatrum hujus vitae solvetur, et nullus postea certabit ; non est post hujus vitae finem negotiatio ; hoc soluto theatro, coronas mereri non datur. Hoc tempus est paenitentiae, illud judicii ; hoc agonum, illud coronarum ; hoc laboris, illud relaxationis ; hoc aerumnae, illud retributionis. *Hom.* IX *de paenit.* M. P. G. IL, 346. — « Cum hinc fuerimus abducti, etiam si millies velimus, nihil effecerimus. Testes hujus rei sunt nobis virgines illae, quae licet promptam haberent voluntatem, tamen quoniam abierant non ferentes secum largam eleemosynam, exclusae sunt a thalamo sponsi. » *In Gal.* VI, 10.

(5) Hier. « Donec vivunt homines, possunt fieri justi : post mortem nulla boni operis datur occasio. » In Eccl. IX, 4. « Mortui nihil valent ad id adjicere, quod semel secum tulere de vita. » Ib. VI, 10. « Cum ista vita transierit, sperandi tempus aufertur. » *In Gal.*

(6) Aug. « Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevare quispiam, vel gravari : nemo a se speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. » *Enchir.* c. CX.

(7) I. q. LXII, art. 4. — (8) In. 2. d. 5, q. 1. — (9) *De Ang.* l. VI, c. IV ; *de gr.* l. XII, c. XV.

gloria aeterna: qui potuit transgredi et non est trangressus, facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino. »

II^m Arg. Ex Patribus. 1. Asserunt hominem nihil mereri nisi libere egerit : sic a) Justinus M. (1), b) Tertullianus (2), c) Hilarius et Hieronymus (3), d) Augustinus (4), e) Bernardus (5).

2. Illud probant quia ubi deest libertas, ibi nulla virtus nec vitium. Sic Chrysostomus (6) et Eusebius Caesariensis (7).

III^m Arg. Ratione. Prima proponitur a Patribus modo citatis. — Secunda a S. Thoma proponitur : « Per actum proprium quis mereri non potest, nisi sit dominus sui actus; sic enim suum actum quasi pretium pro praemio dare potest. Est autem quis dominus sui actus per liberum arbitrium ; unde naturalis facultas liberi arbitrii requiritur ad merendum » (8).

Si ais : Innocentes meruerunt regnum caelorum, licet nullum actum liberum posuerint. Ergo.

Resp. *Neg. ant.* Deus enim ad vitam aeternam acceptat mortem infantium in odium Christi inflictam, licet mors libere non acceptetur. Sic Bernardus (9).

B. Honestas. Etenim actus malus meretur poenam ; actus indifferens in individuo non datur ; si daretur, non magis praemium mereretur quam poenam.

C. Supernaturalitas. 1. Omnis actus salutaris oportet esse supernaturalis. — 2. Actus meritorius debet esse ejusdem ordinis ac praemium. Ergo debet esse supernaturale subjective.

---

(1) Justin. Mart. « Homo neque praemium, neque laudem mereretur, si bonum non ex libero arbitrio ageret. » *Apol.* I, n. 43.

(2) Tertull. « Ceterum nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. » L. II *cont. Marc.* c. vi.

(3) Hilar. *In Ps.* ii. — Hier. L. III *cont. Jovinian.* n. 3.

(4) August. « Liberum arbitrium si non dedisset Deus, judicium puniendi nullum justum esse posset, nec meritum recte faciendi. » *C. Fortun. Manich.* ii, 20.

(5) Bern. « Ubi non est libertas, nec praemium. Propterea, quae sunt carentia ratione animalia, nihil merentur, quia sicut deliberatione, ita et libertate carent. » *Serm.* lxxxi, *in Cant.*

(6) Chrys. *Hom.* xxii *in Gen.*

(7) Euseb. Caes. « Sublato libero arbitrio, jacebit omnis philosophia, jacebit pietas, nulla erit laus virtutis, nullus fructus laboris, nec puniendi erunt improbi, nec admirandi studiosi... Nullum meritum, nulla laus, nec virtus erit nec vitium, si non libera voluntate, sed necessitate fatorum opera nostra fiunt. L. VI *De praepar. Evang.* c. v.

(8) *De Ver.* q. xxix, art. 6. Cfr. in 3. d. 18, q. 1, a. 5.

(9) Bern. « Si quaeris eorum apud Deum merita ut coronarentur, quaere et apud Herodem crimina ut trucidarentur... Sunt planes martyres tui, Deus, ut in quibus nec homo nec Angelus meritum invenit, singularis tuae praerogativa gratiae evidentius commendetur. » *Serm. de natali Innoc.*

D. Ut cedat in obsequium Dei adeoque virtualiter referatur ad Deum. 1. Secus non datur ratio cur a Deo exspectaretur retributio, nec ullo jure ab eo exigi posset. — 2. Christus ipse docet opera ex naturali tantum et inordinato fine suscepta, non esse meritoria, licet objective sint bona ; ait enim apud Matth. VI, 1 : « Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est. » De hypocritis eleemosynas largas distribuentibus ut honorificentur ab hominibus, inquit : « Amen, dico vobis ; receperunt mercedem suam » (Matth. V, 2).

348. — **Scholion I^m.** Distinguitur triplex libertas : a) *perfectissima* cum maturo consilio, longa consultatione et plena deliberatione omnium circumstantiarum quae occurrere possunt. Haec ad meritum non exigitur. Justi enim non solent agere cum hac libertate. — b) *Perfecta,* cum perfecta directione rationis et clara propositione bonitatis et malitiae, quae communiter sufficit ad peccatum mortale. Haec requiritur et sufficit ad meritum gratiae habitualis et gratiae essentialis. Requiritur etiam et sufficit ad peccatum et meritum poenae aeternae ; ad votum, juramentum, contractum. — c) *Imperfecta* seu tenuis, ex levi et confusa consideratione bonitatis et malitiae, qualem habent v. g. illi qui in materia gravi venialiter peccant. — Sufficit ad meritum gratiae actualis et gloriae accidentalis ; immo si oritur ex consuetudine bene operandi, sufficit interdum ad meritum gloriae essentialis (1).

Scholion II^m. Meritum augent, ceteris paribus : a) promptitudo et firmitas operantis ; — b) difficultas operis ex ejus praestantia, vel objecto vel impedimento extrinseco, non autem ex defectu et tepiditate operantis (2) ; — c) intensio et libera continuatio actus ; tamen non accedit meritum aequale pro singulis instantibus durationis (3).

§ 4. De conditionibus requisitis ad meritum de condigno.

THESIS LIV^a. Ad meritum theologicum de condigno, praeter conditiones supra recensitas, exigitur : 1° Ex parte operantis : a) ut sit in statu gratiae ; b) ut mereatur sibi. 2° Ex parte operis : a) ut sit aequale praemio aequalitate proportionis ; b) ut procedat, saltem remote et virtualiter, ex imperio caritatis. 3° Ex parte Dei : ut promissio praecesserit.

(1) Cfr. Sanchez, *De matrimonio*, l. I, d. VIII ; Suar. *De gr.* l. XII, cap. III. — (2) I^a II^ae q. 114, a. 4 ad 2^m ; II^a II^ae q. XXVII, a. 8, ad 3^m. — (3) Cf. Suar. l. XII, c. XXI.

349. — I. Ex parte operantis, exigitur :

A. Status gratiae. Gratia concurrit ad meritum non tantum ut conditio, sed ut quid constitutivum meriti, quatenus nempe personam et ejus actus dignificat.

Prob. Im Arg. Ex damnatis propositionibus Baii. 12a : « Pelagii sententia est : opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni caelestis meritorium » (Denz. n. 892). — 13a : « Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei ; sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia ». — 17a : « Sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum ». Si hae propositiones falsae sunt, sequitur hominem in statu gratiae esse debere ut opus vere meritorium agere valeat (1).

IIm Arg. Ex Scriptura. Requiritur status gratiae ad merendum de condigno regnum caelorum. Ergo exigitur ad cetera dona supernaturalia. — Patet consequentia, quia cetera dona sunt ejusdem ordinis ac visio Dei, et quia dantur a Deo tamquam remote aut proxime conducentia ad regnum caelorum. — *Prob ant.* Regnum caelorum in Scriptura saepe vocatur haereditas propria filiis, conjuncta cum filiatione Dei. Ergo impossibile est ut injustus de condigno illud mereatur. — *Prob. ant.* Rom. viii, 15 sq. ; Gal. iv, 7, 30 ; Eph. i, 5 ; Col. iii, 2, 24, 25 ; Hebr. i, 14 ; I Pet. i, 4.

IIIm Arg. Ex Patribus. Hanc sententiam diserte proponunt Augustinus, Prosper. — Augustinus enim scribit : « Misericordia et gratia Dei convertit hominem... ut justificetur impius... et incipiat habere meritum bonum quod Dominus coronabit » (2). Prosper autem : « Justificatus itaque homo... accipit donum quo dono acquirat meritum » (3).

IVm Arg. Ratione. i. Homo in statu peccati est spiritualiter mor-

---

(1) Propositiones damnatae Baii, circa id punctum, desumuntur ex l. II *de meritis operum*, ubi c. iv, sic proponit sententiam quam improbat : « Sunt qui meritum non ex operis integritate, sed ex operantis dignitate metiendum existimant. Adeo ut si quis imaginetur Angelum aut hominem sic naturaliter conditum, ut sine inhabitatione Spiritus sancti totam Dei legem illibate servaret, juxta horum sententiam, nullum omnino vitae aeternae meritum haberet, donec per inhabitantem Spiritum sanctum supra naturae suae conditionem sublimatus et in Dei filium adoptatus, divinae naturae consortium accepisset. » Cap. vii, consequentur negat opera Christi habuisse valorem infinitum ex infinita dignitate personae (prop. 19).

(2) Aug. *Ep* ccxiv, n. 4. M. XXXIII, 970. — (3) Prosper : *Resp. ad cap. Gallorum*, c. vi. M. LI, 161.

tuus, et arbor mala; est a Deo aversus et objectum odii divini. Atqui impossibile est ut in tali statu mereatur de condigno praemium supernaturale. Ergo.

2. Ut opus bonum mereatur praemium de condigno, exigitur aequalitas proportionis cum praemio. Atqui haec deest, ubi operans est in statu peccati. Ergo. — *Prob. min.* Valor operum obsequiosorum primario accipitur ex persona operante et nonnisi secundario ex opere; quare opera injustorum, licet non sint intrinsecus mala, privantur tamen principio principaliter dignificante opera; opera autem hoc principio privata nequeunt proportionem veram habere cum praemio.

B. Exigitur ut operans mereatur sibi.

Prob. 1. Ubicumque Scriptura annectit praemium operi tamquam debitum ipsi, agitur de mercede concessa ipsi operanti. Ergo.

2. Unusquisque dicitur rationem reddere pro se, puniri aut praemio donari prouti ipse bene aut male egerit. Ergo nihil a Deo proprie debetur pro operibus ab alio factis. Prob. ant. a) Rom. XIV, 12: « Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo ». b) II Cor. V, 10: « Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum ». c) Apoc. XIV, 13 de justis dicitur: « Opera enim illorum sequuntur illos. »

3. Augustinus in opere de *pecc. mer. et remiss.* docet solum Christum de condigno meruisse sanctificationem hominum (I, 14).

4. Rationem congruentiae dat s. Thomas. « Praemium essentiale redditur secundum dispositionem hominis, quia secundum capacitatem videntium erit plenitudo visionis divinae. Et ideo, sicut unus non disponitur per actum alterius, ita unus alteri non meretur praemium essentiale nisi meritum ejus habeat efficaciam infinitam, sicut Christi » ([1]). — Addere tamen juvat rationem omnino adaequatam esse quia Deus hanc legem statuit; potuisset enim instruere justos sufficienti gratia ad merendum de condigno pro aliis.

350. — II. Ex parte operis exigitur:

A. Aequalitas proportionis cum praemio.

Observa. a) Valor operis desumitur ex gratia habituali quae dignificat suppositum et ex gratia actuali quae dignificat operationem ([2]). — b) Aequalitas meriti et praemii est quasi virtutis, sicut in semine est virtus ad totam arborem ([3]). — c) Aequalitas proportionis non solum metienda est ex quantitate meriti et praemii, sed et ex magnitudine

([1]) S. Th. *Supplem.* q. XIII, a. 2, ad 1m. — ([2]) Cfr. s. Th. Ia IIae, q. CXIV, art. 3. — ([3]) Ibid. ad 3m.

praemiantis, quia non majus est Deo vitam aeternam tribuere, quam nobis actum virtutis exhibere ; sed sicut hoc congruit huic, ita illud illi... Dum tamen praemium referatur ad idem genus in quo est meritum ([1]).

Prob. Praemium debetur merito de condigno quasi ex justitia. Atqui hoc exigit aequalitatem aliquam inter praemium et meritum. Ergo. — *Prob. maj.* a) Istud praemium dicitur : α) merces secundum opera vel laborem : Matth. XVI, ad Rom. II, I Cor. III ; β) corona justitiae : II Tim. IV. — b) In Hebr. VI, 10, legitur : « Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri. »

B. Ut procedat, saltem remote, ex imperio caritatis.

Observa. Juxta Alex. Hal., Durand., Scot., Gabr., Palud. ad meritum condignum exigitur ut opus actu et explicite referatur ad Deum per caritatem. — Juxta Cajet., D. Soto, Val., Vasquez, Medina, sufficit ut habitualiter referatur ad Deum per caritatem eo nempe sensu ut justus, vi primae conversionis ad Deum, censeatur opera in Deum dirigere. — Juxta alios exigitur relatio virtualis, ita nempe ut opus meritorium ponatur vi actus praeteriti caritatis. Juxta Suarez nulla relatio ad caritatem exigitur ut actus sit meritorius de condigno, sed omnis actus virtutis per se infusae meretur ex se; actus virtutis acquisitae debet pendere actualiter aut virtualiter ab alio actu supernaturali, quicumque sit ([2]).

Prob. I^m Arg. Ex Script. 1. Sola caritas dicitur habere coram Deo verum valorem. Ergo actus non meretur de condigno, nisi saltem remote et virtualiter procedat ex motivo caritatis. — *Prob. ant.* a) I Cor. XIII, 2 sq. « Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. » b) Gal. V, 6 : « In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur. »

2. Merces aeterna, gratia sanctificans etc. dicuntur diligentibus Deum praeparari et conferri ; dilectio autem simpliciter est amor caritatis. Confertur sane ex opere operato sacramentis cum sola attritione susceptis, verum in Scripturis non dicitur praeparari nec conferri ob attritionem. Ergo soli actus caritatis aut qui caritate imperantur merentur de condigno gratiam et ejus augmentum, gloriam et augmentum gloriae. — *Prob. ant.* a) Christus ap. Joh. XIV, 21 ait : « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et manifestabo ei meipsum » ; b) Paulus in I Cor. II, 9 : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis

([1]) D. Th. in 2, d. 27, q. 1, a. 3. — ([2]) Suarez : *De reviviscentia meritorum* d. II, s. 1, n. 45 sq. ; *de gr.* l. XII, c. IX, n. 4 ; ib. c. X, n. 19.

ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum » ; c) Jac. I, 12 : « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. »

3. Saepe merces supernaturalis promittitur iis qui agunt propter Deum. Atqui agere propter Deum est amare ex caritate. Ergo iterum ex hoc modo loquendi sequi videtur solum actum a caritate elicitum aut imperatum mereri de condigno praemium supernaturale. — *Prob. maj.* a) Matth. X, 39 : « Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. » Ib. XIX, 29 : « Qui reliquerit domum, vel fratres etc. propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. » Marc. IX, 40 : « Quisquis potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo etc. non perdet mercedem suam. »

4. Favent etiam a) I Cor. X, 31 : « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. » b) Col. III, 17 : « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine D. J. C. gratias agentes et Patri per ipsum. »

II^m Arg. Ex PATRIBUS. 1. Ex Augustino : a) In l. *de Sp. et litt.* c. XIV asserit : « mandatum servari (salutariter) non potest, nisi fiat (saltem remote) ex amore justitiae ; non enim fructus est bonus (supernaturaliter), qui de caritatis radice non surgit. » b) In *Enchir.* c. CXXI, n. 32 : « Quod ita fit... ut non referatur ad caritatem... nondum fit quemadmodum oportet fieri, quamvis fieri videatur. » c) In libro *de gr. et lib. arb.* c. XVIII, scribit : « Praecepta dilectionis, id est caritatis, tanta et talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene. »

Ex s. Thoma : In I^a II^ae, q. CXIV, art. 4 haec habet : « Meritum vitae aeternae primo pertinet ad caritatem ; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod eorum actus a caritate imperantur. » Ib. ad 3^m : « Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur. Similiter etiam actus patientiae et fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex caritate haec operetur. »

3. Ex s. Bonav. In 2. d. 4, art. 1, q. III, scribit : « Ad hoc quod aliqua actio sit meritoria, non oportet quod semper quis eam actualiter referat in Deum, sed sufficit relatio habitualis (nunc dicitur virtualis). Habitualem autem relationem voco, non quia habeat caritatem (gratiam sanctificantem) per quam sit habilis ad referendum, sed quia in primordio actionis illius, vel alterius ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam. »

Conf. TRID. sess. VI, c. XVI et can. 26 aeternam retributionem dicit

exspectari posse a justis pro bonis operibus quae in Deo sunt facta. Jamvero opus in Deo factum videtur opus ex caritate Dei imperatum.

III^m Arg. RATIONE. 1. Ille solus actus videtur capax merendi de condigno, quo homo plene est subjectus Deo, eique prorsus adhaeret (Deus enim affectum plus quam opus respicit). Atqui haec totalis subjectio et adhaesio non habetur nisi in actibus caritate elicitis aut imperatis. — 2. Ille solus actus videtur mereri posse de condigno, qui formaliter tendit in Deum ut ultimum finem-cui. Atqui talis non est nisi actus caritate elicitus aut imperatus. Ergo.

351. — III. EX PARTE DEI EXIGITUR PROMISSIO, sive uti Thomistae loquuntur, decretum Dei ordinantis bonum opus ad praemium seu mercedem.

Prob. I^m Arg. EX SCRIPT. 1. Deus in Scripturis dicitur justis promisisse mercedem : a) apud Matth. XX, 1-16, Deus se comparat patri familias, qui conventionem facit cum operariis de denario diurno, et eam reddidit mercedem quam promisit. b) Jacobus de justo dicit : « Accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se ». Ergo de facto nemo de condigno meretur a Deo praemium, nisi illud promissum fuerit.

2. Apostolus beatitudinem aeternam vocat promissionem. Ad Hebr. XII, 6 ait : « Fide et patientia haereditabunt promissiones », et X, 36 : «Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem ».

II^m Arg. CONCILIUM TRIDENTINUM clare dicit mercedem aeternam a Deo esse promissam : « Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda ». Sess. VI, cap. XVI.

III^m Arg. EX PATRIBUS. 1. Non raro dicunt Deum se fecisse debitorum nostrum, omnia nobis promittendo. Sic Cyprianus, s. Paulinus, Augustinus ([1]).

2. Non raro etiam dicunt gloriam non deberi operibus. Ergo exigunt Dei promissionem. — Sic loquuntur a) Bas. ([2]), b) Aug. ([3]),

---

([1]) CYPR. *De op. et eleem.* S. PAULINUS. *Ep.* XXVIII *ad Vitricem*, n. 2. AUG. *Serm.* CLVIII. al. XVI *de verbis apost.* ; *Enarr. in Ps.* CIX.

([2]) BASIL. « Manet requies sempiterna illis qui in hac vita legitime certaverunt, non tamquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimam Dei gratiam, in quo speraverunt, exhibita. » *In Ps.* CXIV. v. 7, n. 5. M. XXIX, 492.

([3]) AUG. « Debitorem Domino ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. Non ei

c) Fulg. ([1]), d) Anselm. ([2]), e) Auct. l. de vocat. gent. ([3]), f) Bern. ([4]).

3. Denique non raro aiunt universaliter opera esse insufficientia ad vitam aeternam. Ergo iterum exigitur promissio ut opera infallibiliter mereantur gloriam. Sic loquuntur a) Athanasius ([5]); b) Augustinus ([6]); c) Bernardus ([7]); d) Theophylactus ([8]).

IV^m A g. Ex Ratione. Homo est servus Dei. Atqui Deus a servo exigere potest famulatum sine remuneratione, salva justitia. Ergo.

352. — Scholion I^m. Quaeres an gratia requiratur de potentia absoluta ad meritum condignum ?

Resp. Dantur quatuor sententiae. *Prima* affirmat absolute de omnibus condigne merentibus. Sic Ferrar., Zumel, Larca, Vasquez ([9]). Ratio praecipua Vasquezii est quod qui mereretur condigne gloriam, neque gratia esset instructus, simul condigne mereretur filiationem adoptivam, quod repugnare dicit. Ratio etiam peti potest quia secus deest aequalitas proportionis requisita ad meritum condignum. *Secunda* negat absolute de omnibus. Sic Cajetanus ([10]) et multi Thomistae. Ratio est quia meritum unice, aut saltem praecipue, pendet ex

---

dicitur : redde quod accepisti, sed : redde quod promisisti. » *In Ps.* LXXXIII; n. 16. M. XXXVII, 1068. — « Laudemus Dominum quia ejus fidelia promissa retinemus, nondum accepimus... Promissor Deus factus est bonitate sua, non praerogantia nostra. Quid ei dedimus, ut eum debitorem teneamus ? » *Serm.* CCLIV, n. 6. M. XXXVIII, 1184. Cf. *Serm.* CLVIII, n. 2. M. XXXVIII, 863.

([1]) Fulg. « Ille auctor est debiti qui auctor est doni. Nam et seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem. Non quia indigens ab aliquo accepit, sed quoniam abundans largiter tribuit. » *Ad Monim.* Prol. M. LXIX, 152.

([2]) Anselm. « Justus es non quia nobis reddas debitum, sed quia facis quod decet te summe bonum. » *Prosl.* c. x. M. CLVIII, 233.

([3]) Auct. *de voc. gent.* « Non labori pretium solvens (Deus), sed divitias bonitatis suae in eos quos operibus elegit effundens, ut etiam hi qui in multo labore sudarunt, nec amplius quam novissimi acceperunt, intelligant donum se gratiae, non operum accepisse mercedem. » L. I, c. XVII. M. LI, 670.

([4]) Bern. Circa II Tim. I, 12 : « Dei promissum, suum appellat (Paulus) depositum : et quia credidit promittenti, fidenter promissum repetit. Promissum quidem ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum. Est ergo quam Paulus exspectat corona justitiae, sed justitiae Dei, non suae. Justum quippe est ut reddat quod debet : debet autem quod pollicitus est. Et haec est justitia de qua praesumit Apostolus ; promissio Dei. » *De gr. et lib. arb.* n. 51. M. CLXXXII, 1029.

([5]) Athan. « Nec universo orbi renunciantes dignum aliquid habitaculis possumus compensare caelestibus. » *Vita s. Ant.* M. XXVI, 868.

([6]) Aug. « Quanto labore digna est requies quae non habet finem ? Si verum vis comparare et verum judicare, aeterna requies aeterno labore recte eruitur. Verum hoc est, sed noli timere : misericors est Deus. » *In Ps.* XCIII, n. 24. M. XXXVII, 1241.

([7]) Bern. « Nec enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita aeterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. » *Serm.* I. *de annunt.*

([8]) Theoph. « Servo necessitas incumbit ut faciat mandata Domini, nec ut bonum opus sibi illud debet adscribere. Quippe si non operabitur, dignus est multis plagis ; cum autem operatus fuerit, contentus sit quod plagas effugerit. Proin non oportet de hoc pretium vel honorem quaerere. » *In Luc.* XVII, 9.

([9]) In I^a II^ae, d. CCXVI, c. XII. — ([10]) In I^a II^ae, q. CXIV, a. 2.

promissione Dei ; jamvero, aiunt, Deus absolute posset promittere vitam aeternam operibus injusti. — *Tertia* est Suarezii ([1]). Gratia non exigitur nisi de potentia ordinata in homine innocente et in angelo ; in peccatore exigitur de potentia absoluta, supposito quod peccatum absolute remitti nequeat, nisi infundatur gratia. — *Quarta* est Ripaldae ([2]). Requiritur absolute, ait, aliqua gratia sanctificans, i. e. elevans naturam creatam ad consortium cum divina, et adoptivam filiationem. Verum censet eam gratiam posse mereri per actum caritatis perfectum, vel per favorem Dei extrinsecum, vel per gratiam habitualem aliam a nostra.

Scholion II^{m}. Quares an, ceteris paribus, meritum crescat si gradus gratiae sanctificantis est major ?

Resp. Duae sunt sententiae. Negant Vasquez ([3]), et quidam Thomistae. — Affirmant plerique ([4]). Ratio est quod dignitas operis, adeoque valor, crescit, crescente gratia sanctificante ; ergo crescit meritum. Huic sententiae favet sensus communis fidelium.

Scholion III^{m}. Quaeres an ad meritum, praeter gratiam habitualem, exigatur gratia actualis ? — Responsio affirmativa ex disputatis in prima parte tractatus est manifesta. Manifeste id asserit Tridentinum sess. VI, c. XVI aiens Christum virtutem jugiter influere in justificatos, et hanc virtutem semper antecedere, comitari et subsequi opera bona, quae sine illa non possunt esse Deo grata nec meritoria ([5]).

Scholion IV^{m}. Quaeres an condignitas tota quanta derivetur ex Dei promissione ?

Resp. 1. Juxta sententiam communem actus supernaturalis a justo elicitus ex se, citra promissionem divinam, habet meritum de condigno in actu primo, seu, ut alii dicunt, remote seu etiam quoad sufficientiam ; habet autem ex promissione Dei meritum de condigno in actu secundo seu proximum, seu quoad efficaciam. — 2. Scotus ([6]), Gabriel ([7]), Gulielmus Parisiensis, Vega ([8]), dicunt condignitatem oriri ex sola promissione Dei. — Attamen verbotenus differunt a sententia communi ; eorum enim mens est quod operibus non inest dignitas ratione cujus Deus obligetur ad retribuendum, citra promissionem. — 3. Vasquez censet retributionem deberi operibus, citra promissionem divinam, titulo gratitudinis.

([1]) *De gr.* l. XII, c. XIV, n. 16. — ([2]) D. LXXVIII, nn. 45, 54, 57. — ([3]) In III, t. I, d. VI, c. IV. — ([4]) Cfr. SUAR. *de Inc.* d. IV, s. 4 ; *de gr.* l. XII, c. XXII. — ([5]) Cfr. CAELEST. I, c. XII. Denz. n. 96. — ([6]) Cfr. S. TH. I^{a} II^{ae}, q. CXIV, art. 1, ad 3^{m} ; ib. a. 3. — ([7]) In 2 d. 27, q. 1, a. 2, not. 3. — ([8]) *De justif.* q. V, a. 1 et 3.

CAPUT II.

De exsistentia meriti theologici.

ARTICULUS I.

De exsistentia meriti generice inspecti.

§ 1. Status quaestionis.

353. — NOTIO. 1. Opus bonum est actio legi divinae undequaque conformis: undequaque i. e. ratione objecti, finis, circumstantiarum. — 2. Opus bonum est naturale vel supernaturale, prout fit cum auxilio gratiae aut sine illo. — 3. Opus bonum lege evangelica praescriptum non tantum est actio externa et locutio, sed imprimis internae cogitationes, volitiones, affectiones legi divinae conformes. Immo actus externi juxta principia Ecclesiae non habentur velut opera bona, nisi prodeant ex actibus internis bonis. — 4. Specialius nomine operum bonorum intelliguntur actus dumtaxat supernaturales justorum, adeoque quidquid homo justificatus, auxiliante gratia actuali, juxta normam Evangelii interne, aut etiam externe, agit et patitur. — Attamen actus supernaturales peccatorum dicuntur etiam sensu proprio opera bona. — Actus autem sine auxilio gratiae facti, usu Scripturae et Patrum, non dici solent opera bona.

QAESTIO. Agendo de gratia actuali ostensum est hominem sine auxilio gratiae alia opera efficere posse, alia non posse. Agendo de gratia sanctificante ostensum est exigi praeter fidem alia opera bona. — Heic inquiritur a) utrum haec opera sint possibilia, h. e., utrum cum auxilio gratiae actualis fieri possint opera bona ; b) utrum exigantur ut quis perveniat ad regnum caelorum ; c) utrum haec opera sint meritoria vitae aeternae, remote aut proxime, de condigno, aut de congruo. — Quaestionem restringemus ad justos.

SENTENTIAE. A. De possibilitate bonorum operum, duae sunt sententiae : — *Prima* est Novatorum asserentium ob lapsum Adae extinctum esse liberum arbitrium et naturam esse substantialiter corruptam (in qua corruptione repositam esse dicunt essentiam P. O.), adeoque omnem actionem ex voluntate proficiscentem, licet libertate carentem, intrinsecus malam esse et peccaminosam ; actiones eorum qui reputantur justi, ob imputatam extrinsecus justitiam Christi, non esse minus peccaminosas, si intrinsecus inspiciuntur, atque actiones

peccatorum, verum eas non reputari esse tales. — *Secunda* est Catholicorum asserentium possibilitatem et exsistentiam bonorum operum. Est *de fide definita* ex Tridentino sess. IV, can. 7, 18, 24.

B. De necessitate bonorum operum. Necessaria esse bona opera ad consequendam vitam aeternam denegaverunt a) Simon Magus qui, teste Irenaeo (1), asserebat hominem salvari per gratiam, non vero per bona opera ; b) Eunomius, dux Arianorum, teste s. Augustino (2) ; c) Lutherus, tenens ea esse impossibilia et defendens hanc propositionem : « Fides nisi sine ullis, etiamsi minimis, operibus, non justificat, immo non est fides. » — Necessitatem bonorum operum propugnant, praeter Catholicos, Protestantes moderni, et non pauci ex veteribus, inter quos Melanchton, Brentius, Chemnitius, Calvinus, qui asserunt veram non esse fidem quae bona opera non parit et caritatem non habet comitem. Dissentiunt a Catholicis quia tenent opera bona requiri ex praecepto et tamquam signa fidei, non vero ut meritoria vitae aeternae. — — Necessitas operum bonorum est *de fide definita* ex Tridentino, sess. VI, can. 19, 20, 21.

C. De vi meritoria bonorum operum. — Negavit Lutherus dari opera meritoria vitae aeternae, siquidem censet mera peccata esse ea opera quae vulgo censentur esse bona, proindeque de se apta potius ad provocandam iracundiam divinam. — Melanchton (3), Brentius (4), et Chemnitius (5) aliique passim admittunt opera bona justorum meritoria esse, non quidem ipsius vitae ac salutis aeternae, ad quam juxta ipsos per solam fidem perveniri potest, sed alicujus praemii temporalis, aut etiam spiritualis, idque non ex dignitate operum, quae secundum ipsos sunt vera peccata, sed ex indulgentia Dei tegentis eorum foeditatem. Bona opera justorum mereri vitam aeternam, augmentum gratiae et augmentum gloriae est *de fide definita* ex Tridentino, sess. VI, can. 24, 26, 32.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS LV^a. — Bona opera justorum non modo possibila sunt, sed adhuc necessaria sunt adultis ut ad vitam aeternam perveniant. Insuper vitae aeternae sunt vere meritoria.

354. — PRIMA PARS. Opera bona justorum sunt possibilia. **Prob. I^m Arg.** Ex Script. 1. V. T. nobis exhibet exempla justorum

(1) L. I *adv. haer.* c. xx. — (2) L. *de haer.* c. liv. — (3) In *Conf. Augustana* et in *Apol.* art. 20. — (4) In *conf. Würtemburgensi.* — (5) In *Exam. Conc. Trid.* sess. VI.

bene operatorum, ob opera bona a Deo laudatorum et praemio donatorum : a) *Job*, qui est calamitate oppressus, dicitur a Deo : « Vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo et adhuc retinens innocentiam » ; de eo dicitur « in omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est » (Job. I, 1, 22). b) *De Abele* dicitur : « Respexit Deus ad Abel et ad munera ejus » (Gen. IV, 4), i e. « grata haec habuit et laudavit », ut dicit Chrysostomus (1). c) *De Noe* dicitur : « Noe invenit gratiam coram Domino, quia vir justus et perfectus fuit in generationibus suis et cum Deo ambulavit ». d) *David* saepe nominatur vir secundum cor Dei. Ipsemet de se scribit : « Judica me, Domine, secundum justitiam meam et secundum innocentiam meam super me » (Ps. VII, 9). « Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti et non est inventa in me iniquitas » (Ps. XVI, 21). « Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi ; quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo » (Ps. XVII, 21). e) *Tobias* propter opera bona fuit acceptus Deo, ejus orationes dicuntur ab angelo oblatae Deo (Tob. XII, 13).

2. N. L. nobis ejusmodi exempla offert. a) *De Magdalena*, quae pretiosum unguentum in caput Christi effudit, ait Christus : « Opus bonum operata est in me » (Matth. XXVI, 10). b) In Act. IX, 36 de *Tabitha* legitur : « Haec erat plena operibus bonis et eleemosynis quas faciebat ». c) Eph. II, 10. legitur : « Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu in bonis operibus quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus ». d) Petrus in Act. X, 35 inquit : « Qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi ». Idem jubet christianos offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum (I Pet. II, 5).

II^m Arg. Ex Patribus. 1. Asserunt christianos per Christum posse facere opera bona et crescere in justitia. Sic Iren. (2), Chrys. (3), Aug. (4). — 2. Illud probant ex eo quod opera bona praecipiuntur a Deo qui nihil impossibile praecipit. Sic Nyssenus. — 3. Frequentissime Patres hortantur fideles ut bona opera praestent, ut virtutem colant, ad vitam aeternam operibus se disponant.

III^m Arg. Ratione theologica. 1. Possibilia sunt bona opera infidelium, alia quidem sine gratia, alia vero cum gratia ordinis naturalis. Possibilia etiam sunt bona opera peccatorum, alia quidem naturalia, alia

(1) Chrys. *Hom.* XVIII *in Gen.* — (2) L. XII, *adv. haer.* c. I, n. 1. — (3) *Hom.* IV *in Eph.* c. V, v. 10, n. 3. — (4) *De sp. et litt.* c. XXXI, n. 65.

vero salutaria cum auxilio gratiae elevantis. Ergo possibilia sunt opera salutaria justorum auxilio gratiae elevantis. — 2. Probatum est justis a Deo concedi gratiam actualem, quoties necessaria est ad observandam legem divinam et vitandum peccatum. Ergo possibilia sunt opera bona justorum. - 3. Si omnia opera justorum sunt peccata, sequitur Christum a nulla iniquitate vere redemisse justos, nec vere eum mundasse populum, nec nos effecisse sectatores bonorum operum. Atqui contrarium constat ex doctrina universae Ecclesiae, et manifeste contradicit ep. ad Tit. II, 14.

355. — SECUNDA PARS. Opera bona sunt necessaria ad salutem.

Prob. I^m Arg. Ex Script. Opera esse necessaria ad salutem praedicant : 1. *Christus* : a) apud Matth. VII, 19 ubi homines arbori et opera eorum fructibus arborum comparat atque fert hanc sententiam : « Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. » Omnis itaque homo, qui bona opera negligit, damnabitur : « Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum » (Ib. 21.) — In eodem capite Christus sermonem, in monte habitum de beatitudinibus, his verbis concludit : « Omnis ergo qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram » etc. Et « omnis qui audit verba mea haec, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam supra arenam... et cecidit et fuit ruina illius magna. » — b) Apud Matth. XIX, 17. Christus quaerenti : « Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam ? » respondit : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » — c) Ib. XXV, 1-12, virginibus fatuis janua clauditur a sponso quia oleo caritatis privatae sunt. — d) Ib. XXV, 18, 31 de servo, qui talentum acceptum a Domino fodit in terram, dicitur : « Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus et stridor dentium. » — e) Demum in ultimo judicio illis, qui opera misericordiae neglexerunt, dicit supremus judex : » « Discedite a me maledicti, in ignem aeternum » (Matth. XXV, 41 sq.).

2. *Paulus :* a) Ad Rom. VIII, 12 sq. ait : « Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus ; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. » Ib. X, 10 scribit : « Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem. » — b) In Col. I, 10 sq. a fidelbus petit : « Ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei : in omni virtute confortati

secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate cum gaudio. » — c) Ad Hebr. XII, 14 scribit : « Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum. » — d) In I Tim. II, 14 de muliere ait : « Salvabitur autem... si permanserit in fide et dilectione cum sobrietate. »

IIm. Arg. Ex Patribus. 1. Patres universi necessitatem operum bonorum praedicant : a) Hortantur fideles ut diligenter utantur tempore et sibi comparent thesauros meritorum. b) Ostendunt Deum ex se solo creasse quidem hominem, verum ita eum non salvum facere. c)Inutilem esse fidem ad salutem, si non conjungitur cum caritate et operibus. — 2. In specie probatur testimoniis supra adductis ad probandum fidem non sufficere ad justificationem. — 3. Tridentinum in sessione VI, can. 19, et 20 eamdem doctrinam perspicue tradit.

IIIm. Arg. Opera bona, ex antea probatis, sunt necessaria ad retinendam justitiam. Atqui, ex probatis in tractatu de novissimis, retentio justitiae est necessaria ad salutem. Ergo.

356. — TERTIA PARS. Opera bona vere merentur vitam aeternam.

Ia probatio. Ex Scripturis. Im Arg. Ex V. T. 1. Sap. V, 16 sq. tristi sorti impiorum in altera vita opponitur felicitas justorum : « Justi autem in perpetuum vivent et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini. » — 2. Eccli. XVIII, 22 : « Non impediaris orare semper et ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in aeternum ». — Unde sic : Vita aeterna dicitur merces bonorum operum. Atqui opus bonum meretur id quod dicitur ejus merces. Ergo.

IIm. Arg. Ex N. T. 1. *Christus* saepe proponit vitam aeternam tamquam mercedem bonorum operum : a) Matth. V, 10 sq. : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam ; quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me : gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. » — b) Matth. XIX, 29 : « Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. » — c) Matth. XXV, 21 : « Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui. » — d) Ib. XXV, 34 : « Venite, benedicti Patris mei, possidete

paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare, » etc.

2. *Paulus* : a) Ad Rom. II, 6 seq. loquens de judicio Dei, ait : « Reddet unicuique secundum opera ejus : iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam. » b) I Cor. IX, 24 : « Nescitis, quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. » Bravii autem nomine praemium intelligitur victoribus dari solitum. « Sic currite ut comprehendatis. » c) In II Cor. IV, 17 ait : « Id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis. » d) In II Tim. IV, 7 de seipso dicit : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex ; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus. » e) Col. III, 23 sq. : » Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem haereditatis. » f) Hebr. X, 35 sq. : « Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. »

3. *Jacobus* I, 12 : « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. »

4. *Johannes* : a) in Apoc. II, 10, Angelo Ecclesiae Smyrnae scribit : « Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae. » b) Ib. VII, 14 sq. : « Ibi sunt, qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei. » c) Ib. XXII, 11 : « Qui justus est, justificetur adhuc et qui sanctus est sanctificetur adhuc. Ecce venio cito et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. »

II^a probatio. Ex Traditione. I^m Arg. Ex Conciliis : A. Arausicanum II, can. 18 ita loquitur : « Debetur merces bonis operibus, si fiant ; sed gratia, quae non debetur, praecedit ut fiant. » — 2. Tridentinum declaravit hanc sententiam esse fide certam, in sessione VI, can. 26, 32.

II^m Arg. Ex Patribus. Multis modis rem declarant Patres : dicunt nempe hominem mereri Deum ipsum, eum bene actis praemia aeterna mereri, male actis poenas aeternas ; regnum caelorum esse mercedem justorum aut coronam aut retributionem aut pro meritis rependi. —

Nullus fortassis est inter Patres qui has aut similes locutiones non adhibeat.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

357. — **Contra III^m partem, Obj. 1°.** Beatitudo dicitur in Scripturis dari ex misericordia, tamquam gratia aut haereditas. Atqui hae appellationes excludunt rationem meriti. Ergo. — *Prob. maj.* a) In Ps. CII, 4 justificato dicitur: Deus « coronat te in misericordia et miserationibus » et in Ps. XV, 5 : « Dominus pars haereditatis meae. » b) Paulus ad Tit. III, 5 scribit : « Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit ; » ad Rom. VI, 23 : « Gratia Dei vita aeterna » et ib. VIII, 17 : « Si filii et haeredes. »

Resp. 1. Vita aeterna simul est gratia et merces. Est gratia et datur ex misericordia, tum quia gratuita et misericordi bonitate Dei promissa est justis bene operantibus, tum quia eam meretur justus ex auxilio gratiae actualis quae ex mera bonitate et misericordia confertur primo actui salutari. Cf. Trid. sess. VI, c. XVI. — Est *merces* quia bona opera facta cum gratiae auxilio eam vere merentur. Inde appellari potest sive gratia sive merces sensu praecisive, non autem sensu exclusivo. — 2. Justi adoptantur quidem a Deo in filios et jus ad haereditatem recipiunt radicaliter, verum adoptio non conservatur nisi sub conditione quod fiant bona opera, neque confertur jus ad haereditatem nisi sub conditione quod eam mereantur. Inde electis datur vita aeterna radicaliter titulo filiationis, proxime titulo bonorum operum.

Obj. 2°. Christus inquit : « Numquid (Dominus) gratiam habet servo illi, quia fecit quae illi imperaverat ? Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus » (Luc. XVII, 9). His verbis ostendit Christus nullum in nobis esse meritum, etiamsi totam legem impleamus.

Resp. 1. Christus his verbis intendit quidem superbiam a discipulis removere, nullatenus vero bonis operibus rationem meriti denegare. Quare vult ut nos ipsos reputemus servos inutiles ; non tamen dicit nos nullo praemio esse dignos apud Deum ; immo fideles a Deo non habere ut meros servos constat quia alibi dicit Christus : « Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis » (Joh. XV, 14). — 2. Merito justi se reputant servos inutiles : a) quatenus per solam gratiam, et adoptionem, et Dei promissionem, edunt opera actu meritoria vitae

aeternae, ita nempe ut Deus nihil aliud coronet nisi munera sua, ut ait Augustinus [1]; b) quatenus opera bona nullam utilitatem conferunt Deo, sed tantum nobis ipsis ; c) quatenus si id tantum fecimus quod praeceptum est, nihil consequemur ultra mercedem promissam.

Obj. 3°. Patres passim docent vitam aeternam gratis donari nobis, et nulla esse merita nostra.

Resp. Patres vel loquuntur de gratuito principio meritorum nostrorum, nempe de gratia et gratuita Dei promissione, vel de meritis naturalibus adversus Pelagianos ; vel ideo beatitudinem aeternam gratuitam dicunt, quia inter opera bona et vitam aeternam non datur perfecta aequalitas [2].

Obj. 4°. Christus meruit nobis vitam aeternam. Ergo vel ejus merita sufficiunt, vel non sufficiunt. Atqui si sufficiunt, frustra operamur ; si non sufficiunt, a fortiori non sufficiunt merita proprio labore parta. Ergo.

Resp. Christus nobis meruit vitam aeternam, merendo nobis principium meriti. Ob merita enim Christi Deus nobis confert gratias actuales, supplet insufficientiam operum supernaturalium et infundit gratiam habitualem ; ulterius justus, vi legis divinae, per opera bona meretur vitam aeternam. Quare *Dist. maj.* Christus meruit nobis *radicaliter* regnum caelorum, *Conc. ; solus* meretur *proxime*, excluso opere ex gratia ejus facto, *Neg.*

ARTICULUS II.

De exsistentia meriti congrui.

§ 1. De merito congruo peccatorum.

Peccator non potest actibus naturalibus mereri gratiam primam, uti probatum est adversus semipelagianos ; neque etiam gratiam mereri potest per bonum usum gratiae seu per consensum supernaturalem huic gratiae praestitum. — Quaeritur 1° utrum consentiendo primae gratiae possit mereri gratiam ulteriorem seu secundam ; 2° utrum possit mereri justificationem. — Ex disputatis de natura meriti condigni probatum relinquitur peccatorem non habere

(1) Aug. *Ep.* cv. — (2) Cfr. Bellarm. *De justif.* l. V, c. vi ubi exponuntur et explicantur testimonia Patrum specietenus opposita doctrinae catholicae.

meritum theologicum de condigno, quare non movetur quaestio nisi de merito congruo.

THESIS LVI[a]. Peccator de congruo mereri potest gratiam secundam et justificationem ; hanc vero meretur proxime actu caritatis seu contritionis perfectae, remote aliis actibus supernaturalibus.

358. — PRIMA PARS. POTEST PECCATOR MERERI JUSTIFICATIONEM.

Prob. I[m] Arg. Peccator potest inducere sibi dispositiones morales ad justificationem, h. e. elicere actus morales, supernaturales qui inducunt aptitudinem ad gratiam justificationis, et Deum ad hujus infusionem movent. Atqui dispositio moralis est insuper meritoria, seu hujusmodi actus non modo disponunt ad justificationem, sed adhuc eam de congruo merentur. Ergo. — *Major constat* ex probatis supra, ubi actum est de dispositionibus ad justificationem adulti requisitis. Clare id affirmatur a Tridentino sess. VI, cap. V et cap. VI. Declarat Synodus justificationis processum incipere Dei vocatione, ita sc. « ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam justificationem.... disponantur » (cap. V). « Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum.... » enumerantur actus qui elici solent, fidei nempe, spei, dilectionis etc. — Insuper peccatorem se posse disponere ex auxilio gratiae insinuatur can. 3 et 4. — *Prob. min.* In his actibus habentur omnes conditiones requisitae ad meritum congruum : sunt liberi, honesti, supernaturales, cedentes in obsequium Dei, eliciuntur ab homine viatores acceptantur a Deo, siquidem praecipiuntur ab eo ut pro illis detur gratia licet non habeant proportionem cum ea. Ergo.

II[m] Arg. EX PATRIBUS. Non raro dicunt sancti Patres paenitentiam, fidem, humilitatem mereri — partialiter aut adaequate — remissionem peccatorum, adeoque justificationem. Sic a) Origenes ([1]) ; b) Cyprianus qui de paenitente ait : « nec jam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam ([2]) ; » c) Ambrosius ([3]) ;

([1]) ORIG. *In Lev. hom.* III, n. 4. M. XII, 429. — ([2]) CYPR. *L. de lapsis*, c. XXXVI, M. IV, 494. — ([3]) AMBR. *In Luc.* l. X, n. 88, 90, de paenitentia Petri : « Lacrymae veniam non postulant, sed merentur.... et tu, si vis veniam mereri, dilue culpam lacrymis tuam ». — *De paenit.* l. II, n. 13 : « Prodigus paenitentiam agendo meruit stolam, annulum. » Ib. n. 8 : « Tam ista veniam meretur ut venienti et adhuc longe posito occurrat pater, et osculum tribuat etc. » M. XV, 1825 ; XVI, 500.

d) Augustinus [1]; e) Tertullianus [2]; f) Gregorius M. [3].

359. — SECUNDA PARS. ACTUS CARITATIS SEU CONTRITIONIS MERETUR PROXIME JUSTIFICATIONEM, CETERI ACTUS EAM MERENTUR REMOTE.

A CARITAS MERETUR PROXIME JUSTIFICATIONEM.

Prob. Ille actus proxime meretur justificationem, qui est ultima dispositio immediate connexa justificationi. Atqui talis est caritas peccatoris seu contritio perfecta. Ergo. — *Prob. min.* Ad justificationem disponit ille actus quo Dei misericordia flectitur. Atqui Dei misericordia flectitur actu caritatis. Ergo. — *Prob. min.* tum testimoniis Scripturae quibus asseritur Deum diligere eum a quo diligitur, tum ratione quia nempe congruum est ut Deus flectatur per actum perfectissimum quem peccator cum auxilio gratiae elicere potest, qui actus non est alius nisi actus caritatis. Etenim ex parte praecedente constat peccatorem posse mereri justificationem, adeoque dari unam dispositionem quae proxime eam mereatur. Atqui profecto ista proprietas inesse debet actui inter ceteros insigni sua perfectione. Ergo.

B. CETERI ACTUS MERENTUR REMOTE JUSTIFICATIONEM :

OBSERVA. Illud meritum remotum dupliciter explicari potest: a) dicendo ceteros actus mereri tantum immediate collationem ulteriorum gratiarum usque ad gratiam excitantem ad actum caritatis, b) vel dicendo hos actus aliquatenus movere Deum ut perducat peccatorem usque ad justificationem.

Prob. Intentio Dei, conferentis gratias ad dispositiones quae praecedunt caritatem, est pergere ulterius et justificare hominem, nisi justificatio hominis impediatur per dissensum hominis. Ergo hi actus, puta fidei, spei, paenitentiae, dum remote disponunt ad justificationem, eam etiam remote merentur.

360. — TERTIA PARS. PECCATOR MERERI POTEST GRATIAM SECUNDAM.

---

(1) AUG. *Ep.* CXCIV, n. 9 : « Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fide hanc impetrat : neque enim nullum est meritum fidei qua ille dicebat : « Deus propitius esto mihi peccatori » ; et descendit justificatus merito fidelis humilitatis ». M. XXXIII, 877. — *Ep.* CLXXXVI, n. 7 : « Si quis autem dixerit quod gratiam bene sperandi fides mereatur, negare non possumus, immo vero gratissime confitemur. » M. XXXIII, 818. — *Ad Simpl.* l. I, q. II, n. 7 : « Merita fidei sequuntur vocationem potius quam praecedunt » M. XL, 115.

(2) TERTULL. « Peccatricis (Magdalenae) paenitentia secundum creatorem meruerit, veniam praeponere solitum sacrificio. » *Cont. Marc.* l. IV, c. XVIII, M. II, 402.

(3) GREG. M. « Dum Ninivitae pro difficili reconciliatione gravi paenitentia se dejiciunt, omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt. » In I *Reg.* l. III, c. IV, n. 7, M. LXXIX, 186.

Prob. 1. Peccator per liberas dispositiones de congruo mereri potest justificationem. Atqui hoc infert eum per usum primae gratiae mereri posse gratiam secundam. Ergo. *Patet minor* quia omnes dispositiones merentes jus ificationem non sunt immediate connexae cum ea, sed aliae sunt aliis remotiores. Ergo dispositiones remotae non merentur justificationem nisi merendo dispositiones propriores. — 2. Actui elicito ex auxilio primae gratiae insunt omnes conditiones requisitae ad merendum praemium supernaturale ; sed omnis tamen actus supernaturalis non meretur justificationem ; ergo meretur saltem gratiam secundam. — 3. Cum gravis tentatio sollicitat ad malum, semper quidem datur gratia sufficiens ad eam vincendam ; verum gratia excitans a Deo collata saepe non est nisi remote sufficiens, puta est gratia ad orandum supernaturaliter ; ob bonum usum istius gratiae confertur a Deo gratia proxime sufficiens qua debellari valeat hostis salutis ; patet autem gratiam istam posteriorem esse praemium quod meruit usus gratiae prioris.

361. — **Scholion.** Quaeres utrum bona temporalia cadant sub merito de congruo ? — Respondetur bona temporalia dupliciter considerari : a) in relatione ad salutem ; b) secundum propriam rationem. — a) « Si considerentur, ait s. Thomas, prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam aeternam, secundum hoc directe et simpliciter cadunt sub merito.... Tantum enim dat Deus viris justis de bonis temporalibus et etiam de malis, quantum eis expedit ad perveniendum ad vitam aeternam ». I^a II^ae, q. CXIV, d. 10. — b) Si vero bona temporalia considerentur secundum se, simpliciter loquendo non cadunt sub merito. Ratio est quia bona temporalia non sunt bona simpliciter secundum se considerata. Itaque meritum simpliciter respicit solum vitam aeternam et ea quae ad illam conducunt. Attamen eadem bona temporalia cadunt sub merito secundum quid, quatenus, attenta Dei bonitate et liberalitate, congruum esse videtur, quod Deus operibus moraliter bonis bonum aliquod reddat ejusdem ordinis. — Hoc sensu s. Augustinus [1] asserit Romanis, propter nonnullas horum virtutes, mercedem temporalem redditam fuisse.

---

[1] Aug. *De civ. Dei*, l. V, c. xv.

§ 2. De merito congruo justorum.

THESIS LVII[a]. — Justus de congruo, saltem fallibili, non tamen de condigno, mereri potest perseverantiam finalem, gratiam secundam efficacem, et probabiliter reparationem post lapsum.

362. — PRIMA PARS. — A. Perseverantia finalis de congruo potest mereri a justo, h. e. bona opera justorum postulant perseverantiam finalem ex aequitate; saltem *fallibili*, h. e., Deus non repromisit perseverantiam finalem, adeoque non tenetur eam concedere.

Prob. 1. Ex II Pet. I 10 : « Satagite (σπουδάσατε) ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; haec enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum D. N. et Salvatoris J. C. » Hortatur Petrus fideles ut memores sint donorum Dei, per varias eant virtutes, certam faciant salutem. Insinuatur eos hac ratione agendi posse mereri, saltem de congruo, perseverantiam finalem. — 2. Ex Augustino. Donum perseverantiae juxta Augustinum impetrari potest oratione; atqui impetratio penes Augustinum habet rationem meriti congrui. Ergo. — Patet major ex l. *de dono perseverantiae*, c. VI : « Hoc ergo donum Dei (perseverantiae finalis) simpliciter emereri potest. » — *Patet minor* ex *epist.* CXCIV, n. 9 : « Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. » — 3. In bonis operibus justorum deprehenduntur omnes conditiones requisitae ad meritum congruum. Cum enim justus sit filius Dei et ejus amicus, videtur congruum ut frequenter petenti perseverantiam et in hunc finem opera bona offerenti concedatur istud donum in praemium orationum et bonorum operum.

Si ais : D. Thomas in I[a] II[ae], q. CXIV, art. 9 examinat utrum homo possit perseverantiam mereri ? Concludit dicendo : « Deus gratis perseverantiae donum largitur cuicumque illud largitur. »

Resp. Vel s. Thomas tantum loquitur de merito condigno, vel tantum negat hominem posse illud donum mereri actibus naturalibus. Profecto sic rem considerat ille qui per bonum perseverantiae intelligit complexum omnium gratiarum, inclusa gratia prima, quibus electi perducuntur ad salutem.

B. Justus nequit mereri de condigno perseverantiam finalem, h. e. opera bona justorum non exigunt perseverantiam ex justitia aut quasi justitia.

Prob. 1. Probatum est perseverantiam esse donum speciale Dei. Atqui si justus eam de condigno mereri potest haud secus ac gratiae augmentum, videtur nil speciale occurrere in hoc dono Dei. Ergo.

2. *Ex Tridentino.* a) *Negative.* Tridentinum sess. VI, can. 32 recensens ea quae de condigno mereri possunt justi, non meminit perseverantiae. — b) *Positive.* Contra in sessione VI, cap. XII, prohibet ne quis certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum, et canone 16 ne quis dicat se certo perseverantiae donum esse habiturum, nisi specialis revelatio sibi facta fuerit. Profecto jam deest ista certitudo eo quod nullus certitudinaliter scit se esse justum ; sed mens Tridentini videtur esse certitudinem ex alio motivo adhuc deesse, proindeque etiam eum, qui cognosceret se esse justum, adhuc carere certitudine infallibili de perseverantia. Jamvero cum quis praemium de condigno meretur a Deo, de praemio obtinendo potest esse infallibiliter certus.

3. *Ex Augustino* qui in l. *de corr. et gr.* n. 17 ait : « Cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis, et ambo hic impenetrabilia Dei judicia penetrare non possumus. » Atqui hoc falsificatur si justus de condigno potest mereri perseverantram. Tunc enim ratio ob quam unus habeat id donum, alter vero eo careat, haec inquam, ratio est quia unus meruit de condigno hoc donum, alter non.

Si ais : Justus meretur de condigno vitam aeternam et augmentum gloriae. Ergo meretur medium necessarium ; sed perseverantia finalis est necessaria ut perveniatur ad vitam. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Justus meretur *conditionate* vitam aeternam, nempe si perseveraverit, et in gratia Dei decesserit *Conc. ;* meretur *absolute*, *Neg.* Ex operibus justi fit ut, si in statu gratiae moritur, ei detur beatitudo tamquam praemium operibus debitum.

363. — SECUNDA PARS. Reparatio post lapsum : A. De condigno mereri nequit a justo. — Justus itaque per opera bona sua de condigno non meretur ut ei post lapsum detur a Deo gratia surgendi e peccato.

Prob. 1. Ad meritum condignum exigitur Dei promissio. Atqui Deus promisit quidem gratias praecise sufficientes ad recuperandam justitiam, si contingit eam amitti peccato ; verum nullibi promisit justo gratiam efficacem post lapsum, nec restitutionem justitiae. Ergo.

2. Apud Ezechielem legitur : « Si justus fecerit iniquitatem... omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur. » Atqui Deus maxime earum recordaretur, si de condigno mererentur reparationem. Ergo.

B. PROBABILIUS DE CONGRUO FALLIBILI MERERI POTEST.

Ita opinantur Bonav., Gabriel., Scot., Vega ([1]), Bellarm. ([2]), Suar ([3]), Tanner ([4]), Ripalda ([5]).

Negant : Alex. Hal., Alb. M., Alvarez et plerique Thomistae cum s. Thom. ([6]), Valentia, Vasq., Cajet.

Prob. Non tantum non repugnat ut Deus reparationem tribuat ei qui e justitia decidit, propter opera bona quae in statu justitiae in hunc finem vel in alium finem bonum oblata fuerunt ; sed etiam conveniens est ut Deus, non obstante peccato, recordetur praecedentium meritorum et illorum intuitu excitet peccatorem ut a peccato resurgat.

364. — **TERTIA PARS.** GRATIA EFFICAX : A. DE CONDIGNO MERERI NEQUIT.

1. Nulla exstat promissio Dei, neque in Scriptura, neque in traditione ; sed promissio divina exigitur ad meritum condignum. Ergo.

2. Actus supernaturales justorum praemium condignum habent sufficiens in gratia actuali sufficienti, augmento gratiae sanctificantis, gloria et augmento gloriae, ad quae habent intrinsecam et connaturalem habitudinem. Ergo aliud praemium condigne mereri nequeunt.

3. Testatur experientia justos post multa opera bona lapsos esse in peccata lethalia. Ergo non meruerunt de condigno, nec de congruo infallibili, gratiam efficacem ad vitandum lapsum.

Vid. alia arg. apud Wircem. *de gr.* n. 451.

B. DE CONGRUO SALTEM FALLIBILI MERERI POTEST. Adsunt enim omnes conditiones ad illud meritum requisitae.

ARTICULUS III.

De exsistentia meriti condigni.

§ 1. STATUS QUAESTIONIS.

365. — Distinguitur vita aeterna, gloria essentialis et gloria accidentalis ; — gloria essentialis alia est prima, alia vero secunda.

1. Gloria *essentialis* continetur visione Dei, et amore et gaudio ad visionem divinam consequentibus ad modum proprietatum, demum

([1]) VEGA. *De justif.* q. VI, ad 6m. — ([2]) BELLARM. *De justif.* l. V, c. II. — ([3]) SUAR. *De gr.* l. XII, c. XXXVIII. n. 6. — ([4]) TANNER, D. VI, q. VI, n. 221. — ([5]) RIP. D. XCV, s. 3. — ([6]) S. TH. Ia IIae, q. CXIV, art. 7.

cognitione creaturarum in Deo. — Gloria essentialis est inaequalis in variis beatis, respondet enim gradui gratiae sanctificantis et meritis. — a) Gloria essentialis *prima* est ea gloriae portio quam Deus tribuit justo pro prima gratia sanctificante. — b) Gloria *secunda* est augmentum gloriae primae.

2. Gloria *accidentalis* definiri solet « quaelibet perfectio beati, quae versatur extra objectum primarium et essentiale beatificum. » — Aliae perfectiones accidentales sunt communes omnibus beatis, conjunctae nempe, ex natura rei aut ex ordinatione divina, cum beatitudine essentiali : tales sunt scientia infusa de Deo aut de mundo, amicitia mutua sanctorum, honor a mortalibus exhibitus, variae perfectiones corporis ; — aliae sunt perfectiones speciales, datae ex speciali Dei providentia, cujusmodi sunt aureolae, extraordinariae revelationes quae conceduntur ex speciali privilegio aut ob officium statumve ([1]).

3. *Vita aeterna* sumi potest vel pro complexu gloriae essentialis primae et alicujus gradus tum gloriae secundae tum gloriae accidentalis, vel pro qualibet gloria essentiali.

QUAESTIO. — Quaeritur an justi de condigno mereri possint : a) vitam aeternam ; b) gloriam essentialem primam ; c) gloriam essentialem secundam ; d) gratiae sanctificantis augmentum.

Fide certum est justos de condigno mereri posse augmentum gratiae (Trid. sess. VI, can. 32), vitam aeternam, vitae aeternae consecutionem et gloriae augmentum.

Disputatur inter theologos utrum justi mereantur gloriam primam. Sententia affirmans sic explicatur : a) Si agitur de iis qui justificantur per actus supernaturales, ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, seu actus qui est tempore simul ac gratia sanctificans divinitus infusa, dividi potest in duo instantia naturae : In priore habetur actus bonus et persona nondum sanctificata ; in posteriore habetur idem actus bonus et persona jam justificata. Quare unus et idem actus in signo rationis priori meretur gratiam de congruo, et in secundo signo meretur de condigno gloriam essentialem primam. — Sic quoad substantiam rei Bellarm. ([2]), Valentia, Vasq., Tanner, Platel, Viva, Suar. ([3]). Idem tenet Aquinas ([4]). Negant : Greg. Arim., Gabriel, Palud., Tapper, Vega, Lugo, Ripalda.

([1]) Cfr. SUAR. *De ult. fine hom.* d. XI, s. 2, n. 9. — ([2]) BELLARM. *De justif.* l. V, c. XX. — ([3]) SUAR. *De gr.* l. XII, c. XXVIII. — ([4]) S. TH. I^a, q. LXII, a. 4 ; I^a, q. LXIII, a. 5, ad 2^m et 3^m ; I^a II^ae, q. CXII, a. 2, ad 1^m.

b) Qui justificantur sine dispositione per se sufficienti, puta infantes, et adulti attriti, merentur gloriam primam per primum actum bonum elicitum post infusionem gratiae sanctificantis.

§ 2. Resolvitur quaestio.

THESIS LVIII[a]. Justi de condigno merentur vitam aeternam, augmentum gratiae et gloriae, immo probabilius gloriam primam.

366. — PRIMA PARS. Justi merentur de condigno vitam aeternam :

Prob. I[m] Arg. Ex Script. 1. In testimoniis Scripturae enarratis ad th. LIV. P. III vita aeterna dicitur bravium, merces, corona justitiae. Atqui his appellationibus significari videtur justum de condigno mereri posse vitam aeternam. Ergo.

2. Justi ratione operum dicuntur digni regno caelorum. Sic Sap. III, 5 : « Deus tentavit eos et invenit illos dignos se » ; II Thess. II, 5 : Omnes tribulationes « sustinetis ut digni habeamini in regno Dei. » Atqui iterum haec appellatio suadet meritum condignum.

3. Deus dicitur ex justitia debere vitam aeternam justis : Sic Hebr. VI, 10 : « Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri, » scilicet ut piis vestris operibus ac eleemosynis deneget condictam mercedem, nempe gratiam in hac vita et gloriam in futura.

II[m] Arg. Ex Traditione. 1. Tridentinum a) in sess. VI, c. XVI haec habet : « Bene operantibus usque in finem proponenda est vita aeterna et tamquam gratia filiis Dei per C. J. misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. » b) Ib. can. 32 : « Si quis dixerit hominis justificati bona opera... non mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae... consecutionem, atque etiam gloriae augmentum. A. S. »

2. Ex locutionibus Patrum, quibus vita aeterna dicitur merces aut corona justitiae, etc.

367. — SECUNDA PARS. Probabilius gloriam primam de condigno meretur justus.

Prob. I[m] Arg. Ex locutionibus Script. et Patrum : 1. Saepe Scriptura promittit vitam aeternam, gloriam tamquam mercedem operibus bonis ac meritis, debitam ex justitia aut quasi justitia. Atqui haec verba Scripturae sensu obvio accepta significant justum mereri

non modo partem gloriae, nempe ejus augmentum, sed gloriam totam ejusque substantiam, non exclusa parte correspondente gratiae habituali primae. Sic apud Matth. XIX, 17, legitur : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, » et in Col. III, 24 : « Scientes quod a Domino accipietis retributionem haereditatis, » et aliis locis in th. 54 citatis.

2. Eodem modo loquuntur Patres. Sic Augustinus : « Sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito justitiae tamquam stipendium vita aeterna » (1). « Vita aeterna totum est praemium, cujus promissione gaudemus » (2).

IIm Arg. Ex Trid. 1. In sess. VI, can. 32, Tridentinum dicit justum mereri posse augmentum gratiae, nihil autem dicit de gratia habituali prima ; deinde asserit justum mereri tum vitam aeternam tum augmentum gloriae. Ex his verbis dupliciter arguitur : a) Juxta Tridentinum, justus non solum meretur augmentum gloriae, sed adhuc vitam aeternam ; atqui ista vita aeterna distincta ab augmento gloriae, nequit esse alia praeter gloriam essentialem primam. b) Augmentum gloriae, quod justus meretur, respondet augmento gratiae ; itaque vita aeterna respondere debet gratiae habituali primae ; sed gratiae habituali primae respondet gloria prima. Ergo.

2. In eadem sessione, cap. XVI, vita aeterna proponenda dicitur ut *gratia* simul et ut *merces* ; sane concilium proponit vitam aeternam totam, vultque eam totam esse gratiam ; ergo tota est etiam merces.

368. — TERTIA PARS. Justi de condigno merentur augmentum gratiae.

Im Arg. Ex Trid. a) Sess. VI, can. 32. b) Ib. can. 24. Asseritur justitiam acceptam augeri coram Deo per bona opera, illaque opera esse causam augendae justitiae. Atqui non sunt vera causa, nisi mereantur de condigno illud augmentum gratiae. Ergo.

IIm Arg. Ratione. 1. Omnes conditiones requisitae adsunt : a) persona merens est in statu gratiae ; b) praemium est a Deo promissum ; c) datur proportio aequalitatis inter opus et praemium. — 2. « Illud, ait Angelicus, cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiae se extendit : motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu : terminus autem motus gratiae est vita aeterna, progressus autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis, vel gratiae, secundum illud : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad

(1) Aug. *Ep.* CV. — (2) Id. *De mor. Eccl.* c. XXV.

perfectum diem, » qui est dies gloriae. Sic igitur augmentum gratiae cadit sub merito condigni » ([1]).

III^m Arg. Illud augmentum concessum operi justi fundatur in Joh. XV et Eph. IV, 15.

369. — QUARTA PARS. JUSTI DE CONDIGNO MERENTUR AUGMENTUM GLORIAE.

Prob. I^m Arg. EX SRIPT. Juxta Scripturae effata, eo majorem beatitudinem in mercedem et coronam accipiet justus, quo plures et praestantiores actus virtutum exercuerit, quo difficiliora factu exsecutus fuerit, quo puriore egerit intentione, quo exactius observaverit legem. Ergo de condigno meretur augmentum gloriae.

Prob. ant. a) Matth. X, 41 sq.: « qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet ; qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet, et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquae frigidae... non perdet mercedem suam. » — b) Ib. XVI, 27 : « Filius hominis venturus est in gloria Patris sui... et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. » — c) Luc. VI, 38 : « Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. » — d) Apoc. XXII, 12 : « Ecce venio cito et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. » — e) I Cor. III, 8 : « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. » — Ib. XV, 41, Paulus ex diversitate meritorum repetit diversitatem retributionis et gloriae in resurrectione : « Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum ; stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. » — f) II Cor. IX, 6 : « Qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. »

II^m Arg. EX PATRIBUS. Eo majorem esse mercedem justi quo plus passus et operatus fuerit, asserunt, praeter alios bene multos, a) Hermas ([2]), b) Hieronymus ([3]), c) Gregorius M. ([4]), Concilium Florent. ([5]).

([1]) S. TH. I^a-II^ae, q. CXIV, a. 8.

([2]) HERMAS : « Si praeter ea quae mandavit Dominus, aliquid boni adjeceris, majorem dignitatem tibi acquires et honoratior apud Deum eris. » L. III, *Simil.* V.

([3]) HIER. « Jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis praemia praeparare. » — « Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate laborum ? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate meritorum. » L. III, *adv. Jovin.*

([4]) GREG. M. « Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum ut quo hic alius alium meritos superat, illic alius alium retributione transcendat. » L. IV, *Mor.* c. XLII.

([5]) FLORENT. docet animas sanctas « in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicut est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. » Denz. n. 588.

SATISFIT DIFFICULTATIBUS.

370. — **Obj.** 1°. Meritum condignum est ex justitia. Atqui inter Deum et hominem non potest intercedere justitia. Ergo. — *Prob. min.* Obligatio justitiae supponit debitum. Atqui in Deo non est debitum erga homines. Ergo. — *Prob. min.* Qui habet debitum, tenetur transferre dominium in alium. Atqui Deus teneri nequit transferre dominium in alium. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* Inter Deum et hominem non datur justitia cujus fundamentum sit in homine, *Conc.* ; in *Deo*, Neg. Ad prob. *distinguitur* eodem modo.

371. — **CONTRA II^m PARTEM. Obj.** 2°. Opera bona non merentur id quod jam est debitum ex alio titulo. Atqui gloria prima jam est debita titulo primae gratiae. Ergo.

Resp. Idem praemium potest esse debitum ex vario titulo. Non deest ratio cur gloria prima, jam debita titulo gratiae primae, rursus debeatur titulo operis ; est enim nobilius sibi comparare praemium labore suo, quam solo praemiantis favore, et exin speciale enascitur gaudium.

372. — **CONTRA III^m PARTEM. Obj.** 3°. In parabola operariorum apud Matth. XX, 1 sq. omnes operarii in vinea laboraverunt, etsi non aequaliter, tamen eumdem vespere denarium dicuntur recepisse. Ergo opera bona non merentur augmentum gloriae.

Resp. a) Juxta Patres per denarii mercedem omnibus operariis aeque concessam significatur gloria essentialis prima, quae est aequalis pro omnibus beatis. Sic Aug. (1). b) Alii putant Christum in allata parabola solum loqui de vocatione ad fidem et ostendere se, sine injuria Judaeorum, etiam gentiles ad fidem vocare posse, quamvis vocationem ad fidem tamquam bonorum operum mercedem considerare non liceat. Recte enim Chrys. (2) observat : « non oportere omnia, quae parabolae continent, verbatim scrutari, sed scopum intelligere, ad quem institutae sunt, eoque percepto, nihil amplius inquirere. »

(1) AUG. « Denarius ille vita aeterna est et in vita aeterna omnes aequales erunt : quamvis enim pro meritorum diversitate fulgebunt alius magis, alius minus ; quod autem ad vitam aeternam pertinet, aequalis erit in omnibus. » *Serm.* LIX, *de verbis Dom.* C. IV.

(2) CHRYS. *Hom.* LXIV, *in Matth.*

LAUS DEO.

INDEX THESIUM.

Theses de Gratia Actuali.

Thesis 1. Homo physice et intrinsecus est incapax eliciendi solis naturae viribus ullum actum qui ad salutem conducat. Quamobrem ad omne opus salutare absolute requiritur gratia interna supernaturalis 22

» **2.** Falsum est id quod asseverant Semipelagiani, initium nempe fidei salutaris constare actibus naturalibus, Deumque exspectare meritum voluntatis antequam elargiatur gratiam 43

» **3.** Justus nequit in praesenti ordine sine speciali Dei auxilio perseverare ad finem vitae usque in statu justitiae. Quare merito perseverantia finalis vocatur a Tridentino magnum donum (Sess. VI, can. 16) 62

» **4.** Non modo juvandus est peccator auxilio gratiae ad opus salutare efficiendum, sed adhuc ad illud est excitandus per gratiam praevenientem 78

» **5.** Gratia actuali excitandus est ad actum salutarem non modo ille qui habitu supernaturali correspondente caret, verum etiam ille qui eo instruitur 83

» **6.** In specie ad omnes actus salutares necessaria est immediata Spiritus Sancti illuminatio 91

» **7.** Ad actus salutares non sufficit in statu naturae lapsae mentis illuminatio et inspiratio dumtaxat mediata voluntatis, connaturaliter ad illuminationem consequens ; sed exigitur praeterea inspiratio immediata voluntati a Deo immissa — In statu vero naturae innocentis, requirebatur quidem illustratio immediata et praeterea inspiratio immediata ad primam volitionem bonam ; attamen, secundum doctrinam s. Augustini, sufficiebat inspiratio mediata ad actus salutares subsequentes 97

» **8.** Falsum est id quod affirmant Jansenistae, omnem nempe inspirationem gratiae proprii et veri nominis esse motionem ad amorem et caritatem. Potest tamen dici amor et caritas radicaliter aut causaliter 112

Thesis 9. Usu Scripturae et Patrum gratiae appellatione formaliter aut aequivalenter cohonestantur tum illustratio et inspiratio, tum ille actus salutaris qui ad ulteriores actus bonos conducit et incitat. Contra perperam defendit Quesnellius gratiam vocari omnipotentem Dei voluntatem, eamque solam 116

» **10.** Tum consensus salutaris, tum motus gratiae praevenientis in intellectu et in voluntate recepti sunt supernaturales quoad substantiam. 133

» **11.** Actus intrinsecus et entitative supernaturales ab actibus per solas vires naturae elicitis universaliter discrepant, non tantum principio effectivo, sed adhuc objecto; non quidem objecto materiali, neque objecto-formali-quod; verum ratione-sub-qua attingitur objectum-formale-quod, eaque tum intrinseca huic objecto, tum ei extrinseca 149

» **12.** Non modo actus salutaris, verum etiam illustratio et inspiratio efficienter procedunt a facultate tamquam a causa partiali et immediata; quare dicendi sunt actus vitales 164

» **13.** Ubi adest habitus per se infusus quod sit principium actus salutaris, ab eodem habitu divinitus excitato proficiscuntur motus gratiae excitantis, dummodo utriusque actus sit idem objectum formale 178

» **14.** Rejicienda est sententia Neothomistarum asserentium infundi a Deo qualitatem mortuam, physicam, et fluentem, quae sit principium supernaturalitatis motuum gratiae praevenientis. Rejicienda etiam est sententia reponens illud principium in modo ab anima indistincto et in ea divinitus producto ante actum . 182

» **15.** Defectum habitus par se infusi non modo supplere potest Deus, sed reapse supplet, praebendo facultati indeliberate agenti concursum specialem indebitumque quo fit ut actus vitaliter a facultate elicitus ordinem naturalem transcendat. . . . 191

» **16.** Motibus gratiae praevenientis non deest causalitas physica respectu actus salutaris, quoties deest habitus a quo hic actus connaturaliter procederet 199

» **17.** Motibus gratiae praevenientis competit respectu actus salutaris causalitas moralis, quae reducitur ad causalitatem formalem . 205

» **18.** Ita associantur vires naturae et vires gratiae, ut actus supernaturalis dicendus sit procedere ab utrisque simul agentibus. Ita vero procedit, ut vitalitas efficiatur viribus naturae, supernaralitas autem viribus gratiae. Itaque natura et gratia sunt causae partiales non modo partialitate causae, sed etiam partialitate effectus 215

» **19.** Si actus supernaturalis inspicitur simpliciter, vel uti praecise est supernaturalis, dicendus est procedere ab auxilio gratiae tamquam a causa principali, a natura tamquam a causa instrumen-

tali. Si vero ut vitalis aut liber inspicitur, nihil obstat quin natura vocetur causa ejus principalis, gratia vero causa instrumentalis 221

Thesis 20. Homo nequit per actionem naturaliter honestam mereri gratiam, neque de condigno, neque de congruo, neque impetrative . . 230

» **21.** Homo per actiones naturaliter honestas non valet positive se disponere, neque proxime neque remote, ad gratiam actualem. Valet tamen viribus naturae se disponere negative, removendo id quod prohibet secundum quid collationem gratiae. . . . 244

» **22.** Falsum est hominem in statu naturae lapsae obnoxium esse impotentiae physicae diu observandi, quoad substantiam, legem naturalem, nisi juvetur interna Dei gratia. 263

» **23.** In statu naturae lapsae laborat homo impotentia morali diu observandi legem divinam quoad substantiam, nisi juvetur speciali adjutorio. — Attamen necessaria non est gratia entitative supernaturalis ; sed sufficit auxilium speciale ordinis naturalis. — In statu naturae integrae homo non afficiebatur ista impotentia 265

» **24.** Homo lapsus est moraliter impotens vincendi ex motivo honesto tentationes graves. Attamen non indiget gratia ut vincat tentationes leves 281

» **25.** Nullus homo, etiam justus aut sanctus, potest per longum temporis spatium vitare omne peccatum veniale, nisi speciali Dei privilegio fuerit donatus 292

» **26.** Homo lapsus non est obnoxius impotentiae, sive physicae sive morali, eliciendi ullum actum moraliter bonum, nisi ornetur gratia sanctificante aut fide, vel nisi juvetur auxilio gratiae actualis. Ad factum quod attinet, sine ullo fundamento asserit Ripalda in praesenti ordine Providentiae nullum hujusmodi actum elici viribus naturae sibi permissis 305

» **27.** Potest homo lapsus, non modo physice sed etiam moraliter, amare Deum appretiative super omnia amore affective efficaci, non tamen amore effective efficaci 339

» **28.** Praeter gratiam efficacem datur in praesenti ordine Providentiae gratia pure quidem, vere tamen et relative sufficiens, conferens nempe homini potestatem plenam expeditamque operationis salutaris, in iis adjunctis in quibus versatur homo gratia sufficienti motus 348

» **29.** Gratia relative sufficiens non tribuit voluntati illud posse salutariter operari, quod Neothomistae comminiscuntur, absolute nempe irreductibile ad actum, nisi superaddatur praemotio physica ; verum eam tribuit sufficientiam ad operandum, quae a solo arbitrio concursum denegante inefficax redditur. Quare physice reponenda est in gratia excitante et in principiis

gratiae adjuvantis quae praesto sint omni ei qui gratia praevenienti instruitur 364

Thesis 30. Gratiae pure sufficienti non deest ratio beneficii, non modo materialis, sed etiam formalis 370

» **31.** Revelatione manifestum est eam esse indolem gratiae efficacis consideratae in actu primo, ut infallibilem connexionem cum actu salutari sit habitura et qua talis a Deo fuerit aeternaliter decreta cum affectu specialiter benevolo 377

» **32.** Ea non est infallibilitas connexionis gratiae efficacis cum actu salutari, ut libertatem hujus actus e medio tollat 385

» **33.** Gratiae efficacis infallibilem connexionem cum consensu voluntatis perverse explicant Janseniani aientes omnem gratiam efficacem esse delectationem relative victricem concupiscentiae malae 416

» **34.** Connexionem gratiae cum actu salutari perverse etiam explicant Augustinienses reponentes gratiam efficacem in delectatione indeliberata caelitus immissa gradibus superante concupiscentiam oppositam ideoque moraliter determinante voluntatem ad actum salutarem. 425

» **35.** Connexionem gratiae efficacis cum actu salutari perperam explicant Neothomistae gratiam efficacem constituentes in praedeterminatione physica. Haec enim sententia perimit libertatem voluntatis respectu actuum salutarium tum quoad exercitium tum quoad essentiam ; refundit peccatum in Deum tamquam in ipsius auctorem ; efficit ut carentia operationis salutaris homini imputari jure nequeat ; destruit veram et relativam sufficientiam gratiae quae inefficax redditur ; denique non videtur componi posse cum iis quae Tridentinum de fide tenenda esse proponit. 429

» **36.** Efficacia gratiae sic est explicanda cum Molina et Lessio : Omni gratiae inest efficacia virtutis ; efficacia vero actualis gratiae dimanat ab extrinseco : eo nempe est efficax, quia liberum arbitrium, agens per vires gratiae, suasioni divinae consentit, dum per vires naturae ab ea dissentire posset. — Infallibilitas autem connexionis gratiae cum opere salutari petitur : a) *objectiva* quidem ex futuritione conditionata consensus huic gratiae ; b) *cognoscitiva* vero ex scientia media : c) *affectiva* demum ex decreto absoluto quo, praelucente scientia media circa efficaciam et inefficaciam omnium gratiarum, Deus statuit conferre gratiam conditionate praevisam efficacem, prae gratia praevisa inefficaci, atque ita homini gratiae cooperaturo speciale praestat beneficium 446

» **37.** Deus non fert decretum praedestinativum gratiarum ex praevia intentione absoluta omnium actuum salutarium ; ideoque hi

actus non praedefiniuntur formaliter, uti volunt Suareziani. Quare dicendum est cum Molina et Lessio opera bona nonnisi virtualiter praedefiniri, quatenus nempe Deus ex aliis rationibus, ipso quidem dignis, nobis vero inscrutabilibus, praedestinat gratias decreto quod virtualiter includit voluntatem operum bonorum et affectum specialiter bevevolum erga eos qui praesciti sunt gratiae cooperaturi 467

Thesis 38. S. Augustinum censuisse gratiam ab extrinseco esse efficacem liquido constat tum ex his quae S. Doctor scribit ad Simplicianum (l. I, q. II, n. 10 sqq); tum quia penes voluntatem esse dicit consentire gratiae aut ab ea dissentire; tum ex eo quod constanter asserit praedestinationem gratiae inniti praescientiae divinae. — Neque in contrarium quidquam evincitur sive ex statu controversiae Augustinum inter Massiliensesque agitatae; sive ex difficultatibus quas hi contra doctrinam ipsius movebant; sive ex difficultate quam expertus est Augustinus in concilianda efficacia gratiae cum libertate; sive ex locutionibus quibus s. Augustinus efficientiam gratiae extollit. Perperam etiam provocatur ad discrimen inter adjutorium-sine-quo-non praestitum a Deo in statu naturae integrae et adjutorium-quo solis praedestinatis collatum in statu naturae lapsae . . . 477

» **39.** Doctor Angelicus prorsus adversatur systemati Neothomistarum de praedeterminationibus physicis. In specie ista doctrina nullatenus fundatur in scriptis s. Thomae prouti extenditur ad actus salutares 508

» **40.** Gratia saltem remote sufficiens non deest justis quoties urget praeceptum quod sine ea observari nequit 524

» **41.** Peccatoribus communibus concedit Deus saepe gratias sufficientes quibus a peccatis resipiscere, paenitentiam agere et Deo reconciliari possint 531

» **42.** Licet Deus peccatoribus obstinatis multas deneget gratias justis et peccatoribus communibus concedi solitas; attamen eis pro tempore et loco confert gratias sufficientes, saltem remote, ad agendam paenitentiam 538

» **43.** Infidelibus non modo positivis, sed et negativis, pro tempore et loco concedit Deus gratias saltem remote sufficientes ad fidem amplectendam et justificationem salutemque consequendas. . 551

Theses de Gratia Sanctificante.

Thesis 44. In justificatione vere delentur peccata. 569

» **45.** In justificatione infunditur intrinsecus gratia Spiritus Sancti qua homo interior renovatur 578

Thesis 46. Gratia sanctificans secundum essentiam inspecta est donum creatum, animae inhaerens, physice permanens ad instar habitus, realiter distinctum ab anima ejusque facultatibus . . . 588
» **47.** Effectus formales gratiae habitualis sunt consortium naturae divinae, filiatio Dei adoptiva, Deique amicitia, demum sanctitas . 602
» **48.** Ad justificationem consequendam et retinendam fides supernaturalis non sufficit, sed requiruntur insuper alii motus boni . 622
» **49.** Justus quolibet peccato gravi amittit gratiam sanctificantem potestque eam amittere in perpetuum 638
» **50.** Gratia sanctificans crescit per bona opera ; quare non est aequalis in omnibus justis 645
» **51.** Sine revelatione speciali nemo scire valet certitudine fidei cui non potest subesse falsum se gratiam Dei esse consecutum. . 651

Theses de Merito Theologico.

Thesis 52. Ut operi humano insit ratio meriti theologici, opus non est ut satisfiat conditionibus quas Protestantes requisitas esse dicunt, scilicet ut opus sit omni numero absolutum, nullo titulo debitum, a solo merente totaliter factum 665
» **53.** Ad meritum theologicum exigitur : 1° Ex parte Dei, acceptatio operis. 2° Ex parte operantis, ut sit viator. 3° Ex parte operis, ut sit liberum, honestum, supernaturale, cedens in obsequium Dei 666
» **54.** Ad Meritum theologicum de condigno, praeter conditiones supra recensitas, exigitur : 1° Ex parte operantis : a) ut sit in statu gratiae; b) ut mereatur sibi. 2° Ex parte operis : a) ut sit aequale praemio aequalitate proportionis ; b) ut procedat, saltem remote et virtualiter, ex imperio caritatis. 3° Ex parte Dei : ut promissio praecesserit 670
» **55.** Bona opera justorum non modo possibilia sunt, sed adhuc necessaria sunt adultis ut ad vitam aeternam perveniant. Insuper vitae aeternae sunt vere meritoria 679
» **56.** Peccator de congruo mereri potest gratiam secundam et justificationem ; hanc vero meretur proxime actu caritatis seu contritionis perfectae, remote aliis actibus supernaturalibus . 686
» **57.** Justus de congruo, saltem fallibili, non tamen de condigno, mereri potest perseverantiam finalem, gratiam secundam efficacem, et probabiliter reparationem post lapsum . . . 689
» **58.** Justi de condigno merentur vitam aeternam, augmentum gratiae et gloriae, immo probabilius gloriam primam 693

INDEX PARTIUM.

PROOEMIUM 5

PARS PRIMA.

DE GRATIA ACTUALI.

CAPUT I.

De necessitate gratiae ad actus salutares.

SECTIO PRIOR.

De necessitate gratiae ad salutem.

ART. I. DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTUM SALUTAREM.
§ 1. Status quaestionis 16
§ 2. Refellitur Pelagianismus 22
ART. II. DE NECESSITATE GRATIAE AD INITIUM SALUTIS.
§ 1. Status quaestionis 39
§ 2. Rejicitur Semipelagianismus. 43
ART. III. DE NECESSITATE GRATIAE AD PERSEVERANDUM IN JUSTITIA.
§ 1. Status quaestionis 59
§ 2. Resolvitur quaestio 62

SECTIO SECUNDA.

Quaenam gratia exigatur ad opus salutare.

ART. I. RECENSENTUR VARII STATUS NATURAE 76
ART. II. AD ACTUM SALUTAREM EXIGITUR GRATIA EXCITANS.
§ 1. De necessitate gratiae excitantis pro peccatoribus . . 78
§ 2. De necessitate gratiae excitantis pro justis in statu naturae lapsae 82
§ 3. De necessitate gratiae excitantis in statu naturae integrae 89

Art. III. De necessitate illustrationis immediatae, immediataeque inspirationis ad actum salutarem.
§ 1. De necessitate illustrationis immediatae 90
§ 2. De necessitate inspirationis, ejusque immediatae . . . 96
§ 3. De objecto illustrationis et inspirationis 110
Art. IV. Num actus praecitati dicendi sint Dei gratiae.
§ 1. Status quaestionis 114
§ 2. Illustrationem, inspirationem et actum salutarem vocari gratias ostenditur 116
§ 3. De aliis nonnullis gratiis 124

CAPUT II.

De natura gratiae.

Art. I. De entitativa supernaturalitate gratiae passive sumptae.
§ 1. Notiones. — Quaestiones 126
§ 2. Gratiam esse supernaturalem quoad substantiam ostenditur. 131
§ 3. De objectivo discrimine inter actum supernaturalem et actum naturalem. 147
Art. II. De vitalitate actuum supernaturalium.
§ 1. Status quaestionis 162
§ 2. Resolvitur quaestio 164
Art. III. De principio supernaturalitatis motuum gratiae praevenientis. 176
§ 1. De principio supernaturali gratiae excitantis apud justos. 177
§ 2. Defectum habitus infusi non supplet Deus intrinsecus elevando facultates 180
§ 3. Defectum habitus infusi supplet Deus elevando extrinsecus facultates, seu de potentia obedientiali activa . . . 188
Art. IV. De principio supernaturalitatis.
§ 1. An gratia praeveniens sit causa actus salutaris . . . 198
I. De causalitate physica motuum gratiae praevenientis . 199
II. De causalitate morali motuum gratiae praevenientis. . 205
§ 2. De concursu habitus infusi 209
§ 3. De discrimine gratiae praevenientis et adjuvantis. . . 211
Art. V. De associatione causarum actum supernaturalem producentium.
§ 1. De ordine dependentiae actus supernaturalis a suis causis 214
§ 2. De causa principali et de instrumentali 219

CAPUT III.

De gratuitate gratiae.

Art. I. An homo gratiam mereri possit.
§ 1. Status quaestionis 226
§ 2. Resolvitur quaestio 230
Art. II. An homo se disponere possit ad gratiam.
§ 1. Status quaestionis 240
§ 2. Resolvitur quaestio 244
Art. III. De effato " facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. „
§ 1. Quonam significatu axioma admitti queat 252
§ 2. Quonam sensu axioma usurpaverint veteres theologi . 253

CAPUT IV.

De necessitate gratiae ad actus ethice bonos.

Art. I. De observatione legis naturalis.
§ 1. Status quaestionis 256
§ 2. Astruitur potentia physica servandi legem Dei . . . 263
§ 3. Astruitur impotentia moralis servandi diu legem Dei. 265
Art. II. De victoria supra tentationes.
§ 1. Status quaestionis 278
§ 2. Resolvitur quaestio 281
Art. III. De fuga peccati venialis.
§ 1. Status quaestionis 289
§ 2. Resolvitur quaestio 292
Art. IV. De potentia ad actus moraliter bonos.
§ 1. Status quaestionis 301
§ 2. Resolvitur quaestio 305
Art. V. De amore Dei super omnia.
§ 1. Status quaestionis 337
§ 2. Resolvitur quaestio 339

CAPUT V.

De gratia sufficienti.

Art. I. De exsistentia gratiae sufficientis.
§ 1. Status quaestionis 346

§ 2. Resolvitur quaestio 348
Art. II. Quid gratia sufficiens voluntati conferat.
§ 1. Status quaestionis 363
§ 2. Resolvitur quaestio 364
Art. III. An gratia pure sufficiens sit beneficium Dei. 369

CAPUT VI.

De gratia efficaci.

Art. I. Praestituuntur fundamenta.
§ 1. De gratiae efficacis infallibili connexione cum actu salutari 376
§ 2. De libertate actus salutaris 383
Art. II. Recensentur sententiae de natura gratiae efficacis . . . 391
Art. III. Gratia non est efficax ab intrinseco.
§ 1. Refutatur systema Jansenianorum 416
§ 2. Refutatur systema Augustiniensium 425
§ 3. Refutatur systema Bannesianorum 429
Art. IV. Defenditur gratia ab extrinseco efficax ad mentem Molinae.
§ 1. Defenduntur communia Molinismo et Congruismo. . . 446
§ 2. Rejiciuntur ea quae Congruismo sunt propria 461
Art. V. De sententia s. Augustini et s. Thomae.
§ 1. De mente s. Augustini circa efficaciam gratiae. . . . 477
§ 2. De mente s. Angelici circa efficaciam gratiae 506

CAPUT VII.

De gratiarum distributione.

Art. I. De gratia justis collata.
§ 1. Status quaestionis 522
§ 2. Resolvitur quaestio 524
Art. II. De gratia peccatoribus collata.
§ 1. De gratia peccatoribus communibus collata 531
§ 2. De gratia peccatoribus obstinatis collata 537
Art. III. De gratia infidelibus collata.
§ 1. De exsistentia gratiae infidelibus collatae. 550
§ 2. De natura gratiae negative infideli collatae 560

SECUNDA PARS.

DE GRATIA SANCTIFICANTE.

CAPUT I.

De exsistentia et de natura justificationis.

ART. I. IN JUSTIFICATIONE DELENTUR PECCATA ET RENOVATUR INTERIOR HOMO.
§ 1. Status quaestionis 566
§ 2. In justificatione vere delentur peccata. 569
§ 3. In justificatione intrinsecus renovatur homo. 578
ART. II. GRATIA SANCTIFICANS EST DONUM CREATUM AB ANIMA DISTINCTUM.
§ 1. Status quaestionis 584
§ 2. Resolvitur quaestio 588
ART. III. DE EFFECTU GRATIAE SANCTIFICANTIS.
§ 1. Status quaestionis 600
§ 2. Resolvitur quaestio 602
ART. IV. DE DISTINCTIONE GRATIAE ET CARITATIS. 612

CAPUT II.

De causis ad justificationem disponentibus.

§ 1. Status quaestionis 615
§ 2. Resolvitur quaestio 622

CAPUT III.

De proprietatibus gratiae sanctificantis.

ART. I. DE AMISSIBILITATE GRATIAE.
§ 1. Status quaestionis 637
§ 2. Resolvitur quaestio 638
ART. II. DE INAEQUALITATE GRATIAE.
§ 1. Status quaestionis 644
§ 2. Resolvitur quaestio 645
ART. III. DE CARENTIA CERTITUDINIS FIDEI.
§ 1. Status quaestionis 647
§ 2. Resolvitur quaestio 651

TERTIA PARS.

DE MERITO THEOLOGICO.

CAPUT I.

De essentia meriti theologici.

§ 1. Status quaestionis 664
§ 2. Rejicitur sententia novatorum 665
§ 3. Stabilitur sententia catholicorum 666
§ 4. De conditionibus requisitis ad meritum de condigno . . 670

CAPUT II.

De exsistentia meriti theologici.

Art. I. De exsistentia meriti generice inspecti.
§ 1. Status quaestionis 678
§ 2. Resolvitur quaestio 679
Art. II. De exsistentia meriti congrui.
§ 1. De merito congruo peccatorum 685
§ 2. De merito congruo justorum 689
Art. III. De exsistentia meriti condigni.
§ 1. Status quaestionis 691
§ 2. Resolvitur quaestio 693

ma Gratia
f 4160

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

4160.